






The Institute of
Toronto,

MONUMENTA

ORDINIS

FRATRUM PRAEDICATORUM

HISTORICA


TOMUS XIV.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM (VOL. IX.)

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE

IN DOMO GENERALITIA

10, via dicta « San Sebastiano », 10

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE

1904

ACTA
CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM
VOL. IX.

AB ANNO 1725 USQUE AD ANNUM 1844

IUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. ANDREAE FRÜHWIRTH

MAGISTRI GENERALIS

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1904


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
FEB 8 1954
LIBRARY

LECTORI

Seriem capitulorum generalium, quorum acta in hoc tomo continentur, sequens schema una cum loco, ubi acta typis prodierunt, exhibet:

Capitula celebrata		*Acta typis excusà*
Bononiae	a. 1725	Romae, typis Hieronymi Mainardi in platea Montis Citatorii 1725.
Bononiae	a. 1748	Romae, ex typographia Hieronymi Mainardi 1748.
Romae	a. 1756	Ibidem, excudebant Ioachimus et Ioannes Iosephus Salvioni, Typographi Vaticani, in Archilyceo Romano 1756.
Romae	a. 1777	
Caesaraugustae	a. 1832	Matriti, apud E. Aguado, Reg. Domus Typographum 1833.
Romae	a. 1838	
Romae	a. 1841	Ibidem, typis Salviucci 1841.
Romae	a. 1844	

Duplex, quod addi consuevit, *Imprimatur* additur actis capitulorum generalium

1) Bononiae anno 1725, hoc modo: *Imprimatur, si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.* N. Baccario Episcop. Bojanen. Vicesgerens.

Imprimatur. Fr. Gregorius Sellari, Ordinis Praedicatorum, Sacri Apostolici Palatii Magister.

2) Bononiae anno 1748: *Imprimatur, si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.* F. M. de Rubeis Archiep. Tarsi Vicesgerens.

Imprimatur. Fr. Nicolaus Aloysius Ridolphi Ordinis Praedicatorum Sac. Palatii Apostolici Mag.

3) Romae anno 1756: *Imprimatur, si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.* F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.

Imprimatur. Fr. Ioseph Augustinus Orsi Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apost. Magister.

4) Romae anno 1841: *Imprimatur.* Fr. D. Buttaoni Ord. Praed. Sac. Pal. Ap. Mag.

Imprimatur. I. M. Vespignani Archiep. Tyan. Vicesg.

Acta vero capituli generalis Caesaraugustae celebrati anno 1832 nullum prae se ferunt *Imprimatur.*

Quod attinet acta capituli generalis Romae celebrati anno 1777, numquam hucusque typis excusa sunt, exceptis declarationibus, ordinationibus admonitionibusque, quas cl. p. magister fr. Cajetanus Lo-Cicero operi, cui titulus «Constitutiones, declarationes et ordinationes capitulorum generalium sacri ordinis praedicatorum», Romae 1862, inseruit, quasque capitulum generale Romae celebratum anno 1868 (decl. II. p. 67) « pro authenticis et sufficienter promulgatis habendas esse » declaravit. Istorum actorum apographa, in archivio ordinis codd. III, 5 et III, 10 asservata, recensui.

Capitulorum denique generalium Romae celebratorum anno 1838 et 1844, quae usque adhuc prelum non reliquerunt, actorum archetypa, manu propria diffinitorum subscripta, e citato cod. III, 10 edenda curavi.

Atque hoc quidem ultimo volumine Actorum in lucem emisso, solum superest, ut aliqua supplementa huius collectionis, quae ultra inquirenti mihi tardius se offerebant, prelo subiciantur, rerumque et nominum indicibus consulatur commodo legentium.

Dabam Romae, die festo s. Catharinae Senensis 1904.

Fr. Benedictus M. Reichert
Ord. Praed.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. IX.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM

ORDINIS PRAEDICATORUM



ACTA CAPITULI GENERALIS PROVINCIALIUM ET DIFFINITORUM BONONIAE IN CONVENTU S. P. DOMINICI CELEBRATI A DIE XIX MAII MDCCXXV.

Sub reverendissimo patre fr. Thoma Ripoll, sacrae theologiae professore eiusdemque ordinis generali magistro, in praedicto capitulo electo, diffinientibus reverendissimo patre fr. Angelo Gulielmo Molo, s. d. n. Benedicti XIII. et sedis apostolicae nomine capituli praeside necnon ordinis procuratore generali, ac rr. adm. pp. provincialibus et diffinitoribus:

fr. Iohanne de Valsera mag. provinciali Hispaniae,
fr. Henrico Vincentio Chrest sac. theol. prof. provinciali Tolosae,
fr. Paulo Hieronymo Gallarato mag. provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Dominico Ponsi mag. provinciali Romano,
fr. Michaele de Vivo mag. provinciali Regni,
fr. Leopoldo Oberhueber mag. provinciali Hungariae,
fr. Nicolao Kessel mag. ac provinciali Theutoniae,
fr. Seraphino Castellani mag. provinciali Graeciae,
fr. Bernardino Membrive mag. provinciali Terrae Sanctae,
fr. Laurentio Brikner mag. provinciali Bohemiae,
fr. Ludovico Mauche mag. provinciali Provinciae,
fr. Dominico Widman mag. provinciali Saxoniae,
fr. Angelo Maria Bucich baccalaureo provinciali Dalmatiae,
fr. Henrico Hercole mag. provinciali Trinacriae,
fr. Norberto van Bilsen mag. provinciali Germaniae inferioris,
fr. Iohanne Baptista Bozzi mag. provinciali Apuliae,
fr. Ludovico Fagnani mag. provinciali Calabriae,
fr. Stephano Macaegan mag. provinciali Hiberniae,
fr. Martiali Hyacintho Guygnet mag. et provinciali Occitaniae,
fr. Thoma Angelico Ferrari mag. provinciali s. Dominici Venetiarum,
fr. Hippolyto Hyacintho Piola provinciali provinciae s. Petri Martyris,

fr. Nicolao Cannarsi mag. provinciali provinciae Aprutinae,
fr. Dominico Nusczynski mag. provinciali Russiae,
fr. Iosepho Ruault provinciali provinciae Parisiensis,
fr. Augustino Jecentowicz mag. provinciali Lituaniae,
fr. Vincentio Figus mag. provinciali Sardiniae,
fr. Caietano Benitez de Lugo mag. et dif. Hispaniae,
fr. Nicolao Bermond sac. theol. prof. dif. Tolosano,
fr. Iohanne Duclot mag. exprovinciali dif. Franciae,
fr. Thoma Laurentio Zacherini mag. dif. utriusque Lombardiae,
fr. Francisco Maria Salmini mag. et dif. Romano,
fr. Aloysio Sagnieri de Arpino mag. dif. Regni,
fr. Antonino Wingelbauer mag. dif. Hungariae,
fr. Iohanne Deutsch praedicatore generali dif. Theutoniae,
fr. Dominico Williams mag. exprovinciali dif. Angliae,
fr. Severino Oczko mag. dif. Poloniae,
fr. Thoma Antimor mag. dif. Aragoniae,
fr. Thoma Elia Beran mag. dif. Bohemiae,
fr. Antonino Arnaud mag. dif. provinciae Provinciae,
fr. Thoma Haerdlein mag. dif. Saxoniae,
fr. Cherubino Ucci mag. dif. Dalmatiae,
fr. Vincentio Raymundo Sartorio mag. et dif. Trinacriae,
fr. Christophoro a s. Thoma praesentato dif. Portugalliae,
fr. Barnaba Cavallero mag. pro provinciali Bethicae,
fr. Thoma del Valle mag. dif. Bethicae,
fr. Guillelmo Poelman sac. theol. licentiato dif. Germaniae inferioris,
fr. Antonino Villagomez mag. dif. Apuliae,
fr. Alberto Maria Mammoleto mag. dif. Calabriae,
fr. Patricio Plunket mag. et dif. Hiberniae,
fr. Iosepho Chançel mag. ac dif. Occitaniae,
fr. Iohanne Benedicto Zuanelli mag. ac dif. s. Dominici Venetiarum,
fr. Nicolao Maria de Franchis mag. dif. Armeniae,
fr. Iohanne de Cazeres praesentato dif. provinciae de Quito,
fr. Petro de la Peña lectore et dif. Philippinarum,
fr. Antonio de Torres mag. ac dif. Oaxacae,
fr. Iohanne Baptista Romanoni dif. provinciae s. Petri Martyris,
fr. Raymundo Maffettoni mag. et dif. Aprutino,
fr. Petro Prasolowicz mag. et dif. provinciae Russiae,
fr. Iohanne Seroux mag. dif. provinciae Parisiensis,
fr. Reginaldo Ryncewicz mag. dif. provinciae Lituaniae,
fr. Paulo Dominghez priore Lagunensi dif. Canariarum,
fr. Stephano Cardin mag. dif. provinciae s. Ludovici,

fr. Alberico Bridoul sac. theol. licentiato dif. s. Rosae in Belgio,
fr. Dominico Aresu et Senes praesentato dif. Sardiniae,
fr. Iohanne Dominico de Agnanis mag. socio et electore utriusque Lombardiae ac secretario capituli generalis.

Universis ordinis praedicatorum patribus et fratribus
fr. Thomas Ripoll, sacrae theologiae professor
ac eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus,
salutem ac totius legis sanctam observantiam.

Humilitate nostra iam pridem apud venerabiles exuvias s. p. n. Dominici Bononiae elevata ad supremam sacri ordinis praefecturam, meritis quidem longe imparibus, sed Deo fortiter ac suaviter (1) occultoque, sed certe nobis timendo, iusto iudicio suo operante unanimem conspirationem in cordibus suffragantium non dubitamus, fratres carissimi et desideratissimi, gaudium nostrum et corona nostra (2), quin eiusdem adsumptionis nostrae notitia statim ac expedite ad vos quoque fuerit perducta. Ubi vero confratres vestros, impatientibus votis antea expectatos a comitiorum illorum generalium celebratione redeuntes laeti atque exundante caritate festivi, primum estis in Domino complexi, fuerint procul dubio per eosdem vobis significata fervidiora illa verba, quae pro nobis impositi formidandi oneris debito ex intimis praecordiis ducta, vos quoque in illis adloquentes, ad religionis curae nostrae commissae indeficiens bonum, semel atque iterum pro virili nostra deprecantes, hortantes comminantesque effudimus. Neque enim in exponendis palam sensibus animo nostro pro re tanti momenti alte infixis, pigriores nos esse sinebat summa illa ac per secula dominicana aeternum celebranda providentia, qua ss. p. et d. n. Benedictus XIII. praeter illa, quae extrinsecus sunt, inter solicitudinem omnium ecclesiarum instantiam suam quotidianam (3), ita apostolica urgente dilectione cor et oculos in ubertim formandam religionem suam et nostram converterat, ut in eam unam solummodo intendisse videretur. Manifeste magnum hoc paternae pietatis argumentum (4) diserte loquitur pontificium breve, datum ad capitulares, quorum operae ac studio rem totam perficiendam mira dignatione commisit. Eodem quoque prius respexerat absolutissimum illud exemplum, quo idem in se se uno, sedente licet super cathedra Petri, universae legis nostrae rigidiorem custodiam, sanctitatem, plenitudinem complectens, singulos quosque nostrum ad eas-

(1) Sap. VIII, 1.
(2) Phil. IV, 1.
(3) II. Cor. XI, 28.
(4) I. Tim. III, 16.

dem iugiter non tam vocavit, quam rapuit. Quidni igitur qui gementes videbamus immenso nos intervallo secretos a dignissimo illo capite, quod ordini praeficiendum exaestuans s. p. in praefatis literis omnigeno sanctarum hortationum apparatu vocalibus ipsis mandaverat, in hac unica solicitudine tanti capitis illustres characteres aemulari debebamus?

Audistis itaque et quam fervida oratione excitare conati simus obedientiam debitam praesentibus hisce actis, ne vos praetereat narratio seniorum (1); ipsi enim didicerunt a patribus suis, quae vobis imposuerunt, atque ut ambuletis in via bona, et inveniatis refrigerium animabus vestris (2). Et qua efficacia constitutionum ordinis observantia fuerit a nobis promota, ut unusquisque vestrum, in qua vocatione vocatus est, in hac permaneat apud Deum (3). Audistis fortem illam dilectionem, qua perciti erga vestrum singulos, quos in visceribus cordis nostri gerimus, vos quoque omnes sumus adhortati, ut posthabito quovis medio domestico, ac nobis quoque acceptissimo, ad nosmetipsos verbo vel scripto necessitudines vestras, congrua vestra desideria, fidenter referatis, rati, replendos vos ab ubere consolationis vestrae (4). Audistis praeterea, qua aequissima execratione invecti fuerimus, et qualia paraverimus arma utraque parte acuta (5) contra quomodocumque invadentes superiorum rectitudinem, legum sanctitatem et universae religionis sacratissimum statum, per obsidentem externarum personarum protectionem, ut saltem timore poenae consummetur praevaricatio, finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas (6). Sed et denuntiatum censemus vobis magnum illum dicendi aestum, quo nos tenacissimi custodes doctrinae s. Thomae et inde magni p. Augustini tum caeterorum patrum per os Angelici ubique loquentium, eandem maximopere commendatam vobis voluimus; unde nulla ratione declinetis a verbis oris illius (7), memores, et hoc augustum esse ac invidendum religionis patrimonium, referendum inter ea, quae Altissimus maxima et pretiosa nobis promissa donavit (8), utpote datum optimum, donum perfectum, descendens a patre luminum (9).

Ea igitur ducti consideratione, ne oneri essemus vobis (10), et quidem in vacuum, missas fecimus encyclicas, adsumptionem nostram ac vestram

(1) Eccli. VIII, 11.
(2) Ier. VI, 16.
(3) I. Cor. VII, 20.
(4) Is. LXVI, 11.
(5) Apoc. I, 16.
(6) Dan. IX, 24.
(7) Prov. IV, 5.
(8) II. Petri I, 4.
(9) Iac. I, 17.
(10) I. Thes. II, 7.

eruditionem, denuo referentes. Verum facta nobis nova ad vos scribendi occasione, ut acta praedicti generalis capituli canonica ratione ad manus usque vestras pertingant, temperare nobismetipsis iam nequimus, quin superiora illa hortamenta recolentes urgeamus, qui non scribimus vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam (1).

Itaque pergite in primis, pergite, carissimi, in exequutionem perfectam eorum, quae mandant sacrae ordinis constitutiones, permanentes in iis, quae didicistis et vobis sunt credita, scientes, a quo didiceritis (2). Hac quippe ratione vitam vestram ad apostolicae normam componere satagetis, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem facientes non deficiatis (3). Optima et praeclara instituta, quae praecipue per ss. p. n. Benedictum pp. XIII. in eadem acta capitularia, Domino dante benedictionem, descenderunt, ultro suscipite, opere complete, ne perdatis quae operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis (4). Memineritis sacramenti, quo Deo, quo religioni pro vestra, pro salute proximorum obstricti estis. Quapropter curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem (5). Si quid boni ab auctoritate nostra posse in vos redundare noveritis, accedite ipsi vos ad patrem vestrum, nolite pavere, pro salute enim vestra misit nos Deus ante vos (6). Vae tamen, vae magnum illi, ad quem descendens diabolus habens iram magnam (7), eundem in contemptum emissae professionis, in certam sanctae religionis perniciem movebit, ut per quamlibet ordini extraneam personam extorquere conetur qualemcumque a nobis favorem. Ultra insuperabilem ac semper instantem divinam ultionem, illum insequetur constanter, ac magis magisque arrepta studiose congrua occasione, brachium nostrum; nec enim perfunctorie commissa est nobis sancitarum legum custodia, neque nos sine causa spiritualis potestatis gladium portamus, vindices in iram ei, qui male agit (8).

Postremo quidem, sed non infimo loco, iterum iterumque commendatam vobis volumus individua ratione cum praeconio apostolicae vocis ss. d. n. Benedicti in suis ad capitulares literis, et multo luculentius in brevi

---

(1) I. Ioh. II, 21.
(2) II. Tim. III, 14.
(3) II. Petri I, 10.
(4) II. Ioh. 8.
(5) II. Petri I, 5-7.
(6) Gen. XLV, 5.
(7) Apoc. XII, 12.
(8) Rom. XIII, 4.

« *Demissas* » (1), tumque cum firmissimis decretis praesentis capituli generalis veridicam et catholicam (2) certissimamque christianae doctrinae regulam, doctrinam vere angelicam s. Thomae (3), ut eam studeatis totis viribus ampliare (4). In primis idipsum dicentes omnes (5), quod ille dixit; praecipue vero in laudem gloriae gratiae Dei (6) et praedestinationis secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae (7). Nostis iam, verba nostra potissimum ferri ceu in tesseram thomisticae scholae, in gratiam suapte vi intrinseca per se efficacem et gratuitam praedestinationem, quas laudabiliter hactenus docuisse vos, auctor est catholico mundo Benedictus XIII (8). Depositum, et quidem sanctum depositum custodite (9), perpetua efferentes voce, quod accepistis, non quod probastis; quod traditum, non quod inventum; quod s. magistri atque adeo quod Augustini, quod totius retroactae venerabilis antiquitatis, non quod novitium, quod vestrum est. Itaque doctrinis variis et peregrinis nolite abduci (10), devitantes quoque profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae (11), ut indivulse ac perfecte uni adhaereatis Angelico. Quae quidem omnia non tam consulimus quam, si opus est, districte mandamus sub interminatione severissimae indeclinabilis iustitiae contra quemcumque vel leviter ad sensa s. Thomae contraria declinantem. Sic consultum provisumque et nos volumus religionis certae sacraeque eruditioni, decori, paci, sanctitati, intelligentes, et Deum ipsum, qui non est Deus dissensionis, sed pacis (12), velle, ut sitis perfecti in eodem sensu et in eadem sententia (13). Haec facientes non peccabitis aliquando (14).

Reliquum tamen est, ut praemissos conatus, quos nobis a Deo implantatos speramus, idem misericordi benedictione sua desuper implere dignetur, quo bonum facientes non deficiamus (15). Obsecramus ergo vos,

(1) Cfr. infra pag. 14, l. 30 sqq.
(2) Urbanus V. ad Tholosanos. Cf. BO.II, 259 n. V.
(3) S. Pius V. in Bulla « *Mirabilis* ». Cf. BO.V, 155 n. XXXVIII.
(4) Urbanus V. ibidem.
(5) I. Cor. I, 10.
(6) Eph. I, 6.
(7) l. c. 11.
(8) In brevi « *Demissas* ». Cf. infra pag. 15 l. 31 sqq.
(9) I. Tim. VI, 20.
(10) Heb. XIII, 9.
(11) I. Tim. VI, 20.
(12) I. Cor. XIV, 33.
(13) l. c. I, 10.
(14) II. Petri I, 10.
(15) Gal. VI, 9.

fratres, per dominum nostrum Iesum Christum et per caritatem sancti Spiritus, ut adiuvetis nos, et quidem cum sociis nobiscum adlaborantibus, in orationibus vestris pro nobis ad Deum (1). Valete.

Acta capituli generalis provincialium et diffinitorum Bononiae celebrati in conventu s. p. n. Dominici ad festum s. Pentecostes a die 19 maii 1725 sub reverendissimo patre fr. Thoma Ripoll, sacrae theologiae professore, ordinis praedicatorum generali magistro, eo die in praedicto capitulo electo.

In nomine ss. et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti necnon b. Mariae semper virginis et beati Dominici p. n. atque omnium sanctorum.

Denuntiationes.

Denuntiamus, ss. d. n. Benedictum pp. XIII, ordinis nostri, cuius suavi nutu et acceptissimo imperio praesens capitulum generale electivum Bononiae ad venerabile sepulcrum beatissimi patriarchae nostri Dominici celebratum est, et quidem ante tempus alias per leges nostras statutum, per pontificium breve suum singulari certe ac perpetuo efferenda dignatione constituisse, ut suo ac apostolicae sedis nomine huic nostro capitulo praesideret vir ille magnus, reverendissimus pater fr. Angelus Guillielmus Molo, Novocomensis, procurator generalis ordinis, facta ipsi potestate a conventu capitulari removendi quoscumque, qui secularium potestatum obtentu essent impedimento electionis praedictae libertati, quam summam rectissime voluit supremus fidelium pastor ac pater, solo Spiritus sancti afflatu ad apostolatus culmen evocatus. Tenor autem brevis est eiuscemodi:

Dilecto filio Angelo Guillielmo Molo, ordinis fratrum praedicatorum procuratori generali, in sacra theologia magistro.

Benedictus pp. XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, capitulum generale tui ordinis fratrum praedicatorum propediem, benedicente Domino, in conventu s. Dominici civitatis nostrae Bononiensis celebrandum sit, nos cupientes, ut capitulum huiusmodi recte et feliciter ad Dei laudem et dicti ordinis, quem nos, uti eiusdem alumni et expresse professi, paterno semper prosequemur affectu, utilitatem celebretur, te, de cuius pietate, prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in praefato capitulo generali nostro et

(1) Rom. XV, 30.

apostolicae sedis nomine praesidentem, ultra facultates tibi in vim constitutionum ipsius ordinis auctoritate apostolica confirmatarum competentes, cum facultate etiam votum, sive suffragium in eodem capitulo habendi, licentiam accedendi ad supradictum capitulum iis religiosis, qui magni momenti negotia ibidem proponenda seu tractanda habebunt, concedendi ac illos, qui absque eiusmodi licentia ad memoratum capitulum se conferent, puniendi, delinquentes corrigendi eisque poenas irrogandi, ac pariter eos omnes, qui insolescere et praesertim vocalibus nomine secularis potestatis terrorem incutere auderent seu praesumerent, a conventu capitulari removendi, necnon quando in actibus capitularibus propter infirmitatem interesse non poteris, aliquem religiosum ordinis praedicti, tibi bene visum, in tui locum ad eiusmodi praesidentis munus obeundum cum auctoritate et facultatibus tibi per praesentes concessis substituendi, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, teque in Domino hortamur et monemus, ut capitulum huiusmodi feliciter regere ac in illo omnia, quae ad prosperum eiusdem ordinis regimen et gubernium pertinent, decerni, statui et ordinari cures et facias. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae vocalibus in praedicto capitulo congregatis aliisque, ad quos pertinet, ut te in eiusdem capituli, nostro et dictae sedis nomine, praesidentem reverenter suscipiant tibique ac per te substituendo religioso huiusmodi in omnibus ad praesidentis praefati officium pertinentibus pareant, obediant et assistant, tuaeque et eiusdem religiosi a te substituendi salubria monita et iussa humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 7. aprilis 1725, pontificatus nostri anno primo.

F. card. Oliverius.

2. Denuntiamus, laudatum Iesu Christi in terris vicarium, Benedictum XIII. apostolica, eaque vere paterna rebus suae religionis prospiciente providentia, datis aliis literis in forma brevis ad capitulares non modo hosce omnes gravissime et constantissime excitasse, ut semel aperto

generali diffinitorio qua opportunis statutis, qua seriis praeceptis, qua contentione zeli, qua demum iustae animadversionis propositione, avitae regularis disciplinae atque illustris doctrinae perennitatem firmiter promoverent per nos ipsos, verum et in primis oculos convertentem ad optimi capitis saluberrimam sanctamque electionem, unde in caetera membra castigatioris religiosaeque vitae ac eruditionis se se vigor effunderet, hanc electionem semel iterumque maximo aestuantis caritatis impetu percitum commendasse in haec verba, non sine teneriorum lacrymarum iucunda effusione legenda:

Dilectis filiis fratribus ordinis praedicatorum, ad capitulum generale Bononiam convocatis.

Benedictus pp. XIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Nostro quidem erga praedicatorum ordinem amori, quem observantia primum filialis aluit, tum paternae caritatis studia confirmarunt, iucundissimum accidisset, si vos, dilecti filii, pro generali ordinis magistro eligendo in hanc almam urbem ad capitulum convenientes complecti, comitiisque vestris praeesse potuissemus; sed libertatem consiliorum actorumque vestrorum quibusvis solatiis nostris anteponentes, ea nos voluptate fraudavimus, uberiorem consolationem ex rebus canonice et ordine gestis percepturi, quam si optatis nostris obsecundantes eius laetitiae compotes fuissemus. Itaque satis intelligitis, dilecti filii, quanta solicitudine vos adhortemur et apostolici ministerii auctoritate vobis praecipiamus, ut nullis officiis humanisque studiis adducti, sed solius divini honoris et regularis disciplinae habita ratione, eum totius ordinis magistrum eligatis, qui s. p. Dominici laudatissimis institutis ferventis accurataeque observationis robur adaugeat, maiorum sanctissima exempla repraesentare, et si quis animorum remissione torpor obrepserit, depravata convertere et collapsa reparare nitatur. Nos autem, quibus comitiorum utilitas corpore abesse suasit, ne paternae quoque vigilantiae officio abesse videamur, curas etiam nostras sollertiae vestrae adiungendas, et quae opem vestram postulare censemus, ad ea zelum vestrum nostris hortationibus excitandum duximus. Primum igitur providere vos decet, ut matutinum officium de nocte recitetur, ita ut nocturno tempore coeptum de nocte etiam absolvatur, idque in omnibus conventibus, non solum ubi novitiatus purus, sed ubi etiam professorium est, observetur. Quod autem de recitandi hora in quibusdam provinciis statutum est, in caeteris servari oporteret, ut nimirum mense septembri hora septima, octobri octava, novembri nona, decembri decima, omnes sine dispensatione ad divinam laudem evigilarent, depositionis poena prioribus intentata. Deinde ut, quacumque contraria consuetudine sublata, restituatur observatio salutaris constitutionum per generalia ca-

pitula saepius confirmata, ne quis a choro se exemptum omnino putet; quamobrem vobis etiam atque etiam commendamus, quae statuta sunt in generali capitulo tam anni 1694, sub titulo: Pro observantia regulari, ordinatione 2., quam anni 1656 declaratione 12., ubi diserte declaratur, omnes fratres ordinis, cuiuscunque dignitatis, officii aut gradus fuerint, nemine prorsus excepto, obligari ad assiduam chori tam nocturni quam diurni sequelam, demptis solis lectoribus actualibus et magistris actu docentibus. Declarationem quoque 9. capituli generalis Bononiensis habiti anno 1706 de officio hebdomadarii ab omnibus non legitime impeditis seu dispensatis personaliter implendo, confirmandam ac muniendam zelo vestro committimus; deque animadversione detrectantium ibidem constituta, ut provincialium conscientiam gravetis, vehementer optamus. Ut vero diligenter servetur, quod capitulum generale Valentinum anni 1647 ordinatione 3. decrevit de compellendis etiam graduatis et magistris ad confessiones secularium excipiendas, valde opportunum fore censemus, si praescripseritis, neminem ex patribus suffragii ferendi in capitulo provinciali ius habentibus ad suffragandum admitti debere, nisi tam patentes literas ordinarii exhibuerit, quibus ad confessiones secularium audiendas probatum esse constet, quam in diffinitorio testimonium iureiurando firmatum et subscriptis trium patrum nominibus, ubi sit idoneus religiosorum numerus, quibus appareat, non infrequenter huic ministerio vacasse aut valetudinis vel muneris alicuius impedimento a pii operis exercitatione necessario abfuisse. Consentaneum quoque esset praecipere, ne caeteri fratres, sacerdotio initiati, a provincialibus ad sanctimonialium confessiones admittantur, atque ut patres simplices a paternitate consilii penitus arceantur, nisi antedictas patentes literas ac testimonium produxerint. Nihil tamen magis cordi nobis est, quam quod de uniformitate in cibis ac cellis tam per constitutiones quam per comitia generalia praescriptum est; nimirum ut nulli ex fratribus sive priori sive inquisitoribus sive magistris in theologia quidquam in mensa ministretur, quam quod caeteris fratribus ministrari solet, ut praecipit capitulum generale habitum anno 1694 sub poenis ibidem sancitis. Ac praeterea ut nemini liceat, nisi ex causa infirmitatis in cella comedere, sed omnes, etiam inquisitores tam mane quam sero in communi refectorio, infirmaria vel in hospitio cum superioris licentia comedant, ut in mandatis s. Pii V., praedecessoris nostri, ordinatione 15. continetur, sub poenis ab eodem constitutis. Ut denique fratres in communi dormitorio habitent, atque in eo etiam inquisitores dormiant, nec quisquam religiosam cellae formam excedat, ut mandata eiusdem sancti praedecessoris nostri praecipiunt ordinatione 9., quae rursus superioribus localibus iniungunt, ut sublata cellarum pluralitate eas ad religiosam formam et fratrum usum reducant, et quos renuentes

repererint, per propositas ibidem poenas parere compellant. Quod autem tam graviter a constitutionibus interdictum est, ne fratres lineis utantur ad carnes, nec etiam infirmi, quodque indicatum saepe capitulum generale anni 1694 declaravit ipso facto iuribus et privilegiis necnon voce activa et passiva privatos esse, qui tunicellas lineas deferant, nec licere provincialibus licentiam concedere lineis utendi indusiis, prae oculis vos habere oportet. Sed et illud in primis, ne quisquam ex fratribus aut frequenter domo exeat, aut solus aut sine superioris permissu aut non satis compositus incedat. Omnia denique salubriter constituta atque in eodem capitulo generali sapientissime renovata ad firmandum propagandumque studiorum cultum, prudentiae curaeque vestrae maiorem in modum commendata esse volumus, fore sperantes, ut per solicitudinem vestram tam regularis disciplinae quam sacrae doctrinae pristinus splendor novis incrementis augeatur. Quoniam autem praecipuum momentum officii vestri, votique nostri, in optima magistri generalis electione vertitur, eo curas et preces intendite, ut inclyto ordini per vestra suffragia ille praeficiatur, qui vigilantiae incitamentis vitaeque exemplis ita caeteros ad religiosissimi instituti sanctitatem provocet et inflammet, ut quos a maioribus vestris haec sancta sedes et catholica religio fructus provenisse laetatur, eosdem, Domino dante benignitatem, uberius in dies a beati patris Dominici familia provenire gratuletur. Ac vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 8. aprilis 1725, pontificatus nostri anno primo.

Carolus archiepiscopus Emissenus.

3. Denuntiamus, consequenter ad praedicta die 19. maii labentis anni 1725, pervigilio Pentecostes, vacante ordinis magisterio propter adsumptionem ad sacram purpuram spectatissimi ac reverendissimi p. fr. Augustini Pipia, servatis omnibus ad canonicam eiuscemodi electionem pertinentibus, summa bonorum omnium gratulatione, mira eaque aperte satis a Spiritu sancto descendente vocalium consensione, electum fuisse in reverendissimum ordinis magistrum p. fr. Thomam Ripoll, Hispanum, magistrum ac provincialem Aragoniae illumque Barchinonensis coenobii alumnum clarissimum, qui bonae memoriae reverendissimo p. fr. Antonino Cloche socius factus atque ab eo provincialis Terrae Sanctae renuntiatus, perque annos ferme viginti in negotioso illo munere eidem adhaerens, confirmatae suae eruditionis in legibus ordinis et in doctrina s. Thomae, necnon singularis dexteritatis in agendis rebus sacris ad Dei gloriam, ad illustriorum hominum sacrum cultum, adque incrementum et honorem religionis conducentibus copiam fecerat, tanto generali magistro, urbi ac ordini longe

acceptissimus. Quali porro dignatione summus pontifex talem exceperit electionem et quo in pretio habuerit electum ipsum, ad pedes suos statim quo licebat modo per humillimam epistolam provolutum, palam faciunt aliae apostolicae literae in forma brevis ad eundem magistrum generalem electum datae, tenoris sequentis:

Dilecto filio Thomae Ripoll, ordinis fratrum praedicatorum magistro generali.

Benedictus pp. XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Quod a patre luminum fusis precibus demisse contendimus, ut inclyto praedicatorum ordini eum praeficeret magistrum, cuius exemplis, studiis curisque ad partas religiosissimi instituti laudes nova incrementa disciplinae regularis accederent, Domino supplicibus votis annuente, iam feliciter evenisse rati sumus, cum tibi concordibus suffragantium animis impositum dilectissimae familiae ministerium accepimus.

Nec veremur, ut vigilantia tua perspectissimae prudentiae coniuncta tam optatis nostris quam delati tibi muneris officiis sit cumulatissime responsura. Nos certe non solum pro veteri tecum necessitudine, quam in minoribus constituti diligenter coluimus, sed pro catholicae quoque ecclesiae rationibus enitemur, ut nulla tibi desint praecipuae benevolentiae testimonia et apostolicae solicitudinis ac benignitatis praesidia. Tibi igitur oblatam amplissimorum meritorum segetem totique ordini comitiorum successum electionemque dignissimam gratulamur, Deumque omnipotentem obsecramus, ut laetitiam nostram uberrimis tuae sapientiae sollertiaeque fructibus magis in dies confirmet et augeat, ac tibi, dilecte fili, paternae nostrae caritatis testem divinique subsidii et secundae administrationis auspicem apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 25. maii 1725, pontificatus nostri anno primo.

Carolus archiepiscopus Emissenus.

4. Denuntiamus, singularissimum illud privilegium a s. S. collatum ordini nostro per aliud breve, quo altare privilegiatum per s. mem. Gregorium XIII. fratribus nostris domus s. Vincentii, alias Annuntiationis b. Mariae virginis loci Racconisii Taurinen. dioecesis, provinciae utriusque Lombardiae, celebrantibus in altare ss. Rosarii in eorum ecclesia constructo vel construendo pro confratrum animabus confraternitatis ibidem erectae concessum ad quoscumque sacerdotes dicti ordinis ac ad omnia altaria ecclesiarum eiusdem necnon in suffragium animarum omnium christifidelium defunctorum extenditur et ampliatur in haec verba:

Benedictus pp. XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Augustinus Pipia, magister generalis ordinis fratrum praedicatorum, quod dudum fel. rec. Gregorius pp. XIII., praedecessor noster, ut ecclesia domus s. Vincentii, alias Annuntiationis b. Mariae virginis loci Racconisii, dicti ordinis, Taurinen. dioecesis, in qua confraternitas rosarii canonice, ut acceperat, instituta erat, simili eo usque privilegio minime decorata et in ea altare eiusdem rosarii, quod maius non erat, hoc speciali dono illustraretur, auctoritate sibi a Domino tradita concessit, ut quoties ab aliquo dictae domus sacerdote dumtaxat missa defunctorum ad praedictum vel aliud sub eadem invocatione, impensis quondam I. Baptistae a Sabaudia pro bon. mem. Carolo Emanuele, dum vixit, Sabaudiae duce apud memoratum Gregorium praedecessorem et sedem apostolicam oratoris sumptuose in eadem ecclesia construendum altare, quod etiam maius non esset, celebraretur, pro anima cuiuscumque christifidelis dictae confraternitatis, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migrasset, ipsa de thesauro ecclesiae indulgentiam consequeretur, quatenus domini nostri Iesu Christi et b. virginis Mariae, beatorum Petri et Pauli aliorumque sanctorum omnium meritis suffragantibus a purgatorii poenis liberaretur, prout in dicti Gregorii praedecessoris literis sub plumbo desuper ad perpetuam rei memoriam anno incarnationis dominicae 1582, 3. kalendas septembris, pontificatus sui anno 11., expeditis uberius continetur, ac postmodum nonnulli Romani pontifices, pariter praedecessores nostri, ut omnes indulgentiae concessae specialiter vel generaliter aut quocumque modo uni vel pluribus confraternitatibus sanctissimi rosarii huiusmodi vel etiam confratribus et sororibus alicuius confraternitatis in aliqua particulari ecclesia erectae omnibus confraternitatibus eiusdem rosarii impertitae et communes esse intelligerentur, dicta auctoritate indulserunt, prout in literis fel. mem. Innocentii pp. XI., etiam praedecessoris nostri, summarii indulgentiarum et gratiarum spiritualium praedictis confraternitatibus ab iisdem Romanis pontificibus concessarum confirmatoriis desuper in simili forma brevis die 31. iulii 1679 expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Augustinus magister generalis ordinis praefati, cuius institutum et regulam expresse professi sumus, privilegium praedictum per nos ut infra extendi summopere desideret, nos piis ipsius Augustini magistri generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censen-

tes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, privilegium pro liberandis a purgatorii poenis fidelium confratrum defunctorum animabus ab ipso Gregorio praedecessore concessum, ut praefertur, ad quoscumque sacerdotes dicti ordinis et ad omnia altaria ecclesiarum praefati ordinis in suffragium animarum omnium fidelium defunctorum in purgatorio existentium, etiamsi in libro confraternitatis eiusmodi sanctissimi rosarii descriptae minime reperiantur, eadem auctoritate perpetuo extendimus et ampliamus. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis adinstar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 22. septembris 1724, pontificatus nostri anno primo.

F. card. Oliverius.

5. Denuntiamus, eundem sanctissimum demisse ac opportune delatis ad se per tunc reverendissimum p. generalem, nunc eminentissimum cardinalem Pipia, aequissimis religiosorum nostri ordinis conquestionibus super calumniis impudenter intentatis doctrinae ss. pp. Augustini et Thomae et inde nostrae, praecipue quidem circa gratiam per se et ab intrinseco efficacem ac aeternam praedestinationem a meritorum praevisione independentem dedisse alias literas in forma brevis ad universos quidem eiusdem nostri ordinis professores, sed, ut ipse testatur, ex apostolatus specula, quibus eandem doctrinam non tantum a quibuscumque vindicat calumniis, sed apostolicis effert encomiis nobisque enixe commendat; hancque gloriam thomisticae scholae gratulatur, ut sectatorum suorum splendidus character sit sanctae sedi addictissima haerere obedientia atque opiniones male partas sive ab illa proscriptas iugiter aversari omnique argumentorum genere evertere et dissipare. Verum haec luculentius loquetur breve ipsum solatii plenum:

Dilectis filiis universis fratribus ordinis praedicatorum professoribus.

Benedictus pp. XIII. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Demissas preces et aequissimas conquestiones vestras, quas dilectus filius Augustinus Pipia, totius ordinis magister generalis, religiosae vitae exemplis ac doctrina prudentiaque commendatissimus, supplici libello ad nos detulit, ea benignitate complexi sumus, quam et vestra in catholicam religionem amplissima merita et nostra, quam dudum professi sumus,

erga ordinem praedicatorum observantia filialis, nostraeque demum humilitati impositum paternae caritatis et solicitudinis officium postulabant. Quod igitur aegre admodum, ut par est, molesteque feratis, erroribus a fel. rec. Clemente papa XI., praedecessore nostro, per constitutionem, quae incipit: « Unigenitus Dei filius », saluberrimo et sapientissimo iudicio reiectis, damnatisque augustinianae et angelicae doctrinae nomen obtendi; indeque audere nonnullos apostolicae auctoritati ac vestrae existimationi detrahere, quod ipsa vestrarum sententiarum capita eius constitutionis censuris notisque inusta esse calumnientur; iustam quidem animorum vestrorum offensionem laudi damus, qua nimirum vos germanos sancti Thomae discipulos maxime probastis; magisterio enim tanti doctoris imbutos nihil decet magis, quam ut in addictissima huic sanctae sedi fide obedientiaque praecipuum studiorum suorum fructum et laudem collocent, et absonas refragrantesque apostolicis decretis opiniones non aversentur modo, sed per arma etiam lucis et veritatis dissipent et evertant. Tantum tamen abest, ut vicem vestram doleamus, ut vobis potius gratulemur, quod hac etiam in parte causa vestra ab huius sanctae sedis rationibus seiuncta esse non potuerit, quodque alienae prorsus calumniosaeque interpretationes ad conflandam memoratae constitutioni invidiam temere excogitatae ad iniuriam quoque vestri nominis redundarint. Caeterum non adeo vobis erat aut dolendum aut mirandum, quod cum ipsis divinorum librorum oraculis et apostolicis definitionibus pro impotenti obfirmatoque partium studio passim vis afferatur, haec eadem contentionis pervicaciaeque licentia angelicam doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potius iure mirandum, quod tam praepostero consilio in hac causa locus esse potuerit, ubi sancti Thomae exploratissimis sententiis damnati errores disertissime confutantur. Quandoquidem omnipotentis Dei providentia factum est (1), ut angelici doctoris vi ac veritate doctrinae non solum innumerae, quae vel ipsius aetate vel antea grassatae sunt, sed multae etiam, quae deinceps exortae sunt, haereses, confusae et convictae dissiparentur. Magno igitur animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas sententiis vestris de gratia praesertim per se et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita praedestinatione ad gloriam sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis et quas ab ipsis ss. doctoribus Augustino et Thoma se hausisse et verbo Dei summorumque pontificum et conciliorum decretis et patrum dictis consonas esse schola vestra commendabili studio gloriatur. Quum igitur bonis et rectis corde satis constet, ipsique calumniatores, nisi dolum loqui velint, satis perspiciant,

(1) Pius V. in bulla « *Mirabilis Deus* ». 1567.

ss. Augustini et Thomae (1) inconcussa tutissimaque dogmata nullis prorsus antedictae constitutionis censuris esse perstricta, ne quis in posterum eo nomine calumnias struere et dissensiones serere audeat, sub canonicis poenis districte inhibemus. Pergite porro doctoris vestri opera sole clariora sine ullo prorsus errore (2) conscripta, quibus ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit (3), inoffenso pede decurrere ac per certissimam illam (4) christianae doctrinae regulam sacrosanctae religionis veritatem incorruptaeque disciplinae sanctitatem tueri ac vindicare. Haec sunt enim, dilecti filii, quae praedecessores nostri de s. Thomae doctrina senserunt et praedicarunt, quaeque nos non modo ad curarum vestrarum lenimentum, sed ad animi quoque nostri solatium libentissime usurpamus et praeconio apostolicae vocis efferimus. Inclytus enim ordo iste, cui nomen dedimus et quem expresse, Domino miserante, professi sumus, eodem angelicae doctrinae lacte nos aluit, ac licet impari institutionis fructu ad gerendam ecclesiarum solicitudinem eduxit, ut privato etiam diuturnoque colendarum artium experimento ediscere potuerimus, quod ex apostolatus specula per hasce literas annuntiamus. Deum interea, qui pacem et veritatem diligendam praecipit, supplices rogate, ut sincero angelici doctoris studio omnes in simplicitate cordis nitantur, quae ille docuit, intellectu conspicere atque in unitate spiritus et caritate fraternitatis, quae ille egit, imitatione complere. Ac vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 6. novembris 1724, pontificatus nostri anno primo.

Carolus archiepiscopus Emissenus.

6. Denuntiamus, breve, quo auctoritate apostolica per d. n. Benedictum pp. XIII. confirmantur decreta S. R. E. cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum, quibus declaratum est, ius constituendi, removendi et visitandi minores poenitentiarios basilicae Liberianae esse penes provincialem Romanum. Tenor autem brevis est huiusmodi:

Benedictus pp. XIII. Ad futuram rei memoriam. Emanarunt alias a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum in causa seu causis inter tunc existentes eiusdem S. R. E. cardinalem maiorem poenitentiarium ex una et provincialem provinciae Romanae et priorem conventus s. Mariae super Miner-

(1) Alexander VII. in brevi incipiente « *Literas* ». 1661.
(2) Clemens VIII. in brevi incipiente « *Dilecte fili* ». 1603.
(3) In collecta fest.
(4) Pius V. in bulla ut supra.

vam de Urbe, ordinis praedicatorum, ex altera partibus, de et super facultate constituendi ac removendi minores poenitentiarios basilicae Liberianae seu sanctae Mariae maioris Urbis, ac ordinis praedicatorum eorumque subiectione vertentibus decreta tenoris, qui sequitur, videlicet: Romana. Poenitentiariorum minorum Liberianae basilicae. Prae caeteris curis, quibus apostolica solicitudo premitur, ea comperitur praecipua, quae circa poenitentiale forum versatur, adeo merito ut Romani pontifices exoriente ecclesia eidem muneri per seipsos sedulo incumberent, ac deinde negotiorum mole oppressi nobiliora ecclesiasticae hierarchiae membra S. R. E. cardinales addixerit, neque primum ab huiusmodi onere ipsi relevati fuerunt, nisi quum publicis magnisque occupationibus eos distineri oportuit. Tum quidem probi sacerdotes poenitentiario officio suffecti extiterunt, qui fidelibus undequaque ad sacra limina confluentibus praesto essent sub cura et iurisdictione unius ex S. R. E. cardinalibus, maioris poenitentiarii nomine nuncupati. Hic sane tamquam summi pontificis vicarius in Foro Poli memoratis sacerdotibus minoribus poenitentiariis praesidere coepit eosque eligere ac in nobilioribus Urbis basilicis promiscue deputare consuevit, tum ex seculari tum ex regulari coetu, variisque ex nationibus et linguis. Perseveravit ultimo recensitus poenitentiariae status, quousque sanctus Pius V. in meliorem partem eum vertere censuit simulque tribus religionibus optime meritis gratificari voluit, proindeque sub anno 1568 constituit, quod in Liberiana basilica patres praedicatores eligerentur minores poenitentiarii, in Lateranensi patres minores ac in Vaticana ex societate Iesu assumerentur. Quin etiam prae aliis maiori beneficentia prosequi volens religionem s. Dominici, sub cuius vexillo vitam ab adolescentia instituerat, non sat habuit correligiosis suis ius electionis passivum decernere, quemadmodum binis recensitis religionibus constituit, sed ulterius dispositionem eorum favore exaravit, quod sex tantum poenitentiarii minores ordinis praedicatorum in dicta basilica Liberiana existerent, ex unica lingua Italica et ex provincia Romana, tributa facultate provinciali dictae provinciae vel priori conventus sanctae Mariae super Minervam eligendi ac removendi eosdem minores poenitentiarios ac certos exercendi actus iurisdictionales in eos privative quoad cardinalem maiorem poenitentiarium, exceptis respicientibus curam officii poenitentiarii, ut latius ex apostolico diplomate sub die 1. septembris anno 1568. Sed statim vix praeterlapsis diebus octo aliam edidit constitutionem, in qua sicut ius eligendi provinciali Romanae provinciae sive priori conventus sanctae Mariae supra Minervam attribuit, ita onus ipsos manutenendi tanquam religiosos ex sua mensa monasterio praedicto addixit, ac pro subsidio eidem monasterio univit abbatiam sanctae Mariae Macularum loci sancti Ginesii, cum eo tamen, ut ipse prior de fructibus,

redditibus et proventibus praedictis pensionem annuam 300 scutorum auri in auro eisdem sex poenitentiariis et duobus conversis annis singulis duobus terminis aequaliter in perpetuum persolvere teneatur etc. Si quid vero dicta summa 300 scutorum persoluta reliquum erit, illud omne in communes dictae domus usus convertatur. At vero s. mem. Sixto V. placuit iterum statum poenitentiariae Liberianae innovare; quandoquidem sedulo idem pontifex animo volvens, quod inter ipsos basilicae canonicatus neque theologalis praebenda neque poenitentiaria erecta comperiebatur iuxta sacri concilii Tridentini sanctiones, sed ex veteri instituto sex minores poenitentiarii fidelibus expiandis operam dabant, proindeque congruum omnino reputans, quod ex mensae capitularis fructibus alimenta ipsis suppeditarentur, hinc memoratus pontifex inquit, motu proprio, canonicatum et praebendam tunc vacantem supprimimus et extinguimus eorumque sic suppressorum fructus et proventus ac etiam distributiones quotidianas, emolumenta certa et incerta, ordinaria et extraordinaria, et quae anniversaria mortuorum ac anni sancti seu iubilaei, ac quovis modo appellantur et solis praesentibus et divinis officiis et horis canonicis diurnis et nocturnis personaliter interessentibus dari solita etc. eidem collegio et poenitentiariis huiusmodi per eos ac pro tempore existentes poenitentiarios basilicae sanctae Mariae maioris praedictae integre pariformiter et aeque principaliter ac sine ulla diminutione et differentia, ac si canonicus pro tempore existens actu semper interesset, et quoad hoc perinde ac si suppressio ipsa facta non fuisset, ita tamen quod ipsi poenitentiarii stallum in choro aut vocem locumve in capitulo non habeant, perpetuo applicamus et assignamus etc., ubi collegium poenitentiariorum nuncupatur. Hac quidem innovatione intactum pp. praedicatoribus ius electionis passivum procul dubio remansit, verum cardinalis maior poenitentiarius, ut praetendit, reassumere ac usque adhuc continuare coepit ius activum eligendi ex tota dicta religione minores poenitentiarios tum vigore nativae eius facultatis cum evidentius ex speciali iure ipsi nuncupato in brevi, quod expeditum fuit a s. mem. Urbano VIII. favore cardinalis Sancti Honuphrii maioris poenitentiarii sub hac verborum periodo: Minores poenitentiarios et alios quoscumque officiales eiusdem officii poenitentiariae arbitrio tuo deputare vel confirmare seu a dicto Scipione episcopo et cardinali maiori poenitentiario, dum vixit, vel etiam a fel. rec. Clemente VIII., Paulo V. et Gregorio XV. ad eorum beneplacitum et alio quovis modo deputatos removere et alios sibi benevisos in illorum locum substituere et alia quaecumque necessaria et opportuna facere libere et licite possis et valeas, non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis. Quae facultates maioribus poenitentiariis successoribus cum expressa subrogatione ad haec

usque tempora renovata fuerunt. Verum enim vero pp. praedicatores sibi ipsis persuadentes integram intactamque remansisse formam brevis s. Pii V., inde a tempore quo apostolicum clavum gerebat s. mem. Innocentius X. contendere coeperunt, ad provincialem Romanae provinciae sive priorem conventus s. Mariae supra Minervam ius eligendi minores poenitentiarios pertinere. At vero plurium testium usque ab anno 1646 depositionibus formiter receptis circa quasi possessionem cardinalis maioris poenitentiarii, discussaque controversia in congregatione particulari trium S. R. E. cardinalium, ad enixas preces iam dictorum patrum deputata, nihil prorsus obtinuerunt nec minus voti compotes effici potuerunt temporibus s. mem. Alexandri VII. His tamen non obstantibus, iidem patres iterum autumantes, ius eligendi minores poenitentiarios ad regulares superiores praememoratos spectare, quodque plures ipsi exercuerint iurisdictionis actus in collegium huiusmodi poenitentiariorum, recursum suppliciter habuerunt ad sanctissimum dominum nostrum, qui partibus minime refragantibus benigniter causam remisit ad EE. PP. consessum, quorum iussu subscriptis infra exponendis dubiis, superest in praesenti, quod solita sapientia et prudentia decernere ipsi dignentur. I. An poenitentiarii minores ordinis praedicatorum in basilica s. Mariae maioris constitui debeant per provincialem provinciae Romanae ordinis praedicti praedicatorum seu priorem s. Mariae super Minervam de Urbe ad formam motus proprii s. Pii V., sive potius constitutio spectet ad cardinalem maiorem poenitentiarium in casu etc. II. An praedictorum poenitentiariorum minorum remotio spectet ad patrem provincialem seu priorem s. Mariae super Minervam ordinis praedicti ad formam motus proprii praedicti s. Pii V. vel potius ad cardinalem maiorem poenitentiarium in casu etc. III. An praedicti poenitentiarii minores subiaceant curae, iurisdictioni, potestati, visitationi et correctioni praedicti provincialis seu prioris ad formam motus proprii praedicti s. Pii V. vel potius cardinalis maioris poenitentiarii in casu etc. Die 15. decembris 1714 sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum ad primum respondit affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam, servata forma constitutionum Clementis VIII. et Innocentii XII. Ad secundum pariter affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam, servata forma dictarum constitutionum Clementis et Innocentii. Ad tertium affirmative quoad primam partem, quoad ea quae concernunt observantiam regularem tantum. Ita reperitur in regesto autographo decretorum eiusdem sacrae congregationis concilii lib. 64. fol. 485. In quorum fidem etc. Dat. hac die 7. iulii 1724. Prosper de Lambertinis secretarius. Loco ✠ sigilli. Nunc autem nos controversiis huiusmodi finem imponere cupientes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apo-

stolicae potestatis plenitudine, decreta praeinserta ac omnia et singula in eis contenta tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Praeterea lites et controversias quascumque super praemissis quovis modo exortas et adhuc forsan pendentes, illarum statum et merita nominaque et cognomina ac qualitates iudicum et collitigantium et alia etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, in statu et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, a quibuscumque iudicibus et tribunalibus ad nos motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum serie avocamus, illasque perpetuo supprimimus et extinguimus ac perpetuum desuper silentium utrique patri imponimus. Decernentes praesentes literas de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos iuris reduci seu adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari seu intentari nullo modo unquam posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. praedictae cardinales caeterosque quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quacumque litis pendentia ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ordinis, provinciae et conventus praedictorum ac etiam officii poenitentiariae et collegii poenitentiariorum minorum huiusmodi aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis, eorumque personis ac maiori poenitentiario praedicto sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes

mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 15. iulii 1724, pontificatus nostri anno primo.

Carolus archiepiscopus Emissenus.

7. Denuntiamus, praefatum SS. benigne et ultro acceptis gratulabundis officiis super exaltatione sua ad summum sacerdotium ad pedes suos intrepide at iuxta humillime demissis per exultantes epistolas tum a moderno p. provinciali utriusque Lombardiae, cum etiam a priore ac patribus conventus ad s. Dominicum de Castello Venetiarum eiusdem provinciae, ab illo quidem ex quo provinciam praefatam matrem habuerit, donec summa humilis animi moestitudine ab eiusdem amato gremio avulsus ad sacrum cardinalium senatum hic Bononiae, reluctans licet, translatus fuit, ab aliis vero quod eorum conventum affiliatione sua ac exemplarissima in novitiorum domo probatione illustraverat, quando primum veterem sanguinis nobilitatem contemnens, ut meliorem sibi in caelis compararet, ad dominicana claustra convolavit, ad eosdem dedisse sequentia duo brevia, quae qualis fuerit ac quantus etiamnum modo sit Benedictus XIII. disertissime referunt.

Dilecto filio Paulo Hieronymo Gallerate, ordinis fratrum praedicatorum professori, provinciali Lombardiae.

Benedictus pp. XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Quam libenter iucundeque officium tuae gratulationis exceperimus, verbis explicare vix possumus; istius enim provinciae, quae nobis singulari divinae clementiae beneficio mater data est, quum sacro praedicatorum ordini nomen dedimus, et quam peculiari pietatis affectu semper hactenus observavimus, amantissimos sensus in tuis literis complexi sumus. Quamquam enim inscrutabili divinae sapientiae consilio factum est, ut ex iucundissimo dilectissimae matris sinu primum per cardinalatus dignitatem ad huius sanctae sedis ministerium avocaremur, ac demum totius christianae reipublicae regimen, inviti licet trepidique susciperemus, pristinum tamen filialis animi amorem semper coluimus, ad quem ex paterni nominis accessione amplissima adiecta sunt dilectionis et benignitatis incrementa. Caeterum quae de infirmitate nostra tam ordini quam christianae reipu-

blicae laeta et fausta ominaris ac polliceris non nisi precibus tuis totiusque provinciae obsecrationibus subnixi ab omnipotenti Deo separare audemus. Ab eodem igitur pietatis vicem universae provinciae adprecantes, tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem amanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 7. augusti 1724, pontificatus nostri anno primo.

Carolus Maiellus.

Dilectis filiis priori et fratribus ordinis fratrum praedicatorum professoribus conventus s. Dominici Castelli.

Benedictus pp. XIII.

Dilecti filii, salutem. Quod inter primos adolescentis aetatis annos ad sacrum fratrum praedicatorum ordinem, veluti ad tutam religiosae tranquillitatis stationem nos evocaverit divina benignitas, nunquam animo nostro sine peculiari sensu spiritualis voluptatis obversatur, eoque iucundior se se nobis ingerit caelestis beneficii recordatio, quod in coenobio isto secularibus curis nuntium remittere, et exempla insignis disciplinae in ipso sacrae istius militiae tyrocinio haurire et addiscere contigerit. Hanc igitur suavissimam memoriam quum luculentius nobis repraesentaverint literae vestrae, eximio nobis solatio fuerunt in hac maris altitudine, in quam divino iudicio venimus et in qua periculis curisque iactati identidem clamamus ad Dominum, ne pereamus. Vestras propterea ferventes preces requirimus, ut apud quos patuit nobis a seculi fluctibus portus securitatis, apud eosdem per pias obsecrationes, implorato s. p. Dominici patrocinio, ne tempestas demergat nos, opportunum subsidium inveniamus. Memorem igitur pro vestris erga nos pietatis et observantiae sensibus gratum animum profitentes paternae nostrae benevolentiae testem et peculiaris dilectionis pignus vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romae die 7. augusti 1724, pontificatus nostri anno primo.

Carolus Maiellus.

8. Denuntiamus, eodem die, quo sibi adiecta amplissima dilectionis et dignationis incrementa ex accessione summi pontificatus erga suam illam provinciam utriusque Lombardiae superiore scripto testatus est s. p. n. Benedictus XIII., re ipsa ostendisse efficacem apostolicam illam dilectionem, restituendo eidem provinciae insignem illum conventum, quem in patrio solo ipsae provinciae amplificandae primum erexerant splendidissimum alterum utriusque Lombardiae lumen s. Pius V.; quod quidem palam facit hoc breve.

Benedictus pp. XIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, fratres ac filii conventus sanctae Crucis et omnium Sanctorum oppidi Boschi Derthonen. dioecesis, ordinis praedicatorum, quod dudum s. mem. Pius pp. V., praedecessor noster, volens dictum oppidum Boschi patriam suam aede sacra religiosae familiae, in qua ipse adoleverat, exornare ac aedificium, quod adhuc in cardinalium ordine constitutus aggressus fuerat, postmodum ad summi apostolatus apicem evectus, ad divini nominis laudem et fidei catholicae incrementum prosequi et absolvere, praedictum inibi conventum, qui provinciae Lombardiae eiusdem ordinis subesset, ut in eo regularis disciplina omni tempore observaretur, divinae preces diurnae et nocturnae in choro et extra horis debitis ipsius ordinis ritu peragerentur, ac studium artium et theologiae sine intermissione haberetur, instituit, illumque et eius ecclesiam, sacrarium, claustrum, dormitorium, bibliothecam et caeteras officinas vasis, vestimentis, campanis, libris et alia supellectili instruxit pro uno priore et tredecim presbyteris, qui omnes ad audiendas laicorum confessiones idonei essent, et ex quibus ad minimum sex verbum Dei praedicare possent; item quatuordecim aliis fratribus scholaribus ac uno lectore in artibus et altero in theologia et octo insuper tertiariis sive conversis; statuitque, ut omnibus dominicis et festis diebus praedicatio verbi Dei in dicta ecclesia haberetur, ac prior et fratres primo quoque die mensis preces pro salute animarum defunctorum suae domus et eorum, quibus ipse Pius praedecessor quomodocumque obstrictus erat, agerent, seque viam universae carnis ingresso, anniversarium solemne pro animae suae refrigerio perpetuis futuris temporibus celebrarent, et alia, prout in ipsius Pii praedecessoris desuper expeditis literis uberius continetur. Ac subinde fel. rec. Innocentius pp. XII., etiam praedecessor noster, regularem disciplinam in dicta provincia Lombardiae promovendi illiusque conventuum ac in eis degentium statui et gubernio salubriter consulendi studio ductus, supradictum aliosque plures dictae provinciae Lombardiae conventus a cura et regimine tunc et pro tempore existentis prioris provincialis dictae provinciae Lombardiae perpetuo exemit et liberavit, dictosque conventus in congregationem sub titulo s. Sabinae provinciae utriusque Lombardiae nuncupatam, quae magistro generali ordinis huiusmodi pro tempore similiter existenti subiacere deberet, ita ut in illam nulli alii ordinis praefati superiores praeterquam eiusdem congregationis vicarius generalis caeterique illius praelati iuxta morem deputari soliti potestatem aliquam exercere valerent, erexit, voluitque, ut eidem congregationi de idoneo vicario generali ex fratribus alicuius ex dictis conventibus, qui eamdem prorsus iurisdictionem et auctoritatem haberet in conventus et fratres ipsius congregationis, quam iuxta apostolicas et dicti

ordinis constitutiones priores provinciales in suis provinciis habebant, a magistro generali praefato de biennio in biennium provideretur, prout in eiusdem Innocentii praedecessoris literis die 14 iunii 1695 in simili forma brevis desuper editis plenius etiam continetur. Quum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex quo praedictus conventus a cura et regimine memorati prioris provincialis provinciae Lombardiae exemptus ac iurisdictioni vicarii generalis eiusmodi congregationis subiectus fuit, superiore ac rectore destitutus remanserit, eo quod praefatus quidem prior provincialis ipsius Innocentii praedecessoris literarum dispositioni, ut par erat, obsequens, illius gubernio sese amplius non ingesserit, dictus vero vicarius generalis ob varias difficultates, ei per secularem potestatem illarum partium motas, illud suscipere et gerere nusquam hactenus potuerit, indeque factum sit, ut ipse conventus, utpote non habens, qui illum quotannis visitaret ac ordinationes, quas pro salubri illius directione rerum et temporum ratio exigebat, ederet, plurima tum in spiritualibus tum in temporalibus acceperit detrimenta, atque penuria fratrum confessariorum, concionatorum, lectorum ac etiam studiosorum et novitiorum laboraverit ac etiamnum laboret, eaque de causa non minus cultus divinus quam literarum studium inibi admodum deciderit, ita ut eiusdem Pii praedecessoris voluntas exacte impleri nequeat, dictique exponentes provide considerent, nullum aliud opportunitas praemissis remedium adhiberi posse, quam eundem conventum iterum dictae provinciae Lombardiae uniendo. Licet enim ab anno 1695, quo Innocentii praedecessoris literae praefatae emanarunt, ipse conventus sub cura dicti magistri generalis fuerit, isque divini cultus et literarum studii conservationi sedulo advigilaverit, quia tamen eumdem conventum per seipsum invisere non poterat et in ordinationibus pro tempore faciendis ab aliorum relationibus pendere debebat, eum fructum minime consecutus sit, qui ex reunione huiusmodi merito sperari potest, ac tametsi congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super disciplina regulari auctoritate apostolica deputata ad instantiam prioris et fratrum dicti conventus priori provinciali pro tempore existenti provinciae praefatae aliquoties demandaverit, ut ipsum conventum visitaret illiusque statum ad eandem congregationem referret, nulli tamen attribuerit facultatem quidquam statuendi, praeterquam dilecto filio moderno priori provinciali eiusdem provinciae, cui iniunxit, ut durante biennio sui provincialatus illum visitaret ac eamdem in eum, quam in conventus suae provinciae exerceret iurisdictionem; sed quia haec provisio ad biennium restricta est, minime sufficiens reputetur ad dictum conventum pristino statui et decori restituendum, ex reunione vero huiusmodi nullum supradictae congregationi s. Sabinae propemodum da-

mnum inferatur, quippe cui non tollitur conventus, in cuius possessione reperiatur, quum illum nunquam obtinuerit, nullaque vel saltem modica subsit spes, etiam in posterum obtinendi ac in locum eiusdem conventus tribus aliis insignibus eiusdem provinciae Lombardiae ac duobus insulae Corsicae conventibus illis aggregatis aucta fuerit, nobis propterea exponentes praefati humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon praefatarum Pii et Innocentii praedecessorum literarum tenores et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, exemptionem et liberationem praefati conventus s. Crucis et omnium Sanctorum a cura et regimine prioris provincialis provinciae Lombardiae illiusque erectionem in congregationem s. Sabinae seu unionem et incorporationem eidem congregationi ac subiectionem iurisdictioni et auctoritati vicarii generalis ipsius congregationis, sicut praemittitur, factas ac emanatas desuper ab eodem Innocentio praedecessore literas praefatas, quatenus eumdem conventum concernunt, auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus ac revocatas esse decernimus et declaramus, ipsumque conventum prioris provincialis provinciae Lombardiae, nunc et pro tempore pariter existentis, curae et regimini, prout ante memoratas Innocentii praedecessoris literas suberat, eadem auctoritate restituimus et denuo subiicimus. Decernentes etiam, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, Innocentii praedecessoris literis praefatis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, congregationis, provinciarum et conventus praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quo-

que, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 7. augusti 1724, pontificatus nostri anno primo.

F. card. Oliverius.

9. Denuntiamus, quatenus, postquam s. mem. Innocentius pp. XIII. per breve suum concesserat, ut traderetur, sicuti de facto ex vi talis pontificiae concessionis tradita fuit, fratribus nostris congregationis s. Marci Florentiae, provinciae Romanae, ecclesia ad ss. Quiricum et Iulittam in Urbe, cum cura parochiali aliisque ad eam spectantibus, sub certis tamen conditionibus, in instrumento desuper confecto expressis, et per breve illud apostolicum enuntiatis ac firmatis, inter quas una erat, ut remanerent sex canonicatus aut praebendae, non uti tales, sed tanquam beneficia simplicia ecclesiastica, deinceps a domino cardinali titulari eiusdem ecclesiae conferenda, d. n. Benedictus pp. XIII. per bullam mandavit, quod sex illi canonicatus, praebendae aut beneficia simplicia supprimantur post mortem praesentium possessorum et adnectantur ac incorporentur perpetuo praefatae congregationi pro illius ecclesiae meliore ornamento et famulatu, ut videre est fusius in seqq.

Benedictus episcopus servus servorum Dei.

Dilecto filio nostro in Urbe eiusque districtu vicario salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ad praeclaram sancti patris nostri Dominici familiam, ad quam ab ineunte aetate nostra per calcatas nondum adulto, sed prompto pede huius seculi illecebras, sic divino lumine dirigente gressus nostros, perreximus et nudum Iesum Christum sequuturi, ei nomen dedimus, quo, sic dato etiam dum laetamur, devotum nostrae considerationis dirigimus intuitum, attendentesque, quod familia huiusmodi uberes illos afferre non desivit fructus, quos illius pater filiis suis per opem beatissimae Virginis, quae est sedula bonorum operum adiutrix, ad divini nominis gloriam et animarum salutem propagandam semper uberiores in dies procurare demandavit, aequum quidem debitum reputamus, ut familiam ipsam filiali, quo adhuc utimur, et paterno, quo nunc tenemur, amore prosequentes, ad ipsius pia opera nostras quoque apostolicae liberalitatis manus admoveamus, ac ea sibi etiam per beneficiorum ecclesiasticorum unionis ministerium favorabiliter concedamus, quae suis in promovendo divino cultu necessitatibus aeternaeque anima-

rum utilitati fore conspicimus opportuna. Dudum siquidem fel. rec. Innocentius pp. XIII., praedecessor noster, omnia beneficia ecclesiastica, quae sui familiares continui commensales tunc obtinebant et imposterum obtinuissent, eorum familiaritate durante, et etiamsi ab ipsa familiaritate recessissent, tunc vacantia, imposterum vacatura collationi et dispositioni suae reservaverat, decernens ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum in infrascripta ecclesia, quod quondam Caesar Meniconi in eadem ecclesia perpetuus beneficiatus, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Caesaris, qui etiam dum viveret et beneficium praefatum obtineret, dicti praedecessoris familiaris et continuus commensalis existens tempore pontificatus eiusdem praedecessoris apud sedem apostolicam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illo praeter nos, pro eo quod dicto praedecessore per eum de beneficio huiusmodi aliter non disposito, sicut Domino placuit, de medio sublato, nos divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti declaravimus, omnia beneficia ecclesiastica, quae tempore obitus eiusdem praedecessoris sic reservata vacabant, per huiusmodi reservationem et decretum remansisse et remanere affecta, nullumque de illis praeter Romanum pontificem ea vice disponere potuisse sive posse quoquomodo, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan erat eatenus vel imposterum contingeret attentari, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto ac declaratione obsistentibus supradictis; et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum vicarii generalis et fratrum congregationis s. Marci Florentiae ordinis praedicatorum, in quo nos expresse professi extitimus, petitio continebat, quod alias tunc existentes capitulum et canonici seculares et collegiatae, quae etiam parochialis existit, ecclesiae ss. Quirici et Iulittae de Urbe, considerantes praefatam eorum ecclesiam, utpote tunc ad malum statum redactam, quamplurimis reparationibus indigere, ipsius vero ecclesiae redditus, qui ad centum quinquaginta scuta monetae Romanae, computata tamen in eis congrua quinquaginta scutorum monetae huiusmodi, vicario perpetuo dictae ecclesiae, qui curam animarum illius parochianorum exercet, assignata, et non deductis expensis pro manutentione sacristiae ipsius ecclesiae et ecclesiasticis functionibus in ea peragendis necessario subeundis annuatim ascendebant, adeo tenues existere, ut ex illis eiusdem ecclesiae urgentibus necessitatibus minime occurrere, minusque ex fructibus, redditibus et proventibus suorum canonicatuum et praebendarum, quorum singuli viginti scutorum monetae praefatae valorem annuum non excedebant, attenta

illorum tenuitate, providere valebant, proindeque necessitatibus huiusmodi aliquo modo consulere cupientes praefatam ecclesiam illiusque usum et administrationem, una cum cura animarum illiusque parochianorum ac fonte baptismali in eo existente, nec non omnibus et singulis dictae ecclesiae bonis, rebus, proprietatibus, fructibus, redditibus, iuribus, obventionibus et emolumentis diversis, certis et incertis, etiam ab exercitio curae animarum huiusmodi provenientibus ac universa illius supellectili sacra et profana, in ea quomodolibet ad opus divini cultus existente et ad eam spectantibus, ac cum omnibus illius campanis, crucibus, calicibus, patenis, vasis, thuribulis, etiam aureis et argenteis, ac etiam cum omnibus et singulis bonis et fructibus, redditibus et proventibus, ad sex canonicatus et praebendas eiusdem ecclesiae, illosque pro tempore obtinentes spectantibus et pertinentibus, modernis vicario generali et fratribus praefatis, reservato tamen sedis apostolicae beneplacito, ac de consensu dilecti etiam filii nostri Henrici S. R. E. presbyteri cardinalis, de Bissi nuncupati, tunc ac etiam nunc dictae ecclesiae titularis, in perpetuum concesserunt et assignarunt, sub infrascriptis tamen pactis et conditionibus in instrumento publico, tunc desuper confecto latius expressis, videlicet quod salva et illaesa remanerent omnia et singula iura, actiones et iurisdictiones, quae spectabant et pertinebant et quoquomodo spectare et pertinere poterant tam dicto Henrico cardinali quam futuris dictae ecclesiae cardinalibus titularibus pro tempore existentibus supra ecclesiam praefatam, quibus per concessionem et assignationem huiusmodi nullo modo in aliquo praeiudicatum censeretur, ac etiam salva et illaesa remaneret dicto Henrico cardinali aliisque futuris dictae ecclesiae cardinalibus titularibus pro tempore existentibus, in Urbe praefata tamen praesentibus, et prout de iure facultas conferendi canonicatus et praebendas dictae ecclesiae, qui imposterum non uti canonicatus et praebendae, sed uti perpetua simplicia beneficia ecclesiastica conferri deberent; quodque attenta concessione et assignatione huiusmodi, etiam quoad bona et fructus, redditus et proventus praefatae ecclesiae et illius canonicatuum et praebendarum, ac etiam cessione et translatione cuiuscumque iuris et iurisdictionis, praefatis canonicis supra ecclesiam praefatam competentibus, ab eisdem canonicis ad favorem dictorum fratrum factis, fratres praefati tenerentur et obligati existerent solvere et exbursare praefatis canonicis eorumque in praefatis canonicatibus et praebendis huiusmodi successoribus pro tempore existentibus in perpetuum, qui de canonicatibus et praebendis huiusmodi in posterum perpetuis simplicibus beneficiis ecclesiasticis denominandis, a dicto Henrico cardinale et futuris dictae ecclesiae cardinalibus titularibus pro tempore existentibus, provisi fuissent, videlicet cuilibet eorum pro fructibus, redditibus et proventibus suorum canonicatuum et

praebendarum huiusmodi, imposterum perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum, ut praefertur, denominandorum scuta viginti monetae praefatae de Iuliis decem pro quolibet scuto huiusmodi libera immunia et exempta ab omni onere et expensa quolibet anno duabus solutionibus aequalibus, videlicet de semestri in semestre posticipate ratam partem dictorum viginti scutorum monetae huiusmodi incipiendo a die possessionis, eis super bonis dictae ecclesiae concessis et assignatis tradendorum, et ad hunc effectum fratres praefati obligare tenerentur omnia et singula bona stabilia, census, canones, redditus et proventus, certos et incertos, ad dictam ecclesiam ac canonicatus et praebendas praedictos spectantes et pertinentes, vigore praefatarum concessionis et assignationis per eos acquisitos et in futurum acquirendos; quodque iidem fratres praefatam ecclesiam restaurare illamque eiusque sacristiam utensilibus et paramentis sacris providere et manutenere ac omnia et singula onera et obligationes, ad quae et quas praefatae ecclesiae canonici illiusque vicarius perpetuus curatus tenebantur, subire et adimplere deberent et obligati existerent, salvo tamen remanente exercitio curae animarum parochianorum eiusdem ecclesiae penes tunc existentem eiusdem ecclesiae vicarium perpetuum, in quo idem vicarius perpetuus, donec viveret, cum omnibus et singulis iurisdictionibus annexis, connexis, rationibus et pertinentiis, ac cum perceptione omnium et quorumcumque fructuum, redditum et proventuum et emolumentorum, certorum et incertorum, modo et forma, quibus illos et illa tunc percipiebat, continuare deberet, ac etiam salva remanente pensione annua viginti quinque ducatorum auri de camera, alias super perpetuae vicariae dictae ecclesiae fructibus, redditibus et proventibus dilecto similiter filio Thomae Mancini eiusdem ecclesiae canonico apostolica auctoritate reservata, quam idem Thomas annuatim percipiebat, quamquam dictus vicarius perpetuus, donec ipse vixisset et vicariam praefatam obtinuisset, praefato Thomae ut antea solvere teneretur; postquam vero dictus vicarius perpetuus ab humanis decessisset, fratres praefati dictam pensionem solvere et pro huiusmodi pensionis solutione omnia et singula bona ac fructus, redditus et proventus, tam certos quam incertos, ecclesiae et vicariae praedictarum obligare tenerentur, quodque ipsi fratres in aliqua domo praedictae ecclesiae contigua, mediante tamen beneplacito apostolico, inhabitare et, si commode fieri posset, ianuam, per quam in ecclesiam se commode conferre possent ad effectum inibi eorum proprii instituti functiones exercendi aperire, necnon unam clavem ecclesiae et ciborii retinere valerent, ad hoc ut sacramenta ecclesiastica aliis in dicta ecclesia administrare possent, ac alias prout latius et diffusius in dicto instrumento continetur; subinde vero Innocentius praedecessor praefatus concessionem et assignationem huius-

modi vicario generali et fratribus praedictis, ut praefertur, factam, utpote ad divini cultus augmentum et curae animarum salutem, necnon praefatae ecclesiae utilitatem et decorem tendentes, ac praefatum instrumentum desuper, ut praefertur, confectum cum omnibus et singulis supradictis pactis et conditionibus aliisque in eo contentis quibuscumque, licitis tamen et honestis, apostolica auctoritate perpetuo approbavit et confirmavit, necnon dictis vicario generali et fratribus, ut ipsi in aliqua domo praefatae ecclesiae contigua habitare et, si commode fieri potuisset, ianuam, per quam ad ecclesiam praefatam se commode conferre possent, aperire; postquam vero dictus vicarius perpetuus e vivis decessisset, curam animarum parochianorum eiusdem ecclesiae per unum ex praefatae congregationis presbyteris regularibus idoneum a pro tempore existente superiore dictae congregationis deputandum, et ad eius nutum amovibilem et a pro tempore existente in Urbe praedicta eiusque districtu vicario examinandum et approbandum, exerceri facere respective possent et valerent, licentiam et facultatem concessit et impartitus fuit; et attento, quod canonicatus et praebendae dictae ecclesiae nullam neque festis neque aliis anni diebus residentiam requirebant, chori servitium non habebant, quodque de caetero canonicatus et praebendae huiusmodi perpetua simplicia beneficia ecclesiastica denominari et uti talia reputari et a pro tempore existente cardinali titulari ecclesiae praedictae, occurrente illorum vacatione, ut supra, conferri deberent, dicta apostolica auctoritate concessit et indulsit, prout in literis apostolicis eiusdem Innocentii praedecessoris in forma brevis sub annulo piscatoris desuper sub datum Romae apud s. Mariam maiorem die 6. maii anni Domini 1722, pontificatus sui anno primo, expeditis et debitae exequutioni demandatis, plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicti vicarius generalis et fratres statim ac dictae ecclesiae possessionem adepti fuerunt, ecclesiam ipsam restaurare ac functiones eorum instituti, praecipue verbum Dei praedicando et rosarium beatae Mariae virginis promovendo, cum magna populi frequentia et consolatione ac animarum salute, in ea exercere incoeperint et exerceant de praesenti, et licet ipsi quamplures in restauratione huiusmodi expensas iam fecerint, nihilominus pro restauratione huiusmodi perficienda et ad occurrendum quamplurimis aliis urgentissimis eiusdem ecclesiae necessitatibus longe maiores expensae requirantur, pro quibus faciendis eorum vires, tum propter eorum paupertatem et exiguos redditus, quos habent, tum etiam quia nihil ex fructibus et proventibus parochialibus adhuc percipere possunt, eo quia illi vicario perpetuo eiusdem ecclesiae, qui adhuc superstes existit, assignati, ut praefertur, fuerunt, et insuper scuta quinquaginta eidem vicario perpetuo, necnon alia scuta quadraginta quinque monetae pro pensione domus,

praefatae ecclesiae contiguae, ab eisdem vicario generali et fratribus ad inhabitandum conductae quolibet anno solvere tenentur, impares existunt, et si sex canonicatus et praebendae dictae ecclesiae ad sex perpetua simplicia beneficia ecclesiastica, ut praefertur, redacti, primo dictum ad praesens, ut praefertur, vacans videlicet ex nunc, reliqua vero quinque beneficia huiusmodi etiam ex nunc pro tunc, postquam tamen illa per cessum vel decessum aut alias quovis modo ex personis illa nunc obtinentium, vacaverint, praevia tamen illorum et cuiuslibet eorum tituli collativi suppressione et extinctione, eidem congregationi ad effectum infrascriptum perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, et ex hoc profecto nedum ecclesiae huiusmodi necessitatibus praefatis consuleretur, verum etiam in ea divinus cultus cum spirituali populi, ad eam in maiori numero confluentis consolatione et animarum salute, maiora in dies susciperet incrementa. Quare pro parte vicarii generalis et fratrum praefatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, quique dictorum vicarii generalis et fratrum statum felicem et manutentionem consulere sinceris desideramus affectibus, vicarium generalem et fratres praefatos specialis gratiae favore prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis omnibus, qui fuerint ad id evocandi, beneficia praefata, quae personalem residentiam, ut praefertur, non requirunt, ac quorum cuiuslibet et illis forsan respective annexorum fructus, redditus et proventus viginti scutorum monetae praefatae secundum aestimationem praefatam valorem annuum, ut etiam praefertur, non excedunt, primo dictum videlicet sive permisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per liberam resignationem dicti Caesaris vel cuiusvis alterius de illo in Romana curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacet ex nunc; reliqua vero quinque beneficia huiusmodi, ex nunc prout ex tunc, et e contra, cum primum illa et illorum quodlibet per cessum etiam ex causa permutationis vel decessum seu privationem aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem seu religionis ingressum et

professionis emissionem, illa et illorum quodlibet nunc obtinentium et obtinentis, vel quorumvis aliorum resignationes de illis in dicta curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factas, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacent et vacet, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, et beneficia praefata dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservata existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum eisdem praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo primo dicti beneficii dispositio ad nos hac vice pertineat, illorumque et cuiuslibet eorum respective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam et essentiam ita, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus illa collativa esse desinent, et uti talia in titulum collativum quasi auctoritate conferri seu de illis quovis modo disponi amplius nequeat, et si illa unquam ullo tempore conferri vel impetrari aut alias de eis disponi contigerit, collationes, impetrationes ac aliae dispositiones de illis quomodolibet faciendae, nullae et invalidae nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam titulum coloratum possidendi tribuant, perpetuo supprimas et extinguas, ac beneficia praedicta cum annexis huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis universis eidem congregationi ita, quod liceat vicario generali et fratribus congregationis praefatae, nunc et pro tempore existentibus, veram, realem, actualem et corporalem possessionem, ex nunc videlicet primo dicti beneficii huiusmodi, et ex nunc pro tunc, postquam tamen illa et illorum quodlibet vacaverint et vacaverit, ut praefertur, reliquorum quinque beneficiorum praefatorum illorumque rerum, bonorum, proprietatum, iurium et pertinentiarum quorumcumque per se vel alium seu alios eorum et eiusdem congregationis nominibus propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia quaecumque percipere, colligere, erigere, levare, recipere, recuperare, locare, dislocare, arrendare ac in dictae ecclesiae restaurationem illiusque necessitates praedictas primum et deinde in ipsius ecclesiae et illius sacristiae manutentionem ac fratrum dictae congregationis in ecclesia praefata pro tempore degentium sustentationem, eorumque communes et religiosos usus, necessitates tantum, et non in alios usus, convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita, supportatis tamen per nunc et pro tempore existentes vicarium generalem et fratres congregationis huiusmodi omnibus et singulis, si quae sint, dictorum beneficiorum oneribus, ac solutis per eosdem et vicarium generalem quinque dictae ecclesiae beneficiatis superstitibus, donec ipsi quinque beneficiati vixerint, et

quilibet eorum respective vixerit, eorum cuilibet videlicet supradictis annuis scutis viginti monetae praedictae, apostolica auctoritate de consensu dicti Henrici cardinalis dictae ecclesiae titularis etiam perpetui, et quoad dictum vacans beneficium ex nunc, quo vero ad reliqua quinque beneficia praefata ex nunc pro tunc, postquam illa et illorum quodlibet vacaverint et vacaverit, ut praefertur, auctoritate nostra sine alicuius praeiudicio unias, annectas et incorpores unione, annexione et incorporatione praefatis, tamen donec ipsi fratres ecclesiam praefatam retineant et ea, quae in vim concessionis et assignationis dictae ecclesiae eis, ut praefertur, factarum adimplere tenentur, adimpleant duraturis et non aliis. Nos enim si suppressionem, extinctionem, unionem, annexionem et incorporationem praefatas per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, easdem praesentes quoque nullo unquam tempore ex quibusvis etiam hic necessario exprimendis causis de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vocari, vel ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illos quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos pontifices pro tempore existentes quomodolibet factis et concessis comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per nunc et pro tempore existentes congregationis huiusmodi vicarium generalem et fratres praefatos quandocumque eligenda concessas, validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdemque nunc et pro tempore existentibus vicario generali et fratribus praefatis perpetuo suffragari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et sedis apostolicae nuntios iudicari et definiri debere, et prout est, si quoad primo dictum attentatum forsan est hactenus vel imposterum, quoad reliqua vero beneficia huiusmodi quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus voluntate nostra praefata ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac piae memoriae Bonifacii pp. VIII., similiter praedecessoris nostri, aliisque quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel

generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon ordinis praedicti ac congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus ac aliis decretis etiam in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, pluries innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in dicta Urbe speciales vel generales dictae sedis literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas et processus habitos et inde sequuta quaecumque ad dicta beneficia volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Volumus autem, quod in eventum, in quem fratres praedicti dictam ecclesiam deserant seu ab ea recedant, et ea omnia per eos, ut supra, adimplenda non adimpleant, suppressio et extinctio praedictae habeantur pro non factis, ac unio, annexio et incorporatio supradictae dissolvantur ac dissolutae sint et esse censeantur eo ipso, aliaque omnia et singula praemissa ad pristinum statum revertantur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae 1724 pridie kal. octobris, pontificatus nostri anno primo.

A. Marianus.

10. Denuntiamus, aureas illas cedroque dignas literas in forma brevis a praelaudato d. n. Benedicto XIII. datas ad priorem et ff. conventus nostri ad ss. Iohannem et Paulum provinciae Venetiarum super statua marmorea ab iisdem sanctitati suae in eo conventu erecta, in quibus s. p. vel nolens graphice descriptis egregiis animi sui dotibus, sed hu-

militate inprimis, nomen suum immortalitati magis quam conventus ille posito tam firmo simulacro consecravit.

Dilectis filiis priori et fratribus conventus ss. Ioannis et Pauli Venetiarum.

Benedictus pp. XIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Quam nobis olim in celebri isto insignique coenobio diversantibus fraternam caritatem exhibuistis, paternae benevolentiae officiis rependere cupiebamus, postquam humilitatem nostram, tanta licet infirmitate circumdatam, ad huius apostolicae sedis formidandam altitudinem inscrutabile iudicium Dei omnipotentis evexit. Sed pro veteri gratia vicem reddere cogitantes, nova observantiae vestrae ac pietatis argumenta nos occuparunt. Quae tamen moerorem nobis potius quam laetitiam attulerunt. Iamdudum enim expostulavimus apud vos, graviterque indoluimus, cum in sacrum cardinalium ordinem adsciti, parietes vestros nostro nomine illitos esse et immeritos laudis titulos referre, rescivimus. Ex quo satis intelligitis, quam aegrius nobis fuerit, cum ex literis vestris accepimus, eo vos demum processisse, ut simulacrum etiam e marmore nobis collocandum decerneretis. Alia prorsus, dilecti filii, et nos iuvant et vos decent officia. Extat enim nostrae, quam utinam obliterare liceret, remisse ac segniter actae vitae apud vos memoria. Ea vobis sit non ementitae laudis testimonium, sed piarum pro nobis obsecrationum incitamentum. Gratum tamen pro sensibus praeclarae in nos voluntatis animum testatum vobis esse vehementer optamus, eiusque luculentius declarandi, dum opportunitatem praestolamur, vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 14. decembris 1724, pontificatus nostri anno primo.

C. archiepiscopus Emissenus.

11. Denuntiamus, enixe supplicante eminentissimo ac reverendissimo cardinali Pipia, eo tempore generali administro ordinis nostri, praefatum d. n. Benedictum pp. XIII. concessisse fratribus nostris, ut de caetero processionem ss. rosarii qualibet prima dominica mensis octobris cum omni pompa libere et licite peragere possint, ingrediendo limites cuiuscumque parochiae, minime requisita ordinarii licentia et absque adsistentia parochi, prout refert hoc breve:

Benedictus pp. XIII. Ad futuram rei memoriam. In supremo militantis ecclesiae solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, exortas inter catholicos antistites aliasque personas ecclesiasticas et religiosos viros controversias opportunis rationibus dirimere studemus, sicut in Domino conspicimus salubriter expe-

dire. Exposuit siquidem nobis nuper dilectus filius noster Augustinus S. R. E. cardinalis Pipia, nunc temporis ordinis fratrum praedicatorum administrator generalis, quod, cum in variis dicti ordinis provinciis nonnullae lites, cum modico secularium exemplo, circa processionem ss. rosarii qualibet prima dominica mensis octobris fieri consuetam exortae fuerint, praetendentibus ordinariis locorum et parochis perturbare antiquam, in qua fratres earumdem provinciarum reperiuntur, possessionem, faciendi dictam processionem sine parochi assistentia ac ordinarii licentia, etiam ingrediendo limites parochiae et allegantibus ius commune id prohibens, necnon quamdam resolutionem congregationis existentium S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum anno 1628 emanatam, ac a fel. rec. Urbano pp. VIII., praedecessore nostro, confirmatam, per quam immemorabilis sublata fuit consuetudo, ipse Augustinus cardinalis et administrator generalis, attento quod id diversimode et omnino insubsistens declaratum fuit, ut imposterum eiusmodi inordinationibus et perturbationibus, quae ex pia processione huiusmodi generantur, finis imponatur, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri, summopere desiderat. Nos ipsius Augustini cardinalis et administratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eius supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, fratribus provinciarum et ordinis praedictorum, ut ipsi de caetero memoratam processionem ss. rosarii qualibet prima dominica mensis octobris ingrediendo limites cuiuscumque parochiae, ordinarii licentia minime requisita, et absque assistentia parochi, ac cum omni pompa peragere libere et licite possint et valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 10. aprilis 1725, pontificatus nostri anno primo.

F. card. Oliverius.

12. Denuntiamus ulterius breve pontificium, quo SS. motu proprio provinciam utriusque Lombardiae in perpetuum absolvit ab onere recipiendi religiosos dimissos a congregatione s. Sabinae, nisi alias fuerint filii alicuius conventus eiusdem provinciae ante ingressum in congregationem ipsam, in quo tamen casu excipiendos vult, quos crimen aliquod ad externum forum deductum vel gravem habitualem sive mentis sive corporis infirmitatem in eadem congregatione contrahere forte contingat, vel nisi prius certa dederint documenta de obtenta affiliatione in aliquo benevolo conventu, quoties in eadem congregatione habitum susceperint.

Benedictus pp. XIII. Ad futuram rei memoriam. Alias, sicut accepimus, fel. rec. Innocentius pp. XII., praedecessor noster, per quasdam suas in simili forma brevis die 14. iunii 1695 expeditas literas diversos in eisdem literis expressos conventus provinciae Lombardiae ordinis ff. praedicatorum eorumque fratres et personas quascumque cum omnibus et singulis illorum membris, iuribus et pertinentiis universis ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, regimine, cura et gubernio pro tempore existentis prioris provincialis eiusdem provinciae tam in temporalibus quam in spiritualibus perpetuo exemit, ipsosque conventus in novam congregationem sub titulo s. Sabinae provinciae utriusque Lombardiae eiusdem ordinis nuncupandam, quae pro tempore pariter existenti magistro generali sive eius loco in Romana curia residenti vicario generali ordinis huiusmodi immediate subiacere deberet ita, ut in illam nulli alii ipsius ordinis superiores praeterquam dictae congregationis vicarius, caeterique illius praelati iuxta morem deputari soliti, potestatem aliquam valerent exercere, pariter perpetuo erexit. In quibus quidem conventibus ad praefatam congregationem sic erectam et institutam spectantibus fratres omnes ad regulae, quam professi fuerant, praescriptum exacte vitam instituere et componere atque illa, quae communem vitam, victum et vestitum concernebant, iuxta concilii Tridentini et fel. rec. Clementis pp. VIII., praedecessoris itidem nostri, decretorum tenorem fideliter et inviolabiliter observare deberent. Voluitque idem Innocentius praedecessor, ut ipsi congregationi de idoneo vicario generali ex fratribus alicuius ex conventibus ipsius congregationis a magistro generali praedicto de biennio in biennium provideretur, qui eandem prorsus iurisdictionem et auctoritatem haberet in conventus et fratres praedictae congregationis, quam iuxta apostolicas et dicti ordinis constitutiones priores provinciales habent in suis provinciis, posset quoque idem vicarius quoscumque fratres ordinis praedicti undecunque venientes suscipere et eis de conventibus congregationis praedictae per deputationem vel assignationem providere; quod tamen criminosis iuxta dicti Clementis praedecessoris decreta nullatenus prodesse valeret; non autem intellige-

rentur iidem fratres congregationi huiusmodi incorporati, nisi post quadriennium eoque durante, si ad suos conventus vel provincias redire voluissent, licentia eis abeundi libere concederetur. Praeterea nulli ex fratribus dictae congregationis sive intra eam habitum suscepisset sive aliunde, si per quadriennium, ut praemittitur, incorporatus fuisset, permitteretur transire ad conventus extra suam congregationem, nisi de licentia vicarii una cum consilio sex graviorum patrum eiusdem congregationis, quae tamen licentia non facile daretur, sed omnimoda diligentia et charitatis officia adhiberentur, ut abire volentes in suscepto vitae instituto confirmarentur; quod si adhuc in discedendi voluntate permansissent, tandem dimitterentur, ne aliis impedimento forent, et alias, prout in ipsius Innocentii praedecessoris literis praedictis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Subinde vero, sicut nobis etiam innotuit, delatis pro parte vicarii generalis congregationis praedictae ad congregationem tunc existentium S. R. E. cardinalium et praelatorum eiusdem Romanae curiae super disciplina regulari, specialiter auctoritate apostolica deputatam, querelis, quod prior provincialis dictae provinciae Lombardiae fratres e dicta congregatione a se dimissos recipere renueret, die 12. martii 1709 emanavit ab ipsa congregatione cardinalium et praelatorum decretum, ut liceret vicario generali praedicto dimittere fratres e dicta congregatione, praevia tamen notificatione dimissionis facienda dicto priori provinciali, qui dimissos in alio conventu statim collocare et locum destinationis factae eidem vicario notificare teneretur. Quamobrem praedictus prior provincialis omnes fratres e dicta congregatione dimissos, nedum qui in conventibus ipsius provinciae Lombardiae antea professi ad congregationem supradictam translati et illi incorporati fuerant, sed etiam qui in eadem congregatione habitum susceperant, et ulterius aliquos, qui durante incorporatione huiusmodi vel habituales corporis ac etiam mentis passi erant infirmitates vel criminibus obnoxii carceribus mancipati fuerant, exinde recipere coactus fuit, non sine ingenti dictae provinciae dispendio gravique illius fratrum perturbatione. De quibus incommodis Nos, utpote qui olim in minoribus constituti, inclyto s. Dominici instituto in eadem provincia Lombardiae nomen dedimus, apprime instructi fuimus. Quum autem in memoratis Innocentii praedecessoris literis vicario generali dictae congregationis fratres quidem, qui in congregatione praefata habitum suscepissent, sive illi incorporati fuissent, aliquando, tametsi non facile, dimittendi tribuatur facultas; verum quo isti, qui habitum in eadem congregatione susceperunt, abire debeant, minime disponatur, prout quoque in enarrato decreto congregationis cardinalium et praelatorum super disciplina regulari decernatur, licere eidem vicario generali fratres

e dicta congregatione dimittere, sed nulla fiat distinctio inter fratres, qui e provincia praefata eiusque conventibus in dictam congregationem advenerint, illique incorporati fuerint, ab eis, qui in eadem congregatione habitum huiusmodi susceperint; et nihilominus priori provinciali praefato dimissos indiscriminatim recipiendi onus imponatur. Nos attendentes, quod quemadmodum aequum et iustitiae consonum est, ut fratres ex conventibus dictae provinciae Lombardiae ad congregationem praefatam accedentes, si ab ista dimittantur, ad illos revertantur, ita rationi minime consentaneum sit, provinciam praedictam ad eos fratres, qui in eadem congregatione habitum susceperunt et dimissi fuerunt, recipiendos et alendos adstringi, ac propterea quamcumque dubitandi occasionem hac in re submovere ac dictae provinciae Lombardiae, quam in paternae caritatis visceribus gerimus, levamini et indemnitati consulere, illiusque necnon praefatae congregationis s. Sabinae religiosae tranquillitati opportune prospicere volentes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie statuimus et ordinamus, quod, si deinceps per vicarium generalem congregationis s. Sabinae dimittatur aliquis frater, qui e provincia Lombardiae eiusve conventibus in eandem congregationem venerit, ac susceptus in illa fuerit, tunc prior provincialis ipsius provinciae Lombardiae illum recipere et in primaevo suae adfiliationis aliove dictae provinciae conventu collocare, necnon de tali collocatione vicarium generalem praefatum certiorare teneatur, nisi tamen agatur de dimissione fratris in praedicta congregatione recepti, qui ob crimina, durante sua permanentia in eiusmodi congregatione commissa, carceribus mancipatus vel de eis inquisitus aut habituali gravique mentis aut corporis infirmitate in eadem congregatione contracta correptus reperiatur; quo casu istiusmodi fratrem nisi post finitam causam adversus eum instructam per eius absolutionem ex capite innocentiae vel poenae illi iniunctae implementum aut sanitatem receptam respective dimitti non posse, decernimus; quo vero ad fratres, qui habitum in dicta congregatione susceperint, vicarius generalis eis ab ipsa congregatione abeundi licentiam concedere, illosve dimittere nequeat, nisi prius de invento benevolo receptore in aliquo conventu cuiusvis provinciae praefati ordinis praedicatorum legitime docuerit, ac hoc modo et cum eiusmodi discrimine de caetero in praemissis procedendum esse, necnon tam Innocentii praedecessoris literas quam decretum praedictae congregationis cardinalium et praelatorum super disciplina regulari intelligenda fore, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium declaramus ac praecipimus et mandamus. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta, etiam ex eo quod vicarius generalis praedictae congregationis s. Sabinae aliive quicumque interesse

habentes in praemissis seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis legitima, iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium concessas, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad viam seu terminos iuris vel constitutionum dicti ordinis reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse, sed easdem praesentes literas semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter et inconcusse observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoscumque praeeminentia quacumque et potestate fungentes aut functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus eiusdem Innocentii praedecessoris literis ac decreto congregationis cardinalium et praelatorum super disciplina regulari supradictis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ordinis, congregationis s. Sabinae et provinciae ac conventuum huiusmodi aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem ordini, congregationi s. Sabinae et provinciae ac conventibus illorumque respective magistro et vicario generalibus et provincialibus aliisque superioribus, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, co-

rumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaelibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 5. maii 1725, pontificatus nostri anno primo.

F. cardinalis Oliverius.

13. Denuntiamus, petente r. provinciali Romano moderno, p. m. fr. Dominico Ponsi, sanctitatem suam alio brevi declarasse, monasterium monialium s. Mariae Magdalenae ad montem Quirinalem de Urbe spectare atque antea quoque spectavisse ad curam et gubernium provincialis pro tempore provinciae Romanae, nequaquam vero ad vicarium congregationis s. Marci Florentiae. Porro breve illud tale est.

Benedictus pp. XIII. Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus prior provincialis provinciae Romanae ordinis fratrum praedicatorum, quod dilectus pariter filius noster Laurentius tituli s. Petri in Vinculis S. R. E. cardinalis, Corsinus nuncupatus, alias monasterii monialium s. Mariae Magdalenae de Urbe visitator apostolicus, a nobis specialiter deputatus, attentis novis iuribus pro parte dicti prioris provincialis coram se exhibitis, praesentatis, visisque omnibus de iure videndis, pluriesque tam in voce quam in scriptis partibus auditis, praevio recessu ab aliis per eum decisis, per suam definitivam sententiam die 18. februarii proxime praeteriti latam dixit, decrevit et declaravit, curam et gubernium dicti monasterii spectare et spectavisse pro tempore existenti priori provinciali dictae provinciae ad formam testamenti quondam Magdalenae Ursinae et quarundam literarum apostolicarum fel. rec. Gregorii pp. XIII., praedecessoris nostri, nullumque ius nullamque actionem quoad dictam curam et gubernium habere vicarium generalem congregationis s. Marci Florentin. dicti ordinis, proindeque praecepit et mandavit, quod iidem priores provinciales pro tempore existentes provinciae huiusmodi continuare habeant et debeant in exercitio gubernii supradicti monasterii; quo vero ad legatum scutorum mille trecentorum et aliorum Iuliorum vigintiquinque quolibet anno a praedicta Magdalena Ursina relictum, servandam esse concordiam anno 1722 initam et a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium

negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita confirmatam, pari sua sententia decrevit et declaravit, prout ex sententia huiusmodi constare dicitur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus prior provincialis eamdem sententiam, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, summopere desideret, nos ipsum priorem provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatam sententiam ab eodem Laurentio cardinale et visitatore apostolico latam, per quam dictum, decretum et declaratum fuit, curam et gubernium spectare et spectavisse ad priorem pro tempore existentem memoratae provinciae Romanae, nullumque ius nullamque actionem quoad dictam curiam et gubernium habere supradictum vicarium generalem congregationis s. Marci; et ulterius mandatum fuit, quod pro tempore pariter existentes provinciales provinciae huiusmodi continuare habeant et debeant in exercitio gubernii praefati monasterii, et quoad legatum supradictum servandam esse memoratam concordiam, pari sua sententia decretum pariter et declaratum fuit, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto priori provinciali et aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etiam causarum camerae apostolicae auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit provinciae, ordinis et congregationis s. Marci ac monasterii praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse deroga-

mus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 17. maii 1725, pontificatus nostri anno primo.

F. card. Oliverius.

14. Denuntiamus, ex sacra rituum congregatione emanasse sequentia duo decreta. Primum quidem, postulante tunc temporis provinciali Terrae Sanctae, nunc vero rm̃o ordinis magistro, p. fr. Thoma Ripoll circa cultum immemorabilem b. Dalmatii Monerii. Alterum vero, instante p. m. fr. Ferdinando Augustino Bernabei, referens concessionem officii et missae in honorem b. Columbae, virginis ordinis nostri, factam toti eidem ordini nostro ac civitatibus Perusinae et Reatinae.

Decretum. Gerunden. canonizationis beati Dalmatii ordinis sancti Dominici.

Admissa a s. rituum congregatione, habita die 15. mensis iulii 1719, annuente etiam s. mem. Clemente pp. XI., ac successive per eumdem sanctissimum signata commissione introductionis causae beatificationis et canonizationis Dalmatii Monerii praedicti, beati nuncupati, et modo iuxta tenorem praefatae commissionis ad instantiam p. magistri Thomae Ripoll, sacerdotis professi ordinis s. Dominici, provincialis Terrae Sanctae, huiusmodique causae postulatoris, ab em̃o et rem̃o d. card. Scotto, ponente in sacra rituum congregatione proposito, ac discusso infrascripto dubio: An sententia lata per iudices delegatos a rem̃o episcopo Gerunden. super cultu immemorabili et casu excepto a decretis fel. rec. Urbani VIII. sit confirmanda in casu etc., sac. eadem rituum congregatio, r. p. d. Prospero de Lambertinis fidei promotore tam in scriptis quam in voce prius audito, rescribendum censuit, affirmative, si sanctissimo domino nostro visum fuerit. Die 9. augusti 1721.

Factaque deinde per me secretarium de praedictis sanctissimo domino nostro Innocentio pp. XIII. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 13. eiusdem mensis et anni 1721.

F. card. Paulutius praefectus.

Loco ✠ sigilli.

N. M. Tedeschi episcopus Liparitanus, sac. rit. cong. secr.

Decretum. Perusina seu Reatina concessionis officii et missae in honorem beatae Columbae virginis tertii ordinis s. Dominici.

Iterum in sac. rituum congregatione ad instantiam p. magistri fr. Ferdinandi Augustini Bernabei, ord. s. Dominici, postulatoris causarum bea-

tificationum et canonizationum totius dicti ordinis, proposita causa super concessione officii et missae de communi in honorem b. Columbae, virginis tertii ordinis s. Dominici de poenitentia, pro universo praefato ordine, necnon pro civitatibus Reatina, in qua ortum habuit, et Perusina, ubi monasterium fundavit in eoque obiit, cuius cultus per s. mem. Urbanum pp. VIII. in congregatione generali sanctissimae inquisitionis coram eodem habita sub die 25. februarii 1627 approbatus fuit, sac. eadem rituum congregatio ad relationem em̃i et rm̃i d. cardinalis Pipiae pro em̃o et rm̃o d. cardinale Otthobono, ponente, accedentibus etiam enixis episcoporum praedictarum civitatum, necnon humillimis capitulorum illarum ecclesiarum cathedralium ac respective ipsarum civitatum precibus, et tam in scriptis quam in voce rm̃o Prospero de Lambertinis, archiepiscopo Theodosiae, fidei promotore, prius audito, censuit, officium b. Columbae de communi unius virginis sub ritu duplici tam in dicto universo ordine utrius sexus quam in civitatibus Perusina et Reatina a toto illarum clero seculari utriusque sexus, servatis tamen rubricis breviarii et missalis Romani, singulis annis die 20. maii ipsius beatae natalitio recitari et missam respective celebrari posse, si sanctissimo d. n. visum fuerit. Die 10. martii 1725.

Et facta deinde de praedictis per me secretarium sanctissimo domino nostro relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 26. eiusdem mensis et anni 1725.

F. card. Paulutius praef.

Loco ✠ sigilli.

N. M. Tedeschi archiepiscopus Apamenus, s. rit. cong. secr.

15. Denuntiamus, per specialia decreta sac. congregationis rituum post absolutum ultimum generale capitulum 1721. primo fuisse ordini nostro concessum officium s. Mariae de Mercede sub toto duplici pro die 24. septembris, et officium conversionis p. s. Augustini sub ritu duplici pro die 15. maii, necnon concessum fuisse, ut festum alias celebrari solitum 15. septembris sub titulo commemorationis s. p. n. Dominici in Suriano celebretur imposterum sub titulo commemorationis imaginis miraculosae s. p. n. Dominici in Suriano, addita ad calcem VI. lectionis per verba determinata eadem praefatae s. imaginis commemoratione. Secundo approbatas fuisse lectiones pro b. Osanna, virgine ordinis nostri, orationes vero et lectiones pro bb. Augustino, episcopo Lucerino, et Ceslao, confessore ordinis nostri, in favorem totius ordinis.

Hactenus quae denuntianda fuerant ex ordinatione diffinitorii capituli generalis.

Verum quia eo capitulo iam absoluto nonnulla, et quidem magni momenti et pretii, pro decore ordinis nostri, praecipue summa cura et sollerti solicitudine rmi ordinis magistri a s. sede obtenta sunt, digna, quae universae religioni innotescant, ut ea opportune vulgentur et memoriae tradantur, ex mandato eiusdem rmi p. generalis hic inter denuntiationes suo ordine et loco inseruntur, prout alias quoque factum est in editione actorum capituli generalis Romani an. 1670 sub rmo Roccaberti. Itaque

16. Denuntiamus diploma illud, quo motu proprio SS. revocata ad se et penitus extincta lite super hospitio, quod ex hospitali alias vulgo de la Passion in celeberrimo oppido Matritensi fratres provinciae Hispaniae in perpetuum commodum religiosorum ordinis accedentium ad aulam catholici regis apposite erexerant, hospitium ipsum cum ecclesia caeterisque aedificiis adnexis, auctoritate apostolica cum suppressione cuiuscumque secularitatis, erigit in formalem conventum cum omnibus iuribus, privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, facultatibus ecclesiam aperiendi, campanas pulsandi, officia divina persolvendi, sacramenta secularibus ministrandi etc., cumque suo priore caeterisque, quibus alii conventus ordinis frui ac potiri consueverunt et solent.

Benedictus episcopus servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii, quod meritis licet imparibus divina providentia humilitati nostrae committere dignata est, ratio postulat, ut omnium regularium ordinum, vineam Domini excolentium, praecipuam solicitudinem geramus, quaeque ad divini cultus amplificationem, regularis disciplinae custodiam et augmentum conferre dignoscimus, ea iugi studio et conatu provehere, statuere et vehementer urgere non desinamus. Peculiari tamen cura et vigilantia oculos nostrae mentis ad ordinem fratrum praedicatorum, in quo solemnem professionem regularem emisimus et diu versati sumus, nos decet convertere, ut ubi uberiores fructus in vineam ipsam profluere et bonorum operum messem exurgere aspicimus, illuc, quantum in Domino possumus, provida cogitatione et maxima sedulitate incumbamus.

Itaque cum alias et usque de anno Domini 1637 tunc existentes fratres dicti ordinis provinciae Hispaniae hospitale, vulgo de la Passion nuncupatum in oppido seu civitate nuncupato Matriti, Toletan. dioecesis, intra limites parochialis ecclesiae sanctorum Iusti et Pastoris dicti oppidi situm, cum eiusdem hospitalis sine cura existente, minusque collativa ecclesia ac omnibus et singulis mansionibus aliisque membris et aedificiis

ad usum habitationis ab eodem hospitali quomodolibet dependentibus, eique annexis, in eorundem fratrum oppidum praedictum pro eorum dictaeque provinciae negotiis pertractandis, pro tempore adeuntium, hospitium iam convertendum a tunc existentibus dicti hospitalis illiusque ecclesiae mansionum, membrorum et aedificiorum praedictorum possessione, per tunc existentes fratres praedictos adepta eodemque hospitali in eorum hospitium converso, dictae ecclesiae in divinis iuxta laudabile dicti ordinis institutum deservire ac in ea sanctissimae eucharistiae sacramentum asservare, illudque christifidelibus, excepto paschali tempore, ministrare, defunctorum corpora tumulare, missas praevia campanarum pulsatione aliaque divina officia celebrare, et christianae pietatis opera exercere consuevissent; lite postea et causa in partibus inter tunc existentes rectorem dictae parochialis ecclesiae ac in eo clericos seu presbyteros perpetuos beneficiatos ex una, et tunc existentes fratres praedictos ex altera partibus, coram ordinario loci, et deinde coram aliis earumdem partium iudicibus competentibus, ac demum in Romana curia et in causarum palatii apostolici auditorio super praemissis et praesertim super eo, quod dictum hospitale in hospitium eiusmodi, nulla desuper dicti ordinarii loci ad id interveniente licentia, minusque servata fel. rec. Clementis VIII., Gregorii XV. et Urbani etiam VIII., Romanorum pontificum praedecessorum nostrorum, constitutionum desuper respective editarum, et concilii Tridentini decretorum respective forma conversum seu erectum et institutum fuerat, rebusque aliis in actis causae et causarum eiusmodi latius deductis introducta, prosequuta, ac demum per tres sententias conformes ad tunc existentis dictae parochialis ecclesiae rectoris et in ea beneficiatorum praedictorum favorem desuper emanatas et in rem iudicatam transactas terminata, fratres tunc existentes praedicti in earumdem sententiarum exequutionem a praemissis omnibus et singulis in dicta ecclesia ulterius exequendis et exercendis se se abstinere, dictae ecclesiae ianuas claudere', et ab eadem ecclesia illius campanas amovere coacti fuerunt; proptereaque dictum hospitium velut in privatam domum redactum extitit et existit de praesenti. Cum autem, sicut accepimus, ad oppidum praedictum, in quo pro tempore existentis Hispaniarum regis residet aula, frequens ordinis et provinciae praedictorum fratrum pro eorum ibi discutiendis negotiis accedat consuetudo, et absonum sit, quod in tam insigni oppido, ubi regularis aulae huiusmodi per commendabilem secularium morum honestatem refulget decor et religionis cultus, fratres illuc pro tempore accedentes praedicti in hospitio huiusmodi nulla septo clausura, et veluti in privata domo cum libero secularium utriusque sexus personarum accessu, non sine eorum regularis disciplinae discrimine animique dolore commorari cogantur; hospitium vero praedictum nunc, ut

praefertur, veluti in domum privatam redactum mansionibus aliisque aedificiis pro futuro dicti ordinis per nos, ut infra, erigendo conventu necessariis opportunisque refertum existat, et in ecclesia praedicta, quae eidem hospitio contigua eique proxima, nec angusta minusque rudis structurae existit, maius, et sex alia altaria sacris utensilibus ad missas etiam conventuales celebrandas satis decenter ditata et ornata, chorus pro divinis laudibus Altissimo depromendis accommode instructus, et sacristia cum eius sacra supellectili locupletata reperiantur. Nos igitur ad maiori eiusdem ordinis stabilitati in predicto oppido consulendum, et ne illa ulterioribus litium prematur incommodis, sed ut ordo ipse, cuius in dicto oppido tres conventus perpetuo erecti et instituti reperiuntur, pluribus in oppido huiusmodi abundans stationibus, semper gratior validiorque in pacis amoenitate efflorescat coram Domino, prout sincero exoptamus affectu, litis et causae praedictarum et aliarum, si quae sint, et desuper quomodolibet exoriri poterunt in futurum, statum et merita universa nominaque et cognomina iudicum, collitigantium praesentibus pro plene expressis habentes, ac causam praedictam, quatenus opus sit, ad nos avocantes litemque huiusmodi ad infrascriptorum effectum omnino penitusque extinguentes, necnon dationem et concessionem hospitalis illiusque ecclesiae aedificiorum aliorumque annexorum membrorum et dependentiarum praedictorum per tunc existentes dicti hospitalis rectores tunc existentibus fratribus praedictis quocumque cuiusvis alienationis titulo ac quocumque desuper forsan tunc soluto pretio quomodolibet factas, apostolica auctoritate perpetuo approbantes et confirmantes, eisque inviolabile apostolicae firmitatis robur adiicientes, necnon omnes et singulos tam iuris quam facti aut aliarum quarumcumque circumstantiarum et solemnitatum defectus, si qui et si quae tam super datione et concessione quam dicti hospitalis erectione seu fundatione praedictis quomodolibet respective intervenerint, seu intervenisse praetendantur, plenarie perinde ac si datio et concessio ac erectio seu fundatio praedictae respective factae fuissent, supplentes motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque voluntate et deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hospitium praedictum cum omnibus et singulis illius aedificiis, aedibus, mansionibus, officinis et hortis in eo existentibus quibuscumque, praevia ab eis cuiuscumque secularitatis, si qua inesse dignoscatur seu praetendatur, status et essentiae abdicatione, suppressione et extinctione in reliquum regularem dicti ordinis in dicto oppido conventum cum omnibus et singulis indultis, facultatibus gratiarum, indulgentiarum, largitionibus, immunitatibus ac exemptionibus, quibus caeteri dicti ordinis conventus de iure, stylo et consuetudine ac participatione aut alias quomodolibet

nunc utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, pro duodecim saltem nunc et pro tempore existentibus ordinis et provinciae praedictorum fratribus ordinem ipsum expresse professis, qui in conventu per praesentes, ut infra, erigendo huiusmodi ac intra illius claustra, servata regulari eorum disciplina, una cum uno ex eis futuro eorum priore, ab eiusdem ordinis fratribus canonice pro tempore eligendo, qui eos, necnon conventum per praesentes, ut infra, erigendum iuxta dicti ordinis leges et constitutiones, per debitas eorum regularis disciplinae semitas regere, dirigere, corrigere et gubernare eisque praeesse debeat, vivere, et qui ex conventus per praesentes, ut infra, erigendi huiusmodi annuis redditibus seu eleemosynis, si quos aut si quas habeat, eorum alimoniae et manutentioni sufficientes, sin minus, ac donec conventus per praesentes erigendus huiusmodi ex redditibus et eleemosynis praedictis habuerit, unde congruae alimoniae et manutentioni praedictis consulere valeat, ex aliorum provinciae praedictae conventuum iuxta providam ab eiusdem provinciae provincialibus superioribus desuper pro rata reddituum seu eleemosynarum deficientiam, huiusmodi faciendam, servandamque distributionem, ac alias quoad illorum numerum, alimoniam et manutentionem huiusmodi, iuxta constitutionum et decretorum apostolicorum alias desuper editorum formam et tenorem ali et manuteneri debeant; necnon sine cura minusque collativam existentem ecclesiam praedictam, abdicata pariter ab ea quacumque eius secularitate, in regularem dicti ordinis ecclesiam cum omnibus quoque et singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, indultis, indulgentiis, gratiis, praeeminentiis et antelationibus, quibus reliquae dicti ordinis regulares ecclesiae nunc quomodolibet fruuntur, utuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere poterunt in futurum, ita quod liceat fratribus dicti ordinis pro tempore existentibus praedictis illam illasque ianuas publice aperire, campanas denuo apponere ac pulsare, et in ea missas, etiam conventuales, aliaque divina officia celebrare, sacramentales christifidelium confessiones audire, venerabile sanctissimae eucharistiae sacramentum decenter asservare, illudque eisdem christifidelibus singulis annis, non tamen paschalitiis temporibus et diebus ministrare, conciones habere, defunctorum cadavera sepelire, b. Mariae virginis rosarium recitare, divinas laudes nocte et die assidue choraliter decantare, aliaque christianae pietatis opera et functiones ecclesiasticas iuxta eorum ordinis laudabile institutum, et quae religiosa eorum charitas ad promovendam aeternam proximorum salutem sibi suaserit exercenda, exercere, cuiusvis licentia desuper minime requisita, sine tamen praeiudicio iurium parochialium dictae parochialis ecclesiae, illiusque nunc et pro tempore existentis rectoris, apostolica auctoritate perpetuo erigimus et instituimus, decernentes, easdem praesentes

etiam ex eo quod dilecti filii moderni dictae parochialis ecclesiae illiusque nunc et pro tempore existentes rector ac beneficiati in ea existentes praedicti, ordinarius loci, regulares cuiuscumque ordinis, societatis vel instituti, vel quicumque alii in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, vel alii, ad quos forsan spectat et pertinet, seu pro tempore spectabit, ad hoc vocati et auditi non fuerint, neque praemissis consenserint, imo forsan illis contradicturi sint, seu quibusvis aliis quantumvis iustis, iustissimis et rationabilibus causis', de nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu cogitato vel inexcogitato notari, impugnari, retractari, annullari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari, vel sub quibuscumque constitutionibus et literis apostolicis in contrarium praemissorum, etiam motu pari et concistorialiter emanatis, vel emanandis, aut quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, nullatenus unquam comprehendi, sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum ac eum, in quo ante permissa quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes dicti conventus per nos, ut praefertur, erecti, priores et fratres eligenda, concessas, semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii praedicti auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, ac sedis apostolicae nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in qualibet instantia iudicari et definiri debere, et irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis nostro et dictae sedis nuntio, in regnis Hispaniarum pro tempore commoranti, ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per apostolica scripta motu proprio simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, quando et quoties pro parte pro tempore existentium fratrum conventus per nos, ut praefertur, erecti huiusmodi, seu pro eis agentium requisiti fuerint, easdem praesentes et in ea contenta quaecumque, ubi, quando et quoties opus fuerit, faciant integraliter et inviolabiliter observari, non permittentes priorem et fratres dicti conventus per nos, ut praefertur, erecti, vel pro eis agentes pro tempore existentes praedictos, desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores et rebelles quoslibet per

censuras ecclesiasticas aliaque iuris et facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, non obstante nostra et cancellariae apostolicae clausula, de iure quaesito non tollendo ac eiusdem recordationis Bonifacii similiter papae VIII., etiam praedecessoris nostri, quatenus opus sit de una et cancellariae generalis de duabus dictis, dummodo aliquis extra suam civitatem et dioecesim ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, necnon praedictis Clementis, Gregorii et Urbani, praedecessorum nostrorum praedictorum, necnon piae mem. Innocentii pp. X., similiter praedecessoris nostri, desuper edita, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ordinis praedicti etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illi illiusque superioribus aliisque personis etiam derogatoriarum derogatoriis, efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis et confirmatis ac innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de de illis eorumque totis tenoribus specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, latissime et plenissime ac specialiter et expresse hac vice dumtaxat harum serie motu pari derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, roboris, adiectionis, defectuum suppletionis, erectionis, institutionis, decreti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam maiorem anno incarnationis dominicae 1725, nonis septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Visa de curia. I. archiepiscopus Ancyranus.
P. card. prodatarius.
F. card. Oliverius.

17. Denuntiamus, indultum utique insigne canendi matutinum et missam solemnem nativitatis Iesu Christi salvatoris nostri ante mediam noctem benigne factum fratribus nostri celebris conventus apud ss. Iohannem et Paulum Venetiarum a nostro quoque summo pontifice per sequens diploma, in quo quidem s. p. se in minoribus constitutum fuisse in conventu illo assignatum, iterum testatum relinquit; tum vero exhibitas in brevi superius descripto eidem conventui paternae grataeque pietatis significationes pergit apostolica liberalitate in effectum perducere.

Benedictus pp. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut dilecti filii fratres ordinis praedicatorum conventus ss. Iohannis et Pauli, civitatis Venetiarum, nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia dicti conventus structura situs, nobilitate, familiarum patritiarum numeroso concursu aliisque praerogativis praefulgeat et a populo frequentetur, ipsi exponentes facultatem canendi matutinum et missam solemnem nativitatis d. n. Iesu Christi ante mediam noctem, ad instar indulti, quod fratres minores conventuales, eremitae s. Augustini et b. Mariae de Monte Carmelo respective ordinum eiusdem civitatis gaudent, sibi a nobis concedi plurimum desiderant; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur animo recolentes, quod in minoribus constituti, dum in ordine proversabamur, conventualitate in dicto conventu potiti fuimus, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum consilio, et attenta relatione venerabilis fratris patriarchae Venetiarum super praemissis ad eosdem cardinales transmissa, petitum indultum auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 13. septembris 1725, pontificatus nostri anno secundo.

F. cardinalis Oliverius.

18. Denuntiamus, suppressionem confraternitatis ss. rosarii civitatis Caesenaten. et applicationem mobilium ac ornamentorum sacrorum eius, una cum oratorio, ecclesiae conventus ordinis praedicatorum, ex congregatione s. Sabinae, provinciae utriusque Lombardiae, eiusdem civitatis, factam motu proprio a ss. d. n. hisce conceptis verbis:

Benedictus pp. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Cum nos nuper inter alia confraternitatis ss. rosarii civitatis nostrae Caesenaten. omnes annuos fructus, redditus et proventus cuiuscumque

quantitatis, speciei et valoris existerent, seminario ecclesiastico eiusdem civitatis sub certis modo et forma tunc expressis applicaverimus et assignaverimus, prout in nostris desuper in simili forma brevis die 3o. mensis maii proxime praeteriti expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem nos rationabilibus causis nobis notis adducti, motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dictam confraternitatem ss. rosarii in ecclesia conventus ordinis fratrum praedicatorum dictae civitatis canonice, ut asseritur, erectam, necnon quamcumque praeeminentiam et ius, quae confratribus memoratae confraternitatis in eiusmodi ecclesia quomodolibet competere potuerint, una cum titulo, essentia et denominatione, tenore praesentium perpetuo extinguimus, supprimimus et abolemus, ac universa praefatae confraternitatis mobilia et ornamenta sacra ecclesiae et capellae ss. rosarii huiusmodi, una cum oratorio, quod est de directo dominio praedicti conventus et cui annuus canon in concessione fundi iamdudum a fratribus praedicti conventus facta cum pactis expressis in illa appositis reservatus fuit, harum serie perpetuo applicamus et incorporamus. Decernentes, easdem praesentes literas, etiam ex eo quod praefatae confraternitatis officiales et confratres et caeteri quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae aut iustificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore iuris clauso, sive etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari et impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, vel ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque et

non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et apostolicae sedis nuntios aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili fratri moderno et pro tempore existenti episcopo Caesenatensi per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipse per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, dictisque fratribus in eisdem praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra fratres conventus praefati praesentium literarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis, quorum interest, et aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis prohiben., aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac omnibus et singulis illis, quae in praedictis literis voluimus non obstare, necnon praedictae confraternitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub anulo piscatoris die 15. septembris 1725, pontificatus nostri anno secundo.

F. card. Oliverius.

19. Denuntiamus, ad demissas piasque supplicationes rmi p. m. generalis sanctissimum de benignitate apostolica et sua concessisse officia cum missis in universo ordine nostro atque etiam in quibuslibet conventibus recitanda ac celebranda, quorum elenchum dat sequens

Decretum. Ordinis praedicatorum.

Sanctissimus d. n. Benedictus XIII. ad enixas humillimasque preces p. Thomae Ripoll, magistri generalis ordinis praedicatorum, sanctitati suae porrectas benigne indulsit, ut in universo praefato ordine imposterum possint celebrari et in breviario ac missali eiusdem ordinis addi et apponi officia et missae festivitatum b. Mariae virginis sub ritu toto duplici, sequentium videlicet: Die 11. februarii desponsationis b. Mariae virginis cum sancto Iosepho. Feria 6. post dominicam passionis compassionis seu septem dolorum. Die 18. iulii commemorationis de monte Carmelo. Dominica secunda novembris patrocinii. Et die 18. decembris expectationis partus. Et pro dictis festis assumantur officia et missae, quae in breviario ordinis approbata sunt pro regnis Hispaniarum cum orationibus pro festo patrocinii iam a sac. rituum congregatione approbatis pro monachis Cisterciensibus. Item quod possint celebrari festum s. Thomae a Villanova episcopi et conf., desumptis officio et missa a breviario et missali Romano, sub ritu duplici die 25. septembris. Et commemoratio ss. martyrum et aliorum sanctorum, quorum corpora vel reliquiae in ecclesiis dicti ordinis asservantur, sub ritu toto duplici die 30. octobris, cum officio et missa iam a sacra rituum congregatione approbatis pro aliis religionibus. Item quod festum s. Francisci conf., ordinis minorum fundatoris, celebretur cum octava simplici, desumptis lectionibus pro ea ex breviario dicti ordinis minorum. Et festum s. Catharinae v. et m. celebretur etiam cum octava simplici, desumptis lectionibus de sermone s. Petri Damiani, quae appositae erant in breviario ordinis praedicatorum, quando dictum festum celebrabatur cum octava solemni. Item quod pro festo s. Philippi Nerii dicatur missa propria, quae in missali Romano. Et in festo s. Ludovici Bertrandi dicatur evangelium secundum Marcum: Euntes in mundum universum etc., sicut in festo s. Francisci Xaverii. Item quod possint celebrari officia et missae illorum sanctorum, de quibus in aliquo regno, provincia vel civitate ex concessione apostolica speciali vel ex approbata consuetudine universim ab omnibus tam secularibus quam regularibus officium cum missa celebratur, sub eo tamen ritu et forma iuxta rubricas breviarii dicti ordinis. Die 27. septembris 1725.

Sequuntur denuntiationes faciendae de mandato diffinitorii capituli generalis.

20. Denuntiamus, rmum ordinis magistrum generalatus sui primitias

consecrasse pastorali illa ac gravissima oratione, qua cadente diffinitorio nostro generali cunctos ad custodiam ac observantiam sancitarum legum allexit et excitavit, ut in tuto suam et proximorum salutem ponerent, se seque dedit paratissimum ad singulis subditis suis ubertim exhibenda paternae dilectionis, iustitiae et vigilantiae argumenta. Monuit tamen, ne congruas petitiones suas per aliquas mediantes, minus vero per extraneas personas, sed ad se immediate veluti amantes filii ad amantem patrem deferrent; extrema illi minando, qui pro extorquendis favoribus quibuslibet ad personas illas extra ordinem constitutas se se recipere auderet.

21. Denuntiamus, eundem rmum ultroneum declarasse, assignationes quaslibet a se amodo dandas non obstituras, quo minus fratres per illas in certo quocumque conventu assignati assignentur postmodum a suo p. provinciali respective in alio quoque conventu, prout ipse in Domino iudicaverit expedire. Quod et voluit extendi ad assignationes datas vel confirmatas a suis praedecessoribus. Et hanc quidem dignissimam declarationem totum diffinitorium nostrum lubens suscepit, meritisque firmavit encomiis, ceu maxime conducentem ad perfectam exequutionem illius obedientiae, quam peculiari ac commendabili ratione expresse professi sumus.

22. Denuntiamus denique, celebrandum esse capitulum generale, quod erit primum diffinitorium, anno 1728 ultra montes, in loco bene viso rmo nostri ordinis generali magistro. Hunc vero pro habendis talibus comitiis selegisse originalem conventum suum Barchinonensem ad s. Catharinam virginem et martyrem.

Confirmationes.

1. Quoniam sancta ac undique necessaria religionis tum hierarchia cum oeconomia aegre admodum florere possunt ac stare, donec obtineat gravissima pestis illa spiritualis, qua infecti ambitiosi quidam, suaeque professionis certo immemores, utramque corrumpere ac perdere miserrime pergunt, vocato in subsidium sibi deficentium meritorum venefico ac tot vicibus damnato recursu ad extraneas quascumque personas, etiam cardinalitia aut imperiali dignitate fulgentes, ut gratias ordinis, officia, dignitates, gradus, lecturas vel a poenis impunitatem a suis superioribus extorqueant, inde maiorum nostrorum vestigiis insistentes, ut, si fieri potest, experrecti geminatis ictibus illi animae suae certam perniciem non tam norint quam declinent, primo revocamus in memoriam eorum poenas omnes et censuras in eos latas per summos pontifices Gregorium XIII. 5. iunii 1580 in bulla: Nihil magis, Clementem VIII. in constitutione, quae incipit: Religiosos viros, data 25. maii 1592, et Paulum V. in bulla: Admonemur, 7. ianuarii 1608; quibus insuper in constitutionibus summi illi pontifices, ut adamantinos in re tanti momenti reddant superiores

quoscumque ordinis nostri, mandant iisdem in meritum s. obedientiae, ne ad instantiam quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum extra eundem ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore ac quacumque seculari dignitate et excellentia, etiam ducali, regali et imperiali fulgentium, cuivis dicti ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere audeant seu praesumant. Ex quibus viderint molesti illi ac violenti subditi, quali in discrimine, Deum inter et homines auctoritate praestantes, suos constituant superiores.

Confirmamus deinde ac innovamus poenas quaslibet et censuras, per tot capitula generalia et per tot encyclicas a praeteritis rmis magistris ordinis hucusque latas contra illorum gratiarum aucupes; immo et contra illos, qui huiusmodi favores etiam sponte oblatos acceptant, easque omnes iterum post capitulum generale Bononiense 1706. conf. 1: « Extendimus contra diffamatores fratrum apud seculares, uti et maxime contra recurrentes ad tribunalia secularia, ut electiones turbent, vel mandata superiorum declinent, aut eorum impediant exequutionem sub praetextu etiam quod id faciant procuratorio nomine alicuius provinciae vel conventus », declarantes, quemadmodum fecit capitulum generale Romanum 1721. conf. 2. « non idcirco exemptos esse eos fratres, quibus conceduntur praedictae gratiae a poenis, censuris, excommunicatione et aliis, quae a dictis summis pontificibus vel capitulis generalibus imponuntur, sed eas omnino incurrere, indeque ipsos habendos esse uti ordinis destructores totiusque religionis publicos hostes ».

Poenae autem et censurae indicatae veniunt ad has classes per capitulum illud Bononiense eo loci recitatas his conceptis verbis:

1. Vocis activae et passivae privatio, magistro ordinis reservata. Item privatio omnium gratiarum et beneficiorum officiorumque ordinis, graduum et bonorum ad usum concessorum.

2. Perpetua inhabilitas ad huiusmodi seu recuperanda seu postmodum obtinenda.

3. Inhibitio exequendi quamcumque functionem ecclesiasticam sive altaris sive pulpiti aut confessionalis.

4. Publica nota seu titulus destructoris ordinis.

5. Privatio suffragiorum ordinis tam in vita quam in morte.

6. Excommunicatio latae sententiae, pluries a diversis tum priscis tum recentibus capitulis fulminata, iterata et specialiter supremo ordinis tribunali reservata.

7. Denique maledictio omnipotentis Dei, b. M. v. et ss. Dominici p. n. in eos, qui animo pertinaci et indurato tales sententias et poenas non horruerint, destructoribus ordinis taxatas.

Ad haec tonitrua qui non expergiscitur, iam non dormit, sed mortuus est. Epiphonema est laudati cap. gen. Bononiensis.

Ne vero transgressores a praedictis poenis et censuris sive per facti negationem sive per alias processuum vel exceptionum quaslibet ambages ac diverticula se se facile eximere aut subducere posse temere sperent, revocamus in memoriam omnium s. rec. Clementem VIII. in bulla superius indicata haec formalia habere: « Statuentes, quod omnes et singuli in praemissis delinquentes nulla alia monitione praecedente et absque processu desuper habendo sententias et poenas praemissas irremissibiliter ipso facto incurrant, quodque ad illas sententias et poenas huiusmodi damnaliter incurrisse legitime probandum et omnino convincendum solae praemissarum personarum instantiae, favores et preces, etiam oretenus porrectae, plenam, indubiam et sufficientem in iudicio et extra fidem faciant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur ».

2. In memoriam revocantes ord. 22. capituli Vallisoletani an. 1605. circa conventus solventes quindennium, eamdemque innovantes ac confirmantes « praecipimus in virtute Spiritus s. et s. obedientiae sub formali praecepto et sub poena excommunicationis latae sententiae, una hac pro trina canonica admonitione praemissa, patribus prioribus seu principalibus praesidentibus et depositariis conventuum vel locorum, qui pensiones, census, redditus vel alia bona solutioni quindennii obnoxia possident, ut singulis annis trigesimam partem census vel redditus vel pensionis in deposito communi in quadam capsula ad hoc destinata deponant et conservent, donec quindennio completo absque conventus gravamine solvant, cui solvere tenebuntur. Mandamus vero sub eisdem praecepto et censura omnibus supradictis, ne praedictam coacervatam pecuniam quovis titulo vel quaesito colore, etiam ratione mutui, possint tollere vel expendere in alios usus praeterquam ad solutionem quindennii ».

Ordinationem praedictam insuper extendimus quoad omnia respective ad priores aut praesidentes et depositarios illorum conventuum et locorum, qui accepta venia a sacra congregatione, vel ab alio potestatem habente, census passivos habent vel sunt habituri deinceps. Mandantes iisdem sub eodem praecepto et sub eadem excommunicatione latae sententiae, ut supra, quatenus quovis anno reponant in capsula particulari, neque ulla ratione distrahant, tollant vel expendant summam illam annuam proportionalem, quae tamen tempore a superioribus illis praefixo pro extinctione census totum capitale restituendum conficiat.

Mandamus vero, ad certam praedictorum exequutionem, pp. provincialibus, quatenus in actuali visitatione conventuum teneantur super hoc diligenter inquirere; et si repererint quempiam conventus praesidentem et depositarios in hoc deficientes, qui nimirum non reposuerint modo

supra statuto, vel distraxerint, summam annuatim respondentem quindennio solvendo aut capitali census, incunctanter delinquentes declarent subiectos poenis et censuris atque a gubernio et administratione respective deturbent et amoveant.

3. Quum ordo noster sit ad animarum salutem institutus, ne contingat operarios aptiores ad serendam sementem evangelii a tanto impediri apostolico munere propter officia actualia prioris aut lectoris, confirmamus rr. pp. provincialibus extra Italiam facultatem, ipsis a capitulo generali Romano 1694. assertam, eamque extendimus et concedimus etiam provincialibus provinciarum Italiae, qua pro sui prudentia, rebusque omnibus rite perpensis, licentiam dare possint ad habendas conciones quadragesimales iisdem prioribus extra confinia suorum conventuum et lectoribus theologiae, servata inter hos alternativa, iuxta glossam constitutionum dist. 2. cap. 14. textu 4. ad literam G. in fine, ex capitulis generalibus Romano 1601 et Vallisoletano 1605.

Declarationes.

1. Ut certa et clara fluat intelligentia legis latae in capitulo generali Romano 1721 ord. 2. pro regimine et ord. 1. pro provincia Germaniae inferioris cum expositione eiusdem, emanata a modo em̃o ac rm̃o p. fr. Augustino cardinali Pipia, tunc generali ordinis magistro, circa privationem vocis activae positam contra non expositos ad excipiendas sacramentales confessiones, etiam secularium iuxta adm. 6. capituli Romani 1694, qui alias non essent in constanti possessione suffragii ferendi, declaramus, eam minime afficere pp. studentes; qui propterea habebunt vocem activam in electionibus, si sex annos compleverint ab emissa sollemni professione, quoties provinciae aut conventus, in quo degunt studiis addicti, id ferat consuetudo, per acta praesentia non sublata. Caeterum eadem voce omnino privatos esse illos, qui absoluto studentatu iuxta provinciarum consuetudines intra spatium sex mensium non fuerint praevio rigoroso examine approbati ad audiendas etiam praedictorum secularium confessiones, nisi alias prius talem approbationem fuissent consequuti. Semel vero examinatos et approbatos gaudere voce praedicta, quoadusque evoluto triennio vel post absolutum studium, si studiorum tempore prima approbatio praecessit, vel post primum examen novo se sistant examini; in quo si iterum eorum peritia probata fuerit, ut supra, voce gaudere pergant, aliter inposterum sint illa privati. Demum si alio triennio evoluto in tertio examine iidem fuerint simpliciter intra ordinem approbati ad easdem confessiones iuxta ordinationes aliorum capitulorum generalium, a nobis in § Pro observantia regulari infra non tam revocatas in memoriam, quam ex proposito innovatas declaramus, eosdem perpetuo, quantum erit ex hoc capite, frui debere iure suffragii. Si vero re-

iecti fuerint, eodem iure privatos hoc ipso, quoad vixerint, omnino esse, decernimus. Hac ratione moralis disciplinae studium, adeo ad animarum salutem operans, in dies magis magisque inter nostros florere, ac desides circa ipsum nullos ex illis futuros esse, speramus.

2. Declaramus, ducti quidem meditatis momentis, quod quilibet provincialis pro tempore in sua provincia respective, iusta urgente causa, dispensare valeat super interstitiis, quoties opus esse crediderit, ut quis denuo instituatur supprior, syndicus, depositarius sacrista maior vel in aliquo alio consimili inferiore officio confirmetur. Moderantes proinde decl. 13. capituli Bonon. 1706 circa suppriores, et praeterea extendentes ad idem officium supprioris et ad provinciales omnes, quod pro alio biennio dumtaxat concessum fuerat solis provincialibus ultramontanis quoad alia officia inferioris notae.

3. Insuper declaramus propter gravissimas rationes, quod examen recipiendorum ad habitum clericalem in quacumque provincia ordinis reduci debeat ad terminos constitutionum nostrarum, non obstante quocumque decreto in contrarium ab aliquo rmo ordinis generali magistro emanato. Nolumus tamen per generalem hanc declarationem infirmari illa, quae pro particulari aliqua provincia a nobis sancita propter specifica motiva in sequentibus recitabuntur.

4. Declaramus, sententias a iudicibus causarum latas, tum vero in praesenti nostro diffinitorio a nobis approbatas manu secretarii subscriptas ac sigillo ordinis munitas, valere plenumque consequi debere robur ac fidem.

Ordinationes pro bono regimine.

1. Tametsi sufficienter et ultra per sanctas ordinis constitutiones et capitula generalia praecedentia, praecipue vero per Romanum 1694 decl. 16. et seqq. provisum sit circa electionem legitimam diffinitoris et socii vel electoris pro quibuscumque comitiis generalibus celebrandis, ad tollendas tamen difficultates omnes, quae ob occurrentes circumstantias emergere possunt, utque in omni eventu iugiter adsint singuli magistri ordinis electores, ordinamus, quod in quolibet capitulo provinciali eligantur diffinitor et elector, sive socius ad capitulum generale, hisce subadditis expressis declarationibus: Quatenus opus sit. Et: sive capitulum generale proxime celebrandum sit provincialium sive diffinitorum, salvo tamen iure de diffinitore eiusque socio triennali in quibusdam provinciis reperto.

2. Ordinamus, quoscumque studentes extra suas provincias constitutos, quousque ibidem versantur in studiis sive materialibus sive formalibus, carere voce activa in illis conventibus, in quibus operam suam navant praefatis studiis, adhuc si caeteroqui habeant aetatem debitam. Declaramus tamen, per haec nullatenus infirmari consuetudinem illam,

quae viget in aliquibus provinciis, in quibus patres studentes etiam intranei sive earumdem provinciarum aut conventuum illarum filii carent voce activa in aliquo vel in omni conventu ipsarum, donec studia compleverint sua. Quod quidem pro studentibus formalibus ad eorum constantem quietem et securitatem inchoatum fuerat et generaliter ordinatum in capitulo Romano 1656 inch. 7., et proinde talem consuetndinem approbamus.

3. Summo atque aequissimo animi aestu non tam consulimus quam ordinamus ac districte mandamus quibuscumque conventuum nostrorum praesidentibus, ut procul acta omni segnitie et depulsa a se avaritiei quavis suspicione, manus suas conferant pro adornanda ac tandem typis vulganda re diplomatica religionis. Hinc selectis ex conventibus sibi subiectis vel, si ibi desiderantur, aliunde accitis eruditioribus viris, ipsis demandent provinciam quam accuratissime lustrandi archivum conventus sui respective, tum vero conficiendi summarium, numeris omnibus absolutum, bullarum, brevium et caeterorum insignium diplomatum, ibidem repertorum, atque spectantium privilegia, praerogativas, honores et similia, in commodum sive universae religionis sive certae provinciae aut congregationis sive etiam particularis conventus. Porro summarium illud optimo charactere exaratum iidem praesidentes solicitiores mittent Romam ad rmum patrem generalem, qui dignum hoc opus a multo tempore communibus votis expetitum pro rara sua diligentia perficiendum curabit.

Pro observantia regulari.

Obtemperantes ea, qua par est, reverentia monitis s. p. et d. n. Benedicti pp. XIII., diserte expositis in superiore brevi ad capitulares, eique pro sui erga ordinem suum nostrumque amantissimo zelo, quo etsi non corporis, spiritus tamen praesentia hisce nostris comitiis adesse dignatus est, humillimas agentes gratias

1. Statuimus, ut in illis conventibus et provinciis, in quibus viget adhuc laudabilis consuetudo, matutinas preces in puncto mediae noctis persolvendi, hoc inviolabiliter observetur iuxta praescriptum in capitulo Valentino 1647 ord. 1. Ubi vero sive hominum desidia sive temporis iniuria a tam sancta consuetudine declinatum est, ss. d. n. discretae moderationi inhaerentes, volumus et mandamus, ut matutinum officium de nocte recitetur ita, ut nocturno tempore coeptum de nocte etiam absolvatur. Idque in omnibus conventibus, non solum ubi novitiatus purus, sed etiam ubi professorium est, observetur, ut saltem mense septembri hora septima, octobri octava, novembri nona, decembri decima recitetur et sic e converso, ianuario et februario 10., martio 9., aprili 8., et maio 7., et ita usque ad festum ss. Trinitatis. Innovantes poenas in

praelaudato capitulo Valentino statutas contra priores id regulariter servari negligentes; nimirum decernentes, privatos voce activa in electionibus et actionibus capitulorum provincialium priores, immo et socios illorum conventuum, in quibus fratres regulariter non surgunt de nocte ad matutinum; volentes insuper, ut tam priores quam socii deferre debeant ad capitulum literas testimoniales iuratas fratrum sui conventus de observantia huius ordinationis, nec aliter admittantur; additis aliis poenis etiam absolutionis ab officio ad arbitrium provincialium, quemadmodum in eodem capitulo decernitur.

2. Pro assidua adsistentia choro innovamus decl. 12. capituli Romani 1656, ubi sic statuitur: Declaramus omnes fratres nostros, cuiuscumque dignitatis, officii aut gradus fuerint, nemine prorsus excepto, obligari ad assiduam chori tam nocturni quam diurni sequelam, demptis solis lectoribus actualibus et magistris actu docentibus, ita quod, si forte in aliquibus provinciis peculiari consuetudine magistris numerariis, quos vocant, ac rite post expletos suarum lectionum cursus, acceptatis aliquid ea in re indulgeatur, nequaquam id ad alios titulares magistros, vel qui munia sua nondum expleverunt, sit extendendum. Comprehendimus autem sub magistrorum actu docentium nomine illos quoque magistros acceptatos, qui fructuose occupantur in conscribendis libris, habendis ad populum concionibus et in assidua sacramenti poenitentiae administratione. Nihilominus et hos solicite hortamur, ut sui status memores, ultro dum possunt, satagant choro divinisque laudibus adsistere . . . . . , quum nostrae professionis sit tessera: laudare, benedicere, praedicare. Quae omnia praefatum capitulum, quumque conveniant cum iis, quae sancita inveniuntur in constit. dist. 1. de officio Ecclesiae cap. 1. sub littera D, praesertim ex capitulo Avenionensi an. 1561., omnino observari volumus.

3. Noverint insuper omnes, a completorio, salve regina et officio mortuorum neminem prorsus esse exemptum, sicut dominicis diebus aliisque festis de praecepto, et non tantum sollemnissimis, omnes, cuiuscumque gradus et muneris sint, officio divino tam diurno quam nocturno in choro persolvendo regulariter interesse debere, ut si qui sint, qui praetextu sui gradus choro adesse recusaverint, per superiores, etiam imposita poena, corrigantur, quemadmodum ordinamus cum capitulo Romano 1694 ord. 2. pro observantia regulari.

4. Decl. 9. capituli generalis Bononiensis 1706 innovantes, declaramus, neminem ab hebdomadarii officio esse exemptum neque praetextu affiliationis neque etiam praedicaturae generalis vel quovis alio titulo, nisi in constitutionibus nostris vel actis capitulorum generalium expresso, et nisi a magistro ordinis ex rationabili causa habeatur dispensatio; a quo

solum posse in hoc dispensari, declaratum fuit Parisiis 1611 conf. 26. Volumus itaque, id muneris hebdomadarii ab omnibus non legitime impeditis seu dispensatis impleri, et quidem personaliter. Abusum, quo aliqui vices in hac parte suas in alios benevolos aut mercede etiam aliqua, quod turpe est dicere, còndutos, transferre satagunt, prorsus improbantes; et quascumque dispensationes a provincialibus perperam factas revocantes tanquam nullas et praeter nostri instituti sacri sensum concessas et obtentas. Qui vero huic detrectant satisfacere obligationi, a conventu removeantur et eo transferantur, ubi maiora et graviora onera experiantur. Super quo gravamus provincialium conscientias, si circa similes abusus indulgentes aut conniventes, in actuali sancta visitatione eos eradicari totis viribus non conabuntur.

5. Quia capitulum Valentinum 1647 ord. 3. praecipit pp. provincialibus et prioribus, ut in ecclesiis suis provideant de confessariis, qui sint probae vitae, prudentes et docti, et qui patienter et caritative poenitentes audiant et, si opus fuerit, ad hoc officium etiam graduatos et magistros, cuiuscumque conditionis, per poenas sibi bene visas compellant, hoc volumus inviolabiliter observari. Quia vero nulla ratione ferre possumus, ut impune se se eximant a sacro illo munere spiritualis doctoris, medici et iudicis in tribunali poenitentiae illi, quos Dei dona aptiores facere, unde decidat tam sanctae ordinationis exequutio, qua salus animarum, ad quam dati sumus, mirabiliter promovetur, addimus, et quidem ex mente sanctitatis suae determinatas poenas, quibus insuper transgressores certo subiectos volumus, ordinantes: « Neminem ex patribus, suffragii ferendi in capitulo provinciali ius habentibus, ad suffragandum admittendum fore, nisi tam patentes literas ordinarii exhibuerit, quibus ad confessiones secularium audiendas probatum esse constet, quam in diffinitorio testimonium iureiurando firmatum et subscriptis trium patrum nominibus, ubi sit idoneus religiosorum numerus, quibus appareat, non infrequenter huic ministerio vacasse, aut valetudinis vel muneris alicuius impedimento a tam pii operis exercitatione abfuisse. Quoad caeteros vero fratres sacerdotio initiatos praecipimus, ne a provincialibus ad sanctimonialium confessiones admittantur, atque ut patres simplices a paternitate consilii penitus arceantur, nisi antedictas literas ac testimonium produxerint ».

Considerantes tamen in hac parte, nonnullos, postquam semel approbati fuerint ad audiendas confessiones, studium casuum conscientiae prorsus abiicere, unde in dies minus habiles sensim redduntur, innovamus et omnino observari volumus ord. 4. capituli Valentini praefati, confirmatam in capitulo generali 1694 conf. 9., nimirum: « Quod qui in posterum approbandi erunt ad audiendas confessiones tam fratrum quam

secularium et monialium, nisi alias sint graduati vel in studio generali praedicatores vel lectores instituti, tribus vicibus de triennio in triennium in aliquo conventu, ubi vigeat studium theologiae examinentur, et solum post tertium examen simpliciter approbati esse censeantur ». Porro huic fini maxime inserviet, si, quod tot capitulis statutum est, observetur, ut in conventibus, in quibus viget studium theologiae, adsit lector, qui statis diebus casum conscientiae proponat et resolvat. Cuius lectioni omnes confessarii et pp. sacerdotes intersint. In parvis autem conventibus, ubi huiusmodi lectores esse non possunt, ne sacerdotes ibi degentes summo otio torpeant, iidem praefato casuum conscientiae studio vacent, et de illis habeantur inter illos conferentiae, ut ordinatum fuit Salmanticae 1551, ord. 10.; Romae 1580, conf. 6. et Venetiis 1592, ord. 16.

6. Pro uniformitate in cibis et cellis, quae sanctissimo adeo cordi est, omnino observari volumus, quae in capitulis et nominatim in Romano 1694 ord. 13. sancita fuere, videlicet: « Nulli ex fratribus nostris sive priori sive inquisitoribus sive magistris in theologia quidquam in mensa ministretur, quam quod ceteris fratribus ministrari solet, et hoc sub poena suspensionis in priores aut conventuum praesidentes ex iudicio r. p. provincialis ferenda et privationis utriusque vocis activae et passivae ipso facto incurrendae in eos, qui sibi ministrari voluerint praeter ea, quae toti communitati ministrantur, nisi sint infirmi ».

7. Praeterea ut nemini liceat, nisi ex causa infirmitatis, in cella comedere, sed omnes, etiam inquisitores, tam mane quam sero in communi refectorio, infirmaria vel in hospitio cum superioris licentia comedant, et quidem regulariter in prima mensa ita, ut nullus, cuiuscumque gradus sit, a prima mensa habitualiter se se eximere praesumat. Quocirca omnino observari volumus et mandamus ord. 15. praefati capituli 1694, qua statuitur, ne aliquis ex fratribus nostris, cuiuscumque gradus et conditionis sit, in cella comedere possit, nisi causa infirmitatis, nec in eisdem cellis cum secularibus convivia facere, sed omnes tam mane quam sero in communi refectorio, infirmaria vel in hospitio cum superioris licentia comedant; iniungentes omnibus superioribus, ut impense exequutioni huius ordinationis invigilent fratresque compellant ipsi parere, etiam per privationem vocis activae et passivae et omnium iurium et gratiarum ordinis.

8. Ut vero omnis superfluitas, quae religiosam non modo non spiret, sed dedeceat paupertatem, a cellis prorsus eliminetur, ss. d. n. monito humillime obsequentes, serio volumus ac mandamus, ut omnes fratres in communi dormitorio habitent, atque in eo etiam inquisitores dormiant, nec quisquam religiosae cellae formam excedat, quemadmodum de mandato s. Pii V. dudum in capitulo Romano 1569, de claustralium refor-

matione ord. 3. statutum fuit, iniunctis poenis absolutionis ab officio prioribus et amissionis cuiuscumque et privationis vocis activae et passivae subditis, huiusmodi cameris abutentibus. Quod innovatum fuit in capitulo Romano 1694 ord. 9., praecipiendo omnibus, nullis graduum vel officiorum iuribus aut privilegiis obstantibus, ut pareant; prioribus vero, ut quos renuentes repererint, eos per privationem gradus, officii et vocis activae et passivae parere compellant. Vanam cellarum supellectilem omnino amoveant, quam idem capitulum eo loci conventui incorporavit et incorporatam ex tunc declaravit; addiditque, et si aliqui, quicumque sint, extra dormitorium habitent, nullis graduum et officiorum iuribus potiantur, donec in communi resideant dormitorio. Cellae autem illae, extra dormitorium positae, ad usum infirmorum vel hospitum deputentur. Quae omnia innovamus et ad praxim omnino reduci et in perpetuum observari de mente Benedicti XIII. mandamus.

9. Ordinamus exactam observationem eorum, quae saepe appellatum capitulum Romanum 1694 ord. 6. praescripsit ex constitutionibus nostris, pluribusque aliis capitulis, praesertim ex aliis Romanis 1569. de mandato S. Pii V. et 1656 adm. 10., ne videlicet impune in provinciis, superiorum incuria aut, quod gravius est, exemplo, publicus lineorum usus ad carnes evadat, quo aliqui, ea laxitate vivunt, ut indusia linea etiam patenter deferant. Declarantes, ipso facto iuribus et privilegiis, necnon voce activa et passiva privatos esse, qui tunicellas laneas habitualiter non deferant, nec licere provincialibus super his dispensare, quum textus constitutionis dist. 1. cap. 10. textu 1. expresse dicat: lineis non utantur ad carnes, nec etiam infirmi.

10. Ut fratres nostri, cuiuscumque status et gradus sint, in incessu, statu, habitu et in omnibus motibus id solummodo agant, quod nostram deceat sanctitatem, nullatenus vero quod cuiusquam offendat adspectum, non tam monet quam praecipit amantissimus noster summus pontifex a nobis mandari, et fieri, ne quisquam ex fratribus illis aut frequenter domo exeat, aut solus, aut sine superioris licentia, aut non satis compositus incedat. Eapropter quae a tot capitulis generalibus, praesertim a centies laudato Romano 1694 ord. 8. circa praedicta sancita sunt, ad exequutionem perducta omnino volumus. Et quidem ita, ut quos e conventu frequenter exeuntes vel sine licentia vel solos, vel secularium ad se non attinentium, praesertimque ab omni suspicionis umbra non certo ac plene alienas domos frequentantes, aut in ecclesia sive ad fores eiusdem vel conventus sive in claustro mortuorum cum quibusvis mulieribus conversantes, priores aut alii praesidentes repererint, severe coërceant, eos etiam, nisi resipuerint, maxime vero studentes, a conventu et studio amoveri faciendo et utraque voce privando, ne ob unius vel alterius incon-

sideratam vivendi rationem publicum totius ordinis decus periclitari contingat.

Pro studiis.

1. Ad haec quoque studia intra claustra nostra vel religiose servanda vel operosius adornanda convertere nos debemus et pro officii nostri debito, et ut nostri Benedicti XIII. menti castissimae ac suavissimis mandatis summa contentione obtemperemus. Neque enim pro studiorum in ordine suo et nostro insigni firmitate atque illustri incremento, ac pro tenaciter retinenda avita puritate doctrinae in scholasticis ac moralibus disciplinis minor est quam pro componenda ad leges religionis vita nostra ss. d. n. paterna cura et solicitudo. Quandoquidem sacrae doctrinae perinde ac castigationis regularis disciplinae pristinum splendorem novis incrementis augendum conatibus ac curis nostris larga benignitate et effusa benefica providentia in apostolicis suis literis, superius denuntiatis, nobis demandavit. Quantum vero ss. pp. Augustini et Thomae doctrina sanctitati suae cordi sit fueritque a primis annis, quali in aestimatione operosa eam a nobis haberi velit, aliae eiusdem s. p. literae ad nos contra illorum sanctorum nostraeque scholae nuperos morososque calumniatores benigne ex apostolatus specula datae quam clarissime referunt. Utrumque ergo sanctum doctorem lubentes sequi debemus, nec latum unguem ab alterutro desciscere, obsecundantes gratissimae illi necessitati, quam nobismetipsis, non in privatum tantummodo, sed in publicum sanctae ecclesiae commodum, in veritatis amorem, ultronei felicesque imposuimus. In hoc ordo noster quovis tempore praecipuam sibi gloriam constituit. Hoc haereticos confodit. Hoc doctrinae purioris depositum sibi traditum religiose custodivit ac sancte. Quod si quis ad hoc resilire tentaverit, eius in memoriam revocamus et contra ipsum innovamus, quae sunt decreta in capitulis generalibus Romano 1569, ord. 5., Bononiensibus 1615 et 1706 ord. 13. et, aliis missis, nuperrime in Romano 1721 ord. 5., ubi voce activa et passiva, gradu et quolibet officio scholastico ipso facto privati et inhabilitati ad tales gradus respective declarantur, qui a s. Thomae doctrina recesserint, immo et qui eamdem, prout s. doctoris litera refert, expresse non docuerint. Quae omnia sub eisdem poenis observari volumus, ac si de verbo ad verbum hic inserta forent.

2. Innovamus quoque, confirmamus atque exactissime observari mandamus caeteras quascumque ordinationes, hucusque editas, de sequenda s. Thomae sententia communiter recepta in schola nostra, potissime vero circa divinam gratiam suapte intrinseca vi efficacem, et physicas praedeterminationes, quae veri Thomismi summam veluti et caput conficiunt.

3. Quia tamen saepe contingit, ut tam iuvenes quam lectores, derelicto purissimo fonte, quiescant in rivis et toti in evolvendis recentibus

commentatoribus s. magistri textum negligant, expresse innovamus, quod in capitulo 1706, ord. 14. stabilitum est; nimirum quod non promoveantur in lectores nisi illi, qui s. Thomae doctrinam omnino calleant, plurimi faciant et cordi maxime habeant, totum in ea vestiganda studium reponentes, ut tam ipsi quam studentes, quantum fieri poterit, textum d. Thomae etiam memoriae commendent eiusque stilo ac verbis assuefiant; quemadmodum in novissimo capitulo Romano 1721, ord. 5. additum est.

4. Praeterea, quum comperta res sit, fratres nostros et praecipue theologiae lectores scholasticis quaestionibus saepenumero non tam spinosis quam inutilibus nimium deditos, sanctae scripturae, canonum, conciliorum, patrum, ecclesiasticae historiae et controversiarum, quae nos inter et haereticos in dies agitantur, pernecessarium studium aut omittere penitus aut saltem magna ex parte negligere, in hoc a semitis s. Thomae certissime declinantes, inde innovamus, quae in saepe memorato capitulo Bononiensi 1706, ord. 14. statuta sunt, ut deinceps lectores scholasticas ita versent quaestiones, ea brevitate, perspicuitate et methodo, qua par est, ut tandem interserant hinc inde, suis locis, nobiliores controversias vel ad scripturam sacram vel ad historiam ecclesiasticam, verbo, ad theologiam positivam pertinentes. Quae ita temperanda essent, ut integro quinquennio a duobus lectoribus, primario, ut vocant, et morali integer cursus theologiae pro ea parte, qua disputabilis est, absolveretur. Quod quidem facile admodum obtinebitur, si ad exemplum s. Thomae declinata vana prolixitate, quae discipulorum mentes obruit potius, quam erudiat (ex eodem s. doctore in prooemio 1. p.), ea eligatur docendi methodus quam prudens brevitas praescripserit.

5. Optimum tandem fore censemus, si ad praxim reducatur ord. 10. pro studiis capituli Romani 1694, qua decernitur, ut provinciales in sua respectiva provincia inquirant viros doctos, qui iuvenes hebraicas et graecas linguas in studiis generalibus et collegiis nostris docere valeant et doceant. Et hoc quidem in variis capitulis generalibus iamdudum statutum fuerat, maxime in Tolosano 1628, den. 3., ex decreto sacrae congregationis de Propaganda Fide; quod prius indictum fuerat Parisiis 1611, den. 3., qua denuntiata fuit constitutio edita a Paulo V. pro institutione exercitii linguarum hebraicae et graecae. Docet quippe experientia, earumdem linguarum cognitionem ad revincendos haereticos, qui eas maxime vocant in subsidium suum, pernecessariam esse.

6. Quoad tempus vero, quo incipere et desinere debent studia et vacationes, similiter quoad assiduitatem in scholis et exercitiis scholasticis habendis, et quoad studentium receptionem in proprias cellas statutis horis, datoque pro silentio signo, serventur adamussim, quae in toties laudato capitulo Romano 1694 pro studiis, ord. 2., 3., 4. et 5 disposita

sunt. Haec enim omnia hic pro insertis, ac si de verbo ad verbum recitata essent, habentes, innovamus et religiose observari mandamus.

Commissiones.

Enixe ac reverenter rogantes 1. Committimus rm̃o p. magistro generali, quatenus communi totius religionis nostrae nomine instantissime supplicet ss. d. n., ut de benignitate apostolica et sua speciali diplomate dignetur confirmare ac renovare gratias omnes, facultates, indulta et privilegia a s. sede et nominatim a s. Pio V., immortali nostri ordinis ornamento et praesidio, benigne emanata in favorem eiusdem religionis, etiam pro tertio ordine.

2. Committimus laudato rm̃o, ut, quo praestat boni communis zelo, supplicem se det eidem ss. Benedicto XIII. pro obtinendo forti extentoque brachio apostolico ad continendas intra certos cancellos et terminos, prout de iure, et, quatenus opus sit, dissolvendas ac supprimendas quascumque uniones sive congregationes secularium, administrantium bona temporalia, spectantia ad societates seculares in ecclesiis nostris erecta, sed in primis ad illam sub nuncupatione sacratissimi rosarii, unde non iam D. O. M. ac Virginis intemeratae honos, sed interminatae lites, contentiones, praeiudicia et mala in dies, cum fidelium scandalo plurimis conventibus et ecclesiis nostris intentantur et proveniunt.

3. Quod olim capitulum generale Romanum 1656, com. 6. commisit rm̃o ordinis magistro de Marinis, hoc nos et iisdem quoque vocabulis committimus rm̃o nostro p. generali, ut auctoritate apostolica illm̃i et rm̃i Romanae sedis nuntii et vicelegati eo agantur, ne se se ingerant in iis, quae ordinis sacra iura et optimas quasque consuetudines spectant. Itaque pro quieto conventuum ac provinciarum regimine supplicandum eidem ss. d. n., quatenus illm̃is et rm̃is dd. suae sanctitatis et sedis apostolicae nuntiis ac vicelegatis dignetur iniungere, ne cuiquam ex nostris cuiuscumque sexus religiosis sub ordinis cura existentibus aliquid uspiam concedant contra tenorem, usum praximve nostrarum constitutionum, ordinationum aut probatarum consuetudinum, ac in specie, ne fratres nostros de conventu ad conventum transferant, vel assignent.....; ne novitios e communi domo novitiorum extrahant.....; ne studentes exponant examini pro lectoratu, neque dispensent in praefixis scholasticorum cursuum aut quarumcumque functionum terminis; ne dent licentiam suscipiendi in universitatibus intra extrave ordinem constitutis laureas aut promotionum gradus; ne ulli potestatem faciant reeligendi, prorogandi, confirmandi aut continuandi quemquam ultra officii sui terminum etc. Siquidem experimento interdum edocti sumus, valde ex his turbari quietem religiosae communitatis, nervum obedientiae ac disciplinae relaxari et superiorum ordinis auctoritatem venire in contemptum.

4. Rogamus praefatum rmum, quod ex eodem universae religionis nomine fervidas demittat preces ad pedes ss. ad hoc, ut ipse pro sua erga ordinem et ordinis angelicam Augustiniano-thomisticam doctrinam sancta ea dilectione, propter quam eandem nobis summe commendavit superius, qua per legatos et nuntios suos, qua per diplomata et apostolica efficacia officia sua, a principibus quibuscumque secularibus scholae nostrae vindicet liberam plenamque potestatem docendi quosvis accedentes iuvenes seculares in eorum imperio, regnis, ducatibus et statibus respective laudatam illam s. Thomae inconcussam tutissimamque doctrinam, non tam in dominicanae familiae nostrae honorem quam praecipue in catholicae ecclesiae certum emolumentum.

5. Committimus eidem rmo magistro ordinis, ut sollertia, qua solet, sedula ac se digna promovendas curet in sacra congregatione causas pro cultu, beatificatione ac sollemni canonizatione eorum omnium, iam pridem religionis nostrae spectabilium filiorum, de quibus hactenus eaedem introductae sunt, vel sub regimine sibi a Deo commendato deinceps introducentur adeo, ut efficax eiusdem operatio non complectatur tantummodo ea, quae inferius individua ratione ipsi a nobis committentur, verum ad quaecumque cultum praefatum promovendum spectantia se se extendat.

6. Ut toti innotescat ordini, quo in sensu accipiendum sit illud, quod habet adm. 3. capituli Romani 1721, rogamus p. rmum generalem, quod consulat sacram universalem inquisitionem Romanam circa intelligentiam decreti s. mem. Urbani VIII. lati 1. octobris 1626, nimirum, ut benigne exponere dignetur, an ille, cui pro delictis ad s. officium inquisitionis spectantibus poenitentiae aliquod genus impositum fuerit, salutaribus poenitentiis exceptis, praecise contrahat inhabilitatem ad omnes gradus et dignitates inposterum obtinendas? An vero insuper privatus existat gradibus et dignitatibus, ante impositam poenitentiam obtentis?

7. In exequutionem vero mandatorum in brevi s. mem. Innocentii XI., dati 6. octobris 1679, committimus p. rmo magistro generali, quod designet nomine nostro tres eximios viros ex ordine, qui actis praesentis capituli se subscribant, ut plenam fidem et robur adsciscere sibi possint et ad D. O. M. gloriam ac religionis commodum typis vulgari feliciter valeant.

8. Nomine quoque totius diffinitorii nostri dignetur laudatus magister ordinis eligere ut minimum quatuor viros illius notae insignioris, qua ornatos vult ipsos in eodem brevi Innocentius XI., nimirum doctiores, provectiores inque legibus nostris peritissimos, qui revolventes acta praecedentium capitulorum generalium sedula ac acri meditatione, sicuti et glossas omnes constitutionum, circa statum et commodum religionis, circa

observantiam et disciplinam regularem, circa electiones, institutiones, remotiones superiorum, aliasque res graviores, quae emendanda, declaranda, fulcienda vel quavis alia ratione formanda erunt, referant capitulo generali proxime celebrando ad tollendas dubietates et apparentes antilogias, adque resecandas difficultates et quaestiones ita, ut unico ferme adspectu quaecumque ordinem praefatum spectant, in optimo et nativo lumine collocata tandem conspiciantur. Ubi vero oracula aliqua pontificia et sacrarum congregationum laudentur, iidem omnino provocent ad fontes, sin ad exemplaria authentica. Consulant quoque posteriores derogationes et manuscripta melioris notae, donec hae eadem studia tali ratione demum digerantur, ut sperari non modo, sed obtineri valeat, et quidem intra breve temporis intervallum, necessaria adeo, adeo desiderata corporis nostrarum constitutionum absolutissima editio.

Concessiones.

1. Concedimus cunctis rev. pp. provincialibus et diffinitoribus, qui in hoc capitulo diffinierunt, ut eorum quilibet restituere possit ad quascumque ordinis gratias unum ex fratribus suae provinciae, poenae gravioris culpae addictum ante celebrationem huiusce capituli, dummodo post correctionem religiosius se gesserit.

2. Rm̃us vero magister ordinis concedit omnibus et singulis fratribus ac sororibus eiusdem ordinis nostri, toto orbe diffusis suaeque curae subiectis, ut semel aliquem ex praefato ordine nostro approbatum confessarium sibi deligere possint, qui eos in actuali administratione sacramenti poenitentiae ab omnibus censuris et peccatis, ante horum actuum publicationem quomodolibet contractis ac commissis, absolvere valeat, a quibus ipsemet rm̃us tales absolvere posset, si sacramentalem eorum confessionem respective audiret.

Pro provincia Hispaniae.

1. Ad tollenda gravissima inconvenientia, non semel suborta ac successivis temporibus semper timenda, contra auctoritatem p. provincialis Hispaniae ex duplici indulto, facto dudum conventui Salmantino, revocamus privilegium a rm̃is quondam magistris ordinis iustis de causis alias eidem coenobio Salmaticensi concessum, cuius summa est: Provincialis non possit quemcumque ex religiosis conventui Salmantino inservientibus assignare nisi de assensu et consensu prioris ac maioris partis patrum a consiliis.

2. Revocamus facultatem factam praedictis priori et patribus a consiliis eiusdem conventus Salmaticensis augendi numerum religiosorum ultra centum quinquaginta ita, ut penes p. provincialem pro tempore posthac sit, consulta prudentia sua, omnino fratres ex illo conventu in alios assignare et vice versa ad illum eumdem conventum assignare, quos

maluerit. Et quidem declaramus, magistros in provincia, praesentatos acceptatos, necnon lectores theologiae, qui per decennium sacram illam doctrinam exposuerint, debere esse in eo numero primo contentos adeo, ut in libera potestate p. provincialis sit constitutum, eosdem prae ceteris in insigni illo conventu assignare. Eapropter utramque praedictam concessionem penitus abrogamus atque clara et specifica ratione abrogatam dicimus ac declaramus, perinde ac si ad verbum in hisce actis foret inserta; et asserimus p. provinciali pro tempore in praemissis omnibus plenissimam illam facultatem, quam habent caeteri provinciales secundum sacras ordinis leges, quas volumus illibatas.

3. Declaramus insuper, eundem p. provincialem habere plenam et liberam auctoritatem circa assensum praebendum, denegandum, suspendendum aut retractandum quoad fratres quoscumque a conventibus seligendos ad officium procuratoris in regalibus curiis. Unde integrum ei erit pro arbitrio et prudentia sua licentiam denegare, ad nutum illos revocare aut suspendere, aliaque prout de iure praestare, secundum quod in Domino iudicabit expedire.

Breve apostolicum, quo hospitium Matritense, vulgo de la Passion, erigitur in formalem conventum, spectantem ad hanc provinciam, videatur inter denuntiationes sub numero 16.

Pro provincia Tolosana.

1. Confirmamus laudabiles omnes consuetudines huiusce provinciae, regularis observantiae amantis, quemadmodum easdem sartas tectasque merito voluit capitulum generale Romanum 1721.

2. Confirmamus unionem iam pridem factam missionum insularum Americanarum cum hac eadem provincia.

3. Unimus insuper et incorporamus laudatae provinciae conventum Ruspellensem, ratam habentes ordinationem circa hoc ipsum emanatam a praecedenti rmo, nunc emo, ordinis magistro, fr. Augustino Pipia, salvo tamen semper iure provinciae Franciae, se se per appellationem recipiendi ad summum pontificem.

4. Ordinamus, nullam deinceps admittandam esse novam affiliationem in praedicto conventu Ruspellensi, ut ea ratione expeditior ac commodior evadat in usum seminarii missionum, ad quem iam translatus est; stantibus tamen in sua possessione filiis praesentibus eiusdem conventus, quos a semel obtenta affiliatione deturbari non volumus.

Pro provincia Franciae.

1. Confirmamus, quae in ultimo capitulo generali 1721 pro hac provincia constituta sunt tum num. 3. circa confirmationem confessariorum sanctimonialium, quam rmus magister ordinis dignabitur non extendere ultra biennium vel triennium, nisi accedat petitio duarum ex

tribus partibus earumdem monialium, cum num. 6. circa praedicatores generales non instituendos aut confirmandos, quotiescumque acta capituli provincialis non referant et eorum conciones per tres integras quadragesimas in spectabilibus civitatibus et simul hasce spectabiles civitates.

2. Confirmamus ordinationes emanatas pro hac provincia a bonae memoriae rmo magistro generali Cloche.

3. Ordinamus, qua valemus auctoritate, iugim conservationem perfectae illius observantiae, quae floret in conventu Quingiacensi.

4. Ad uberiorem quoque observationem legum nostrarum intra huiusce provinciae confinia ad petitionem ipsius ordinamus insuper designationem in ipsa duorum conventuum perfectae communitatis et vitae exactae ad normam sacrarum constitutionum ordinis, in quibus solummodo recipi possint et debeant novitii simplices. In hisce porro conventibus constituantur priores, suppriores atque novitiorum magistri probatae observantiae, et quoad fieri poterit ex conventibus castigatioribus adsumpti. Caeteri vero fratres tales sint, qui exemplo et novitiis illis et secularibus esse possint, alio deportatis minus recte se habentibus.

5. Ordinamus et sub poena suspensionis ab officio districte mandamus cuicumque priori huius provinciae, ne quis eorum officii ac debiti sui minus memor audeat denegare assensum suum et congruum regulare alimentum subtrahere iis, qui enitentes in praedictam exactiorem observantiam constitutionum licitis alias dispensationibus uti nolent, sed ab esu carnium se se omnino pro viribus volent arcere, nisi hic et nunc iusta de causa cum aliquo aliud sibi faciendum una dictet prudentia.

6. Ordinamus denique solutionem viatici pro praesenti capitulo generali, ab hac provincia faciendam p. diffinitori.

7. Concedimus p. fr. Stephano Gibaud, quod gaudeat impetratis ad petitionem sui p. provincialis Franciae a nunc emo exgenerali Pipia 11. decembris 1724, nimirum quod gaudeat licentia tunc ab eodem sibi facta, assequendi gradus in academia Cadurcensi, ut post lauream in sua provincia frui possit privilegiis magisterii. Haec tamen concessio valeat tantum iuxta consuetudines regni Galliarum, et salva quoad alios remanente ordinatione a bonae memoriae rmo ordinis magistro Cloche sapienter emanata.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Confirmamus ea omnia, quae in postremo capitulo generali pro provincia utriusque Lombardiae fuerunt disposita.

2. Confirmamus et approbamus, quae in nonnullis capitulis provincialibus ipsius provinciae apposite firmata sunt pro erigendo in eadem provincia collegio, ad sacram rhetoricen accurate exponendam undique accommodato. Tum vero committimus rmo ordinis magistro, quatenus

auditis peritioribus patribus, in generali hoc capitulo ex praemissa provincia delectis ad hoc, ut revocent in exactam trutinam regulas ad firmandum idem collegium, a moderno p. provinciali propositas, id tandem auctoritate quoque nostra statuat, quod ad intentum laudabilem finem conducentius iudicabit.

3. Eidem p. provinciali eiusque pro tempore successoribus adiudicamus plenam perfectamque potestatem, destinandi ac assignandi ad illum, quod maluerit, ex quatuor studiis formalibus suae provinciae patres studentes, accedentes ex aliis conventibus ad hoc studium generale Bononiense pro examine ad studentatum formalem, ubi semel hic in studentes formales fuerint approbati. Eapropter mandamus rev. p. regenti pro tempore huiusce studii generalis, quatenus examinato et approbato in studentem formalem quocumque ad hoc idem studium generale non spectante, statim de approbatione ipsa moneat praefatum p. provincialem, neque ullatenus se se immisceat in illius destinatione, quacumque contraria consuetudine non obstante.

4. Stante dispositione facta ab alio capitulo generali Bononiensi 1706, in favorem illorum, qui emenso magisterio studentium in hoc eodem generali studio s. p. n. Dominici ac postmodum ad baccalaureatum exercendum postulati a sua hac provincia legerint in aliqua universitate seculari, ad hoc ut promoveri possint ad gradus, hoc est ad magisterium cum loco et voce, acceptamus biennium lecturae scite exercitae a r. p. magistro fr. Pio Felice Garibaldi in universitate Ferrariensi pro actuali exercitio baccalaureatus in praedicto hoc studio generali Bononiensi, in quo laudabiliter magisterium studentium pridem exercuit fuitque successive ad munus baccalaurei postulatus; eumque declaramus per hoc ipsum cooptandum inter magistros, loco et voce in sua hacce provincia gaudentes.

5. Concedimus p. lect. fr. Thomae Alberto Valenti, Placentino, quod secundum triennium lecturae artium ab eodem absolutum sit ei pro triennio lecturae theologiae moralis, unde statim promoveri possit ad cathedram primariam theologiae.

Apostolica brevia, quibus tertius ex hac provincia utriusque Lombardiae post Benedictum XI. et s. Pium V. summus in terris pontifex Benedictus XIII. eandem honoribus et gratiis cumulavit, habes superius denuntiata num. 7. 8. 12. 18.

Pro provincia Romana.

1. Arbitrio et prudentiae rmi ordinis magistri permittimus, ut spectatis eximiis meritis rev. p. lect. fr. Dominici Mignanelli, iam voce et loco gaudentis, habito verbo cum ss. ipsum condecorare valeat titulo magisterii. In eiusdem quoque pleno arbitrio decernitur constituta concessio

vocis in capitulo provinciali r. p. lect. fr. Leopoldo Mariae Giannini propter quadriennium magisterii novitiorum absolutum post lecturas per decennium laudabiliter exercitas.

2. Committimus praelaudato rm̃o supplicationem demittendam ad pedes ss., quatenus hic dispensare dignetur super Innocentianis brevibus in favorem tam r. p. lect. Henrici Hennisch, a vigintiquinque annis in academia Senensi insignis metaphysices professoris, quam r. p. lect. fr. Michaelis Angeli de Philippis, qui artes et sacram theologiam in domesticis claustris ultra annos decem laudabiliter docuit, tum instantibus illm̃is episcopis per totidem annos in pluribus civitatibus promovit intellectum doctrinae s. Thomae et sacros adornavit canones; et hoc, ut primus magisterii gradum obtineat, alter vero perinde se habeat, ac si realiter magisterium studentium et baccalaureatum ordinarium in aliquo ex studiis generalibus exercuisset.

3. Ordinamus, vicariatum in collegio poenitentiariorum s. Mariae maioris de Urbe deinceps fieri biennalem ad instar prioratuum.

4. Confirmamus dispositionem alias factam a fel. rec. rm̃o p. fr. Antonino Cloche et a rm̃o olim ordinis vicario generali, nunc praeside apostolico huius capituli, p. fr. Angelo Gulielmo Molo, circa ss. clavum, quo cruci suffixus fuit Iesus Christus, quique summa veneratione colitur et asservatur in capella, ut dicitur, illm̃orum dd. comitum de Benedictis in ecclesia nostra ad s. Salvatorem Spoleti; districte prohibentes, ne ad arbitrium prioris pro tempore aut ulterius cuiuscumque religiosi publicae exponatur venerationi, aut privatis ostendatur personis, ac mandantes circa hoc servari ea, quae a praedictis rm̃is statuta sunt sub poenis a rm̃o ordinis magistro pro tempore infligendis.

Diplomata pontificia, referentia insignes concessiones provinciae Romanae benigne factas per feliciter regnantem summum pastorem Benedictum XIII., dedimus inter denuntiationes sub num. 6. 9. 13.

Pro provincia Regni.

1. Petente hac provincia residentiam praedicatorum generalium in propriis conventibus respective, confirmamus et, quatenus opus sit, pro eadem provincia innovamus ea omnia, quae circa talem residentiam habentur in capitulo generali 1686 conf. 6. et (1) 1694 ord. 10., ordinantes in favorem eiusdem provinciae, quod si quis praedicator generalis non sit vere legitime impeditus propter aliquod ex officiis in praedicto capitulo generali recitatis vel ex superiorum auctoritate vel aliunde, ille non possit gaudere voce in capitulo provinciali nomine conventus suae praedicaturae, nisi per annum ante tale capitulum in eodem conventu moram traxerit.

---

(1) *In originali* et ord. 16.

Pro provincia Hungariae.

1. Attento exiguo religiosorum operariorum numero in hac nostra provincia, concedimus p. provinciali pro tempore facultatem, qua possit confessarios monialium in eo officio confirmare, quoties sibi bene visum in Domino fuerit, salvo tamen semper stante iure rm̃i hanc confirmationem ad se avocandi.

2. Committimus rm̃o praesidenti apostolico huiusce capituli et ordinis procuratori, ut supplicem se det ss. pro restitutione corporis b. Margaritae, regis Hungariae filiae ac ordinis nostri, huic eidem ordini facienda a sanctimonialibus ad s. Claram Posonii, penes quas asservari ferunt.

Pro provincia Teutoniae.

1. Ut addamus currentibus calcaria, concedimus praedicatoribus generalibus antedictae provinciae locum post praesentatos, dummodo praedicatores illi approbentur prius a capitulo provinciali, tanquam qui vere laudabiliter tanto munere apostolico sint functi.

2. Erigimus in prioratum vicariatum Gronaviensem propter duodenarium numerum religiosorum in eo degentium, committentes p. provinciali Teutoniae, quod praesentem vicarium priorem instituat.

3. Concedimus propter rationem indicatam pro provincia Hungarica, quod p. provincialis pro tempore Teutoniae confirmare possit confessarios monialium in suo officio, quoties expediens iudicaverit, illaesa tamen auctoritate supremi ordinis moderatoris, ut ibi dictum est.

4. In sinum tum religionis matris cum etiam provinciae Teutoniae efferimus et utrique in perpetuum incorporatas declaramus sorores tertiarias Aquisgranenses, in strictissima bonorum omnium communitate viventes, quas saepe laudatus magister generalis Cloche 12. martii 1718 tamquam membrum verum ac vividum dominicani corporis sub cura ac protectione sua peramanter suscepit, tumque diffinitorium huiusce provinciae 2. octobris 1720 ipsi provinciae ultro ac lubens addixit.

Pro provincia Angliae.

1. Confirmamus, quatenus opus sit, acta omnia comitiorum generalium Bononiae et Romae postremo habitorum in gratiam praefatae provinciae formata, eidemque denuo communicata declaramus privilegia quaecumque, auctoritate apostolica vel praedictorum capitulorum generalium provinciae Hiberniae concessa.

2. Declaramus in editione actorum postremi capituli generalis 1721 non fuisse expressam mentem religionis circa erectionem collegii ad s. Thomam Lovanii, plane et re vera consentientem menti quondam em̃i fr. Thomae cardinalis Howard ordinis nostri; quandoquidem ibidem num. 2. domus Lovaniensis dicitur iuxta ultimas tabulas memorati em̃i fundata et inde a generali capitulo evecta, ut esset collegium pro studiis philo-

sophiae peragendis; quando constans est, utrique certam stetisse intentionem, ut eveheretur ad studium formale pro studiis artium et theologiae. Itaque conventum illum non modo denuo, si opus est, in collegium erigimus pro studiis tam philosophiae quam theologiae, et quidem cum privilegiis concessis aliis collegiis, verum etiam taliter pridem per dictum superius generale capitulum erectum dicimus et declaramus.

Pro provincia Poloniae.

1. Confirmamus concordiam perpetuam initam 23. septembris 1724 inter duos conventus Cracoviensem et Praemissiensem de nullatenus posthac pertendenda a Praemissiensi hoc conventu sive per strepitum iuris sive alio quocumque modo nova contrata, vicariatum etiam nationalem vocant, per rm̃um alias nunc em̃um cardinalem Pipia confirmata.

2. Confirmatam ac ratam habemus petitionem, ne ullatenus augeatur ultra octodecim magistros horum numerus. Porro eorum duodecim spectent ad provinciam, minime vero ad certum quemcumque conventum; reliqui sex vero pertineant ad conventum Cracoviensem, prout fert concordia, quae Varsaviae facta et in capitulo Romano 1644 dicitur confirmata.

3. Committimus rm̃o, quatenus efficaci suaque pia solicitudine operetur apud sacra tribunalia Romana pro extendendo officio b. Ceslai ad utrumque clerum regni ac ducatuum Poloniae, et pro impetrando fratribus nostris ibidem degentibus eiusdem officio sub toto duplici. Item ut festum b. Iohannis Nepomuceni celebretur cum officio a praedictis fratribus nostris. Tum denique ut festa sanctorum, quae generaliter celebrantur in Poloniae regno ab aliis, ab iisdem quoque religiosis ordinis celebrari aeque possint.

4. Committimus praeterea demisse appellato rm̃o, ut supplex instet apud summum pontificem ad hoc, quod triennale officium magistri studentium computari valeat pro uno anno in ordine ad consequendum gradum magisterii; sicque accedente triennali munere baccalaureatus vel regentatus absolvatur quadriennium ad talem gradum comparandum per leges praefixum.

5. Ordinamus ad officia magistri studentium, baccalaurei et regentis nullum promoveri, qui in antecessum ad plures annos non legerit s. theologiam.

6. Ut in hac provincia frequentior evadat numerus religiosorum, ad salutem animarum expositione divini verbi promovendam operantium, primo concedimus, ut via praedicationis pro rata Cracoviensi unus et pro rata provinciae duo promoveantur ad gradum praesentaturae, dummodo saltem integro biennio philosophiam et triennio speculatricem, ut vocant, theologiam in aliquo legerint studio atque conciones, et quidem

laudabiliter, habuerint in conventibus tantummodo insignioris notae, Cracoviensi, Varsaviensi, Posnaniensi, Gedanensi, Thorunensi, Lublinensi, Luceoriensi, Praemissiensi vel Petriconiensi, sive in ecclesia archipresbyterali Cracoviensi, in collegiata insigni Loviciensi vel in aliqua illustri cathedrali. Secundo concedimus, eadem via praedicationis promoveri posse ad gradum magisterii duos pro rata provinciae, unum vero pro rata conventus Cracoviensis, si semel ultra praedictos duos annos lecturae philosophiae tres lecturae theologiae et septem concionum commendabilium in recensitis conventibus et locis, alios sex annos absolvent in habendis concionibus methodo plane laude digna ac in eximiis praemissis suggestibus.

7. Committimus insuper rmo ordinis magistro, ut ad solvendam controversiam, recens natam, pro conservatione aut dissolutione generalis studii Varsaviensis, visis ac acri suo ingenio iudicioque perpensis documentis, per partes inducendis, auctoritate praesentis capituli eam ferat decretoriam sententiam, quam iustitiae et aequitati conformiorem videbit.

8. Quum in certis monasteriis harum regionum obtineat praxis insuperabilis, ut moniales quandoque inde valeant exire, neque alias a superioribus earum ulla ratione debeat permitti excessus quicumque in tali exitu, mandamus r. p. provinciali pro tempore, quatenus, quantum fieri poterit, difficilem se praebeat in dando assensu monialibus sibi subiectis pro eodem exitu, et nonnisi pro brevi ac determinato tempore, iuxta occurrentis necessitatis indolem, eisdem licentiam impertiatur.

9. Monemus p. provincialem pro tempore, quatenus ipse non habet, atque adeo in usum perducere non potest vagam et absolutam potestatem permittendi aut licentiam concedendi, ut fratres nostri moram trahant aut pernoctent extra claustra in locis, in quibus aliquis conventus ordinis reperitur; quin immo eidem districte mandamus, ut religiosos quoscumque extra claustra commorantes ad reditum omnino compellat, neque unquam pernoctare sinat extra conventum, nisi id urgentissima quaepiam ratio in obsequium alicuius praecipui magnatis pro aliqua circumstantia particulari postularet; in quo casu consilium patrum graviorum adhibebit, quemadmodum ipsi mandamus.

Pro provincia Aragoniae.

1. Confirmamus gratias omnes et quaecumque privilegia, huic provinciae hactenus a rmis ordinis magistris concessa. Confirmamus similiter ordinationes omnes pro bono regimine eiusdem provinciae emanatas a fel. rec. rmis pp. generalibus de Marinis et Cloche.

2. Confirmamus ord. 7. pro hac provincia factam in capitulo generali Romano 1670 et declaratam in Bononiensi 1706 num. 3. circa lo-

cum praesentatorum supranumeralium, eamque extendimus ad magistros supranumerarios ita, ut sicut praesentati etiam et magistri numerales imposterum praecedere debeant ac praecedant alios supra numerum constitutos, iis tamen exceptis, qui iam actualiter sunt in possessione; supranumerarii vero omnes locum inter se teneant spectata antiquitate suae promotionis.

3. Capitulum provinciale electivum, alias iuxta sanctiones huius provinciae proxime futuro septembri celebrandum, differatur usque ad sabbatum ante dominicam « Deus qui errantibus ». Ordinamus vero pro futuris perpetuis temporibus, ut, quotiescumque contingat, p. provincialem eiusdem provinciae terminare officium suum in capitulo generali, sequens capitulum provinciale electivum celebretur sabbato ante primam dominicam octobris, nullatenus vero in prima dominica septembris, sicut constitutum fuerat Romae 1569 ord. 21.

4. In conventibus, in quibus erecta est academia sive conferentia moralis, etiam pro secularibus, p. provincialis per patentes literas eidem academiae praeficiat unum ex lectoribus theologiae, qui absolverit cursum suae lecturae; isque academiam illam regat et quaestiones in eadem excitatas dirimat atque resolvat. Ubi vero semel per integrum biennium hoc munus obierit, concedimus et committimus illis, ad quos pro tempore spectabit, quatenus in postulationibus ad gradus pro provincia Aragoniae ipsum caeteris omnibus anteponant.

5. Recipiendos ad habitum pro conventibus minoribus, in quibus non existat novitiatus, examinandos declaramus in conventu, in quo vigeat idem novitiatus; et quidem in illo individuo, in quo annum suae probationis perficere debebunt.

6. Ad maiorem ecclesiarum cultum uberiusque earum servitium concedimus, quod, ubi conveniens censeatur, recipiantur in hac provincia ad habitum clericalem aliqui etiam minus periti in arte grammatica eo solo fine, ut ecclesiae quam diligentissime inserviant, non vero ut altioribus disciplinis ac scientiis navent operam. Habeant tamen illi talem grammatices notitiam, quae ad divinum officium rite persolvendum sufficiat; alias nullatenus recipi posse, declaramus; neque ulla ratione promoveri possint ad sacros ordines, donec in eadem arte digne profecerint.

Pro provincia Bohemiae.

1. Semel iterumque committimus rmo p. magistro generali recursum ad sanctissimum ad hoc, ut intra hancce provinciam lectores primarii studiorum formalium aequales haberi possint baccalaureis studiorum generalium in ordine ad gradus propter aequales labores exantlatos.

2. Quum pauci sint in hac provincia religiosi ad excipiendas sanctimonialium confessiones aptissimi, concedimus p. provinciali pro tem-

pore, ut pro sua prudentia valeat confirmare in tali officio, quos idoneos iudicaverit, si expediens censebit. Poterit tamen semper magister ordinis talem confirmationem sibi reservare.

Pro provincia Provinciae.

1. Ordinamus p. provinciali Provinciae atque p. vicario congregationis ad eandem spectantis, ne causa studiorum perficiendorum Parisios mittant iuvenem quemcumque, nisi postquam absolverit ipse triennium philosophiae in aliquo studio eiusdem provinciae aut congregationis.

2. Ordinamus, ne ullus iunior baccalaureus Parisiensis in hac provincia aut in congregatione eiusdem provinciae gaudeat iuribus sive privilegiis sui gradus, nisi postquam in eadem provincia aut congregatione respective post reditum egerit lectorem theologiae per tres annos. Monemus tamen serio pp. provincialem ac vicarium pro tempore, ut attentis horum baccalaureorum meritis, eosdem tali lectura condecorent, posthabitis etiam omnino aliis quibuscumque concurrentibus, quoties id illorum baccalaureorum vitae ac in scientiis peritiae ratio expostulabit.

Pro provincia Saxoniae.

1. Confirmamus titulum, locum ac privilegia isti provinciae concessa a pridem rm̃o p. Cloche, necnon ab ultimo capitulo generali 1721. Expresse vero confirmamus in favorem ipsius provinciae indultum, alias quoque concessum provinciae Hungaricae, videlicet quod gaudeat privilegiis omnibus provinciae Teutonicae, cui olim coniuncta erat.

2. Committimus rm̃o, ut, quemadmodum pro provincia Bohemiae, ita et pro hac instet humillime apud summum pontificem, quatenus hic dignetur concedere lectoribus primariis studiorum formalium aequalitatem cum baccalaureis studiorum generalium, ex quo pares cum ipsis subeant labores.

3. Occurrere volentes incommodo, orto in hac provincia ex deficiente numero sacerdotum, qui se se dedant confessionibus monialium, concedimus p. provinciali pro tempore potestatem confirmandi in illo munere, quos prudentia duce confirmandos censebit, et quidem per tot vices, quot prudentia ipsa suggeret. Nullum tamen praeiudicium hinc volumus nasci auctoritati nostri rm̃i p. generalis, qui, quoties voluerit, hanc facultatem ad propriam personam privative poterit proinde revocare.

Pro provincia Dalmatiae.

1. Prudenti arbitrio rm̃i humiliter committimus concessionem duplicis loci magistrorum ratione praedicationis iis, qui per decennium laudabiliter conciones habuerint, ultra decem loca in eadem provincia iam constituta.

2. Concedimus, magistros studentium in studio generali huius provinciae esse imposterum biennales.

3. Concedimus, priores quoque esse biennales, ac amodo explere officium suum ad instar provinciae utriusque Lombardiae ad dominicam « Deus qui fidelium », quemadmodum huic provinciae concessum fuerat in capitulo Romano 1601 conc. 9., quae per hanc confirmata intelligatur.

4. Ut regularis vita simul ac studium iugiter aeque efflorescant in studio generali Iadrae, mandamus, ibidem perpetuo habendam esse lecturam philosophiae; sic quippe erunt ibi iuvenes ad primam quoque perennandam plurimum conducentes.

5. Quum ex iis, quae in generali nostro diffinitorio exposita fuere, conventus ad s. Crucem Tragurii et conventus ad s. Mariam Gratiarum de Bolo convenientibus facultatibus sint praediti, quodque praecipuum est, ibi obtineat recta vivendi ratio, licentiam concedimus, ut e conventu Iadrensi in alterutrum ex dictis conventibus transferatur novitiatus simplicium, dummodo in illo, quoad fieri poterit, constituantur prior, magister ac patres probatissimae vitae.

6. Sublata quavis contraria consuetudine, ordinamus, qualiter quicumque conventus huius provinciae vel non mittat studentes suos foras ad alia studia generalia vel iisdem studiorum tempore in talibus studiis generalibus vestes provide subministret, prout statuta in ordine vulgatissima iuxta ac aequissima ferunt.

Pro provincia Trinacriae.

1. Petente hac provincia plura a nobis pro recto sui regimine status, primo sequentia ordinamus. Nemini priorum provincialium Siciliae posthac licitum sit ad habitum clericalem admittere quemcumque Melitensem, nisi fultum attestatione, et quidem authentica atque subscripta manu propria a prioribus, magistris ac lectoribus actualibus trium illius celebris insulae conventuum, qua certiores fiant de legitima ac honesta recipiendi nativitate, eumque non fuisse ab ulla alia religione antea eiectum. Quapropter confirmamus ordinationem super hoc latam a rm̃o pridem vicario generali Molo 12. augusti 1720.

2. Quotiescumque iustis de causis denegetur affiliatio alicui ab uno ex tribus laudatae insulae conventibus, eadem quoque ipsi denegetur a quocumque conventu Siciliae, et e contra.

3. P. provincialis pro tempore pro virili sua satagat, ut recipiendi ad habitum nomen suum dent religioni mensibus septembri et octobri; hinc quippe plura suborientur commoda.

4. Ad supplendum notae lectorum penuriae, quam praeteritorum temporum iniuria hanc in provinciam invexit, idem p. provincialis compellat lectores, etiam theologiae, ad legendas artes. Indulgemus tamen, ut tali professorum inopia perseverante lectura secunda philosophiae cedat examinatis ad facilius obtinenda officia in studio generali; eadem vero

non examinatis sit pro complemento septennii, praemittendi examini iuxta statuta provinciae.

5. Denique ordinamus, ut conventus, in quibus degunt praedicatores generales aliorum conventuum, non quidem otiose, arbitrarie, sed propter officia in legibus nostris expressa prioris, magistri novitiorum, lectoris actualis ac promotoris ss. rosarii, quibus addimus officium parochi in conventu ad s. Mariam Portus Salutis, subministrent iisdem praedicatoribus congruum viaticum ad capitulum provinciale.

6. Revocamus in memoriam ordinationes capitulorum generalium, etiam circa numerum religiosorum ad hoc requisitorum, ut priores vocem habeant in capitulo provinciae. Praecipue vero revocamus in memoriam illas, quae spectant sacratissimas leges depositi communis conventuum, quas transgredi grande nefas est, et pro quibus ad litteram exequendis districte mandamus p. provinciali pro tempore, ut qua admonitionibus, qua acri reprehensione impiger operetur atque per poenas statutas omnino coerceat, quoscumque invenerit contrafacientes.

7. Confirmamus quidem collegium recens ad formandos sacros oratores in conventu Panormitano ad s. Citam erectum; verum integrum dicimus rm̃o p. generali statuta, pro eodem collegio adornando delineata, auctoritate et sua et praesentis generalis diffinitorii nostri approbare, reformare aut variare pro sua in scientiis agendisque rebus antiqua peritia. Eiusdem quoque arbitrio committimus, quatenus, si opportunum sibi videbitur, certum statuat praemium pro lectore biblico illius collegii; lectorem vero rhetorices post emensum certum annorum stadium valeat adhuc ad praedicaturam generalem promovere.

8. Confirmamus insuper translationem collegii a conventu Drepanensi ad Syracusanum, promotam ab illm̃o et rm̃o d. fr. Thoma de Marinis, Syracusano antistite, ordinis nostri, atque a tunc rm̃o ordinis magistro, nunc em̃o Pipia confirmatam; exequutioni tamen mandandam, dummodo fabrica ac redditus praefati conventus Syracusani sufficiant ad manutentionem collegii.

9. Confirmamus quoque extensionem baccalaureorum vulgo « de loco » ad sex supra decem, factam ab eodem em̃o exgenerali 8. septembris 1722, cum hac declaratione, ut ex his nove concessis duo sint titulo praedicationis, alii quatuor sint titulo lectionis.

10. Concedimus votum in capitulo illis magistris novitiorum, qui in eo munere caritatis pleno expleverint tempus alias per leges praedefinitum; illis vero, qui in ipso officio adhuc superaddent sexennium, damus locum immediate post baccalaureos.

11. Committimus rm̃o, ut rebus ab hac provincia bene dispositis ad probandum cultum immemorabilem venerabilis p. fr. Ieremiae, alumni

dudum superius memorati conventus Panormitani, ipse det manus suas adiutrices apud s. sedem pro tali cultu firmando atque promovendo.

Pro provincia Portugalliae.

1. Ad petitionem huius provinciae restituimus et, quatenus opus sit, de novo erigimus in studium generale conventum de Bello; ut vero huius intuitu religiosis studia sua absolventibus opportune provideatur, tria impraesentiarum addimus magisteria duodecim iam alias praeexistentibus; similiter ultra duodecim praesentaturas iam obtinentes tres alias modo concedimus titulo lectionis; et insuper quartam addimus titulo lectionis moralis, et aliam titulo praedicationis pro illo, qui cum laude sacrosanctum hoc exercuerit ministerium.

2. Committimus rmo ordinis magistro, quod universae religionis nomine operetur ac instet Romae ad promovendam beatificationem ven. fr. Bartholomaei a Martyribus, archiepiscopi quondam Bracarensis; ultimam admovens manum operi huic tam pio, quod modo florens Bracarensis archiepiscopus, illmus ac rmus d. d. Rodericus de Moira Telles, rara pietate ac mira liberalitate fovere pergit, vir numquam sine laudis prooemio a nobis appellandus.

Pro provincia Bethica.

Approbamus et acceptamus magisterium supra numerum cum loco ac voce individua ss. regnantis summi pontificis auctoritate a revmo p. praeside huiusce capituli publice et in forma collatum hic Bononiae die 11. labentis maii 1725 rev. p. fr. Thomae Cavallero, filio provinciae Bethicae, et modo pro-provincialem agenti praefatae provinciae in hoc eodem capitulo pari sanctissimi auctoritate.

Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Committimus humiles rmo, ut pro conventibus huiusce provinciae enixe demisseque petat a SS. primo erectionem societatis Militiae Angelicae d. Thomae cum indulgentia plenaria perpetua in festo translationis illius s. doctoris. Et secundo indulgentiam plenariam in festo bb. martyrum Gorcomiensium, quam quidem pro regionibus illis aliae religiones a s. sede impetrarunt.

2. Committimus eidem p. magistro generali, quod circa gravamina, quae supponuntur illata nationi Brabanticae tam in respectivo numero magistrorum quam in alternativa provincialium et in aliis capitibus, audire dignetur partes, tumque etiam auctoritate totius capituli, si opus erit, eam in medium adducere, controversias dirimat decretoria sententia.

3. Eadem ratione laudatus rmus p. generalis auditis patribus resolvat, prout sibi placebit, circa affiliationem p. fr. Ferdinandi s. theol. professoris; ei quippe causam hanc committimus.

Pro provincia Apuliae.

1. Nullus ad hanc provinciam spectans promoveri possit ad magisterium, ex quo praecise in generali studio Zarensi obierit munia magistri studentium et baccalaurei, immo etiam regentis, nisi intra hanc eandem suam provinciam baccalaureatus aut regentatus triennium in aliquo eiusdem studio generali compleverit.

2. Committimus rmo, quatenus singulari sua urgente aequitate agat, ne lectores in seminariis Barensi, Tarentino, Monopolitano aut in alio quocumque legentes, in promotione ad baccalaureatum aut regentatum ullo praeferantur modo illis, qui ingenio, studio aliisque condignis requisitis ipsis praestabunt.

3. In laudati quoque rmi arbitrio constitutam facimus ac dicimus concessionem octo vel pauciorum baccalaureorum, loco solummodo gaudentium, pro lectoribus ad gradus iam examinatis, qui ad eosdem gradus non fuerint suo tempore promoti.

4. Similiter integram facimus potestatem eidem rmo ordinis magistro, qua pro prudenti arbitratu suo erigere valeat in prioratus loca ss. Rosarii Terrae Martani et s. Rochi, vulgo della Cerignola, instituendo priorem in loco primo recensito p. mag. fr. Thomam Terio, et declarando, priores instituendos in utroque conventu gaudere suffragio in comitiis provincialibus.

5. Concedimus conventui ad s. Petrum martyrem de Meduno praerogativam, qua assumere possit ad sui gubernium priores ex conventibus inferioris notae, quemadmodum nonnullis conventibus insignioribus non semel concessum reperitur.

Pro provincia Calabriae.

1. Ut in hac quoque provincia formentur idonei praedicatores verbi divini, ordinamus, novitios in tertio anno studii philosophici praeter lectionem metaphysices lectionem insuper oratoriae sacrae excipere debere per horam vel ab eodem lectore, si in utraque disciplina praestans erit, vel ab altero, qui in arte dicendi sit notae peritiae; deinde vero per aliam itidem horam completam volumus praedictos iuvenes ad invicem conferre praecepta dicendi ornate ad persuadendum caeteraque ab illo magistro accepta. Tum demum bis saltem quovis mense orationem aliquam super argumento sibi dato pro viribus adornabunt. Et super horum iugi exequutione mandamus, p. provincialem pro tempore vigilare.

2. Ordinationem superiorem, pro toto ordine in hoc capitulo sancitam, circa examen ad confessionem ter subeundum a quibusdam religiosis, ita praxi mandari posse in hac provincia permittimus, ut primum examen fiat in studio generali, prout mos obtinuit, alia vero duo fieri possint in conventibus formalis studii, dummodo ibidem reperiantur tres

lectores sacrae theologiae aut p. provincialis pro tempore cum duobus lectoribus.

3. Innatae prudentiae rmi reservamus primo decernere, an conventus ad s. Iohannem Baptistam Terrae de Acrio et ad s. Dominicum civitatis Coriliani erigi possint in prioratus cum voce et praedicatore generali; secundo facultatem exserere etiam nomine capituli generalis ad actualem eorum eiuscemodi erectionem, quatenus eam rationabilem censeat; et tertio demum committere p. provinciali, quod utrique de primo priore convenienter provideat.

4. Damus suffragium in capitulo provinciali r. p. l. fr. Dominico Raphaeli propter commendabilem educationem novitiorum in conventu Suriani, habitam ab eo per annos tres supra decem, tametsi per horum quinque et aliquot menses solummodo egerit magistrum in capite. Mandamus tamen ipsi, quod iuxta talentum sibi a Domino collatum pergat in eodem munere, saltem donec tempus a legibus statutum princeps magister absolvat.

5. Quae hactenus ab aliis capitulis generalibus pro celebri illo conventu ad s. Dominicum Suriani sancita sunt aut confirmata, et nos confirmamus, ut iugiter ibi floreat semper sibi constans regularis vitae perfectio.

Pro provincia Hiberniae.

1. Confirmamus quaecumque in favorem huius provinciae ordinata sunt ab anno 1600, et nominatim quod in anteacto capitulo generali 1721 sub num. 2. statutum invenitur, videlicet quod conventus extranationales Romanus, Lovaniensis et Ulyssiponensis, qui et collegia appellari solent, una cum monasterio monialium Ulyssiponensium subsint provinciali Hiberniae.

2. Impertimur licentiam, excitandi conventum monialium in civitate Wafordiensi sub titulo s. Catharinae de Senis; eumque ex nunc huic provinciae unimus atque eidem p. provinciali Hiberniae pro tempore subiectum facimus ac declaramus.

3. Ne in incertum fluat dies celebrationis capituli provincialis Hiberniae, illud semper celebretur sabbato ante dominicam « Deus qui errantibus ».

4. Confirmamus in officio suo modernum p. provincialem usque ad diem designatum pro capitulo electivo sui successoris; quo commode possit et rebus suae provinciae consulere et eidem capitulo in Hibernia per se ipsum adesse.

5. Ne sacrosancta missio, adeo necessaria in Hibernia decidat, vehementer interdicimus ac prohibemus quam districtissime, ne ullus fratrum Hibernorum affiliari possit cuicumque ex tribus supra datis conventibus

aut alicui conventui alius cuiuscumque provinciae. Et inde instanter committimus rmo p. generali demissam obsecrationem apud sanctissimum pro obtinendo apostolico diplomate, confirmante nostram hanc aequissimam prohibitionem, ut tandem, Domino benedicente, non minus efficaciter quam fortiter ex parte, quae nos contingit, tanto occurratur malo. Mandamus insuper, ut quisquis affiliatus est illi provinciae, ac in alia provincia quacumque de causa commoratur, quoties primum a p. provinciali pro tempore Hiberniae in eam regionem fuerit revocatus ad salutem animarum promovendam, omni cunctatione seposita eo se conferat, professionis ac patriae suae perinde memor; et quatenus utriusque minus amans renuat, per caeteros pp. provinciales certatim cogatur vel invitus illo concedere, ubi apostolica flavescens messis operarios vocat.

Pro provincia Occitana.

1. Ad resecanda gravia incommoda ac inutiles expensas e medio tollendas prorogamus ad annum provincialatum moderni p. provincialis; declarantes tamen, non prorogari ullatenus prioratum quemcumque in tali provincia.

2. Arbitrio praefati p. provincialis Occitaniae permittimus, posse de consilio graviorum patrum designare pro capitulo provinciali proxime futuro alium conventum, diversum ab eo, qui iam delectus est.

3. Penes solum rmum caput ordinis esse, declaramus, dare licentiam pro obtinenda Parisiis promotione ad lauream. Caeterum si quandoque occurret gravis quaepiam ratio, quare pro certo individuo eadem licentia differenda videatur aut deneganda, p. provincialis, qui eo tempore reget provinciam, monebit congrue praelaudatum rmum, ut pro rei merito prudentia disponat sua.

4. Ne provincia isthaec religiosis admodum destituta deinceps quoque gravetur nimio praedicatorum generalium oppressa numero, committimus dicto rmo reductionem illorum in posterum ad numerum duodenarium, si talis numerus eidem arridebit. Stantibus tamen quoad vixerint illis, qui generalis praedicaturae, in praemium praeteritorum laborum, pacificam obtinent possessionem.

5. Nullus promoveatur ad gradum baccalaureatus, qui non expleverit munus magisterii studentium, vel ut minimum per quatuor annos non legerit artes et per annos sex s. theologiam.

6. Concedimus r. p. fr. Iohanni La Borde ius suffragii ferendi in capitulo provinciali propter munus magisterii novitiorum sexennio caritative exercitum, cum onere tamen aliud quadriennium in eodem officio implendi. Idem concedimus generaliter omnibus illis, qui per spatium decem annorum in hac provincia indefesse ac laudabiliter se se subiecerint eidem muneri iuventutis in legibus ordinis sancte formandae.

7. Concedimus p. provinciali moderno potestatem, qua, habito magistrorum consilio, possit dispensare super privatione vocis pro proximo capitulo provinciali tantum cum illis prioribus parvorum conventuum, qui insigniter instauraverunt conventus, quibus praesident.

8. Concedimus vero p. provinciali pro tempore, ut in officio confessarii sanctimonialium confirmare possit, quoties prudentia suggesserit, illos, qui ad id muneris fuerint aptiores. Integrum tamen perpetuo dicimus rm̃o p. generali posse talem confirmationem sibi soli reservare.

9. Concedimus pp. fr. Thomae Amanrich et fr. Bonaventurae Costa, baccalaureis in theologia ac antecessoribus in academia Perpignanensi, ut promoveri possint ad lauream magisterii intra numerum octodecim magistrorum huius provinciae hoc ipso, quod per annos quatuor in conventu Perpignanensi docuerint studentes ordinis theologiam, habitis quater per hebdomadam conferentiis sive privatis thesibus, quemadmodum in aliis nostris studiis generalibus fieri solet.

10. Praesidentibus conventuum provinciae Occitaniae serio iniungimus ultra contributionem datam Bononiensi conventui pro celebratione praesentium comitiorum solutionem libellarum Gallicarum quadringentarum r. p. provinciali et trecentarum cuilibet electori pro viatico; conferentes plenariam facultatem eidem p. provinciali, qua cum consilio graviorum patrum provinciae secundum leges distributivae iustitiae determinet contributiones a conventibus illis respective solvendas.

11. Approbamus contractum initum inter illm̃um d. comitem de Ribeirach et conventum nostrum Petragoricensem, eumque declaramus subscribendum, quatenus opus sit, a rm̃o patre generali.

Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

Literae apostolicae, datae in immortale decus conventus ad ss. Iohannem et Paulum Venetiarum, huiusce provinciae Venetae, a d. n. Benedicto XIII. videantur inter denuntiationes num. 10. 17.

Pro provincia Quitensi s. Catharinae virginis et martyris.

1. Ut decori, regulari praxi et prudenti conservationi Quitensis provinciae provide consulatur, haec omnino servanda ordinamus: Nullus deinceps assumatur in provincialem istius provinciae vel in priorem conventuum insigniorum eiusdem, scilicet ad s. Mariam de la Peña Franciae et ad s. Petrum Martyrem de Quito, quin saltem sit lector habitualis aut generalis praedicator.

2. Qui inposterum eligendus erit in provincialem, insuper vel sit origine filius ipsius provinciae vel saltem ab annis octo sit eidem praevie affiliatus. Monemus tamen p. provincialem pro tempore, ut provideat, et quidem quam diligentissime, illi provinciae de religiosis in Hispania natis, unde alias constituta alternativa possit iugiter custodiri.

3. Nemo admittatur ad sacri ordinis nostri clericalem habitum, nisi calleat linguam latinam, indolem prae se ferat bonam, vocationem comprobet ac sanguinis secum deferat honestatem. Nullus quoque admittatur, nisi sufficiens habitus fuerit, post accuratum examen per pp. examinatores deputatos in duobus tantummodo praedictis conventibus. Quapropter interdicimus in quibuscumque aliis conventibus huius provinciae examen illud atque praemissam iuvenum approbationem, adhuc si accederet consensus p. provincialis; et hoc quidem sub poena nullitatis receptionis ad habitum.

4. Roganti provinciae huic, suarum virium consciae, concedimus duo magisteria titulo praedicationis; et insuper attenta suppressione aliquarum generalium praedicaturarum, quae fieri debet pro conventibus illis, quorum prioribus non permittitur habere ac ferre suffragium in capitulo provinciali, concedimus quatuor praedicaturas generales titulo linguae Indorum pro provincia de Guajaquil, et pro provincia ac missionibus de Canelos.

Pro provincia ss. Rosarii Philippinarum.

1. Confirmamus ordinationes apposite pro hac provincia formatas sub 9. februarii anni proxime elapsi 1724 a nunc emo exgenerali Pipia.

2. Attenta certa ac insigni difficultate perducendi ad exitum ea, quae n capitulo generali 1721 num. 1. ordinata fuere pro vicario generali conductivo late patentium missionum huius provinciae, declaramus, ordinationem illam in hoc solo sensu accipiendam, ut si vicarius praedictus facile poterit se se conferre in tres designatas Hispaniae provincias earumque conventus pro deligendis religiosis aptioribus ad sacras eas missiones, ordinatio ad literam firma subsistat. Caeterum quandocumque grave aliquod occurrat incommodum, permittimus eidem vicario, ut datis epistolis ad pp. provinciales trium illarum provinciarum a personali accessu se se contineat mittatque assignationes pro illis religiosis, quos expeditiores esse et ad devoranda quaecumque incommoda pro infidelium conversione et ad ducendam vitam undique regularem adeo sancte in sua illa provincia custoditam ab ipsis pp. provincialibus accipiet, prout usus priscus ferebat.

3. Patres ex provinciis Hispaniae adsumpti ad praedictas missiones, dum noviter concesserint in civitatem Manilensem, mittantur ad nationes et regna illarum regionum orientalium non ex solo arbitrio p. provincialis, sed praehabito maturo consilio patrum provinciae et vicarii eorum ductivi.

4. Speciali eoque aequissimo decreto concedimus vicariis provincialibus earundem regionum erga fratres intra suas vicarias contentos eandem prorsus auctoritatem in omnibus, quam habent priores in propriis

conventibus erga religiosos subditos; unde iidem vicarii successivis temporibus plenam habebunt erga praedictos potestatem ad eos dirigendos, monendos, corrigendos, compellendos etc., perinde ac si ipsorum essent priores.

Pro provincia s. Petri Martyris.

1. Concedimus, posthac dari posse a rm̃o ordinis magistro lauream magistralem iis, qui munus regentis ac baccalaurei ordinarii in studio generali ad s. Eustorgium Mediolani expleverunt.

2. Concedimus insuper facultatem p. provinciali pro tempore, qua providere possit de idoneis lectoribus collegium Taurinense, salva tamen remanente in omnibus auctoritate superiore rm̃i.

3. Inhaerentes commissioni factae pro hac provincia in capitulo generali 1706 num. 5. rogamus laudatum p. generalem, ut dignetur supplicem se dare ss. ad obtinendam dispensationem super brevi Urbani VIII. ad hoc, ut numero duodenario magistrorum, per idem breve fixato, senarius eorumdem numerus superaddatur.

4. Concedimus votum in capitulo provinciali illi magistro novitiorum simplicium, qui re ipsa sexennium obierit tam laudabilis officii, cum onere tamen perveniendi ad integrum duodennium. Magistro vero novitiorum professorum conventus Mediolanensis ad s. Eustorgium idem privilegium suffragii concedimus, postquam octo annos in regendis illis novitiis impiger absolverit, dummodo pergat fungi eodem munere usque ad duodecim annos completos.

Pro provincia Aprutina.

1. Ut observantiam legum nostrarum promoveamus, prohibemus sub poena nullitatis electionis et privationis utriusque vocis contra eligentes electionem in priorem conventus et studii generalis ad s. Mariam de Arcu, nationis Neapolitanae, cuiuslibet non graduati aut illius, qui saltem non consummaverit cursum lecturae primariae.

2. Quum ad salutem proximorum destinati simus, et altissimus Deus non dedignetur in operariis suis subsidia humanarum disciplinarum, quin immo saepenumero has elevet ad tam sublimem finem, ideo ordinamus, novitios philosophiae studentes per totum tertium annum talis studii ultra lectionem metaphysicarum quaestionum audire spatio unius horae aliam lectionem rhetorices sacrae vel ab uno eodemque lectore, si et in arte oratoria ille praestabit, vel ab alio in hac arte perito. Tum vero iuvenes illi per aliam integram horam collationes habebunt super praeceptis a rhetore magistro sibi traditis. Singulis vero mensibus ut minimum iidem orationem aliquam super argumento a magistro proposito conficient. Et horum omnium exequutionem urgebit, vigilem se dando, p. provincialis pro tempore.

3. Ad consulendum commodo vocalium provinciae, ordinamus, quod capitulum provinciale amodo celebretur primo sabbato mensis maii.

4. Acceptamus et ratam habemus oblationem de erigendo conventu nationi Aprutinae in Terra Montis Pagani, devote ac liberaliter factam ab illa communitate, ea tamen conditione, ut adsint cuncta de iure requisita, super quibus p. fr. Philippus Mambelli, prior ad s. Dominicum Theate, certiorem reddat rm̃um ordinis magistrum.

5. Spectato meliore regimine huius provinciae indulgemus, quatenus magistri novitiorum tum simplicium cum professorum sint solummodo biennales. Si vero per consilium patrum discretorum habiles reperientur, poterunt in eodem consilio toties quoties confirmari ad aliud biennium; servetur tamen lex communis, quod pro prima vice ad tantum officium personae idoneae destinentur a solo capitulo provinciali.

6. Certae prudentiae ac arbitrio rm̃i relinquimus decorandum praerogativa vocis in capitulo provinciali p. l. fr. Michaelem Angelum Valomei, Asculanum, qui per novennium in illo novitiorum magisterio se se exercuit, addito tamen onere ac mandato pergendi in eodem exercitio per triennium et ultra ad nutum suorum superiorum.

7. Permittimus, quod sex menses lectionis philosophicae, quos pro secundo cursu philosophiae decurrit p. l. fr. Thomas Maria Pezella, ipsi computari possint pro sex aliis mensibus lecturae theologiae in ordine ad subeundum examen pro gradibus, quotiescumque tamen fuerint realiter absoluti.

8. Auctoritati et arbitrio rm̃i magistri ordinis committimus dispensationem ab onere hebdomadariae pro p. l. fr. Raymundo Biagioni, iam ferme septuagenario atque, ut accepimus, gravi infirmitate habitualiter detento.

Pro provincia s. Hyacinthi Russiae.

1. Auctoritate nostra erigimus in prioratus cum omnibus iuribus et privilegiis conventus Smotricensem, Sniatinensem, Polonensem, Samuelpoliensem et Smolanensem, subsistentibus tamen redditibus ad talem erectionem necessariis.

2. Studium Pinscense erigimus in studium formale tum propter numerum religiosorum, ibidem existentium, cum propter copiam actuum scholasticorum ea in civitate florentium. Concedimus vero, quod in novo hoc collegio posthac fieri possit examen illorum ad gradus promovendorum, qui enormiter distant a studio generali Leopoliensi ad sanctissimum Christi corpus.

3. Confirmamus ordinationem alias factam pro recto regimine studiorum huius provinciae, qua statutum est, ne ullus exerceat munus magisterii studentium in antedicto studio generali Leopoliensi, qui prius alibi theologiam non legerit.

4. Ne magis ac magis in dies religiosorum numero destituatur provincia haec, per pestem praecipue, sed et per alia gravia incommoda ferme detrita, quanta valemus auctoritate, mandamus provincialibus circumiacentium provinciarum, ut fratres Rutenos extra nativam provinciam, atque in provincia sibi commissa otiose versantes, toto conatu compellant ad reditum; vigilentque quam maxime super praesidentibus conventuum sibi subiectorum, ne ullum ex illis recipiant sine debitis licentiis aliter quam secundum leges nostras, statim monendo de sequuta detentione p. provincialem Russiae, ad cuius simplicem instantiam teneantur statim illum religiosum reddere Rutenae provinciae. Si vero provinciales praefati in re adeo seria et iusta desides erunt, provincialis praedictus moneat rm̃um pro impetrando opportuno ac praesentaneo remedio.

5. Cum providentia universae religionis complecti debeat et sorores nostras in Christo, ipsius religionis filias, eidemque subiectas, ea de causa praecipimus quam districte sanctimonialibus huiusce provinciae sanctam observantiam legum nostrarum, uniformitatem in rebus ad totam communitatem spectantibus, maxime vero circa victum et vestitum a monasteriis respective ministrandum. Dotes non aliter erogentur quam secundum sacros canones et apostolica decreta. Puellae non ad arbitrium huius vel illius monialis, sed cum consilio discretarum et capituli approbatione a priorissa recipiantur; et oppositum omnino prohibemus. Sarta et tecta eaedem quoque religiosae servare pergant, quae redolent et spectant sanctam Deoque, dum nuntium remiserunt seculo, promissam paupertatem; in communem conferendo monasteriorum utilitatem, quidquid a declinato seculo ad amica claustra detulerunt. Superioribus suis sint per omnia subiectae, quemadmodum constitutiones ferunt suae, neque velint in apertum religionis detrimentum provocare ad extraneas quascumque personas.

6. Ad restituendum antiquum provinciae usum, per generalia capitula pro minore religiosorum incommodo firmatum, decernimus, quod capitulum provinciale electivum provincialis deinceps transferatur ad festum purificationis b. Mariae virginis. Ordinamus vero, illud perpetuo fieri alternatim Leopoli et Pinsci; unde conventibus immani inter se intervallo seiunctis meliore, qua potest, ratione provideatur.

Pro provincia Parisiensi.

Priores conventuum talis provinciae sub poena absolutionis ab officio ac privationis utriusque vocis quam primum pro rata contribuant solvantque argentum ad expensas pro itinere inito a pp. diffinitore et electore ad hoc capitulum generale.

Pro provincia Lituaniae.

1. Confirmamus unionem et applicationem conventus Verkoviensis

sancitam in capitulo generali 1686 in favorem huius provinciae et in capitulo itidem generali 1721 num. 3. confirmatam.

2. Mandamus promptam exequutionem omnium ordinationum hactenus pro recto regimine provinciae Lituanae latarum.

3. In celebri civili controversia Lituanam inter et Rutenam provinciam super possessione plurium conventuum, ut tandem, et quidem quoad fieri poterit brevi, prodeat decretoria sententia, frustra hucusque ex documentorum defectu utrinque tentata, volumus, decernimus et ordinamus, ut eadem sententia differatur usque ad proximum capitulum generale. Interim utraque pars praeparet documenta, eo deferenda in forma authentica, quibus constet, quot sint conventus fundati ab anno 1612 ad annum 1647, quo tempore, a quo, et cui ex duabus provinciis, Lituaniae ne, an Russiae. Secundo parent ambae provinciae documenta similia fundationum ab anno 1647, si quae sunt, cum tribus iam recensitis circumstantiis, ac insuper cum attestatione iuris ac facultatis habitae pro eisdem fundationibus a sede apostolica, rege et ab ordine. Tertio doceant, a quo tempore fuerit reclamatum contra factas fundationes et contra possessionem obtentam ac habitam, et an sint, et quae sint fundationes alterutri provinciae adiudicatae per sanctam sedem, per regem vel per aliquod capitulum generale. Et si provincia haec Lituana vult commissarium, rogamus, ut assignetur a rmo. Caeterum quidquid tandem erogandum veniet pro ipsius missione, totum illud conferat sola provincia Lituana petens.

Pro provincia Canariarum.

Approbamus et acceptamus magisterium pro forma et gradu Romae collatum r. p. fr. Emanueli Machado et Merino.

Pro provincia s. Ludovici regis Galliarum.

Praecipimus fratribus huius provinciae, quod deinceps omnigenam servent uniformitatem habitus inter se et, quantum fieri poterit, in hoc quoque consentiant cum caeteris provinciis Galliarum, ut ex exteriore habitus consensione ea quoque se prodat canonicae observantiae uniformitas, quam sacrae leges nostrae sub initium sancte adeo nobis commendant.

Pro provincia s. Rosae in Belgio.

1. Ut constet, an sine praeiudicio studii generalis provinciae s. Rosae possint, nec ne mitti aliqui iuvenes ad conventum Bergensem pro absolvendo studiorum sexennio, utque deinde convenienter super hoc auctoritate praesentis capituli disponatur, mandamus, quod in capitulo provinciali proxime futuro habeatur circa hoc ipsum maturum examen; tumque ut moneatur rmus ordinis magister, qui postmodum consulta prudentia sua ordinare dignabitur, quod convenientius iudicabit.

2. Committimus quoque eidem rmo auctoritatem nostram, ut nomine praesentis capituli definiat, an concedenda sint in hac provincia privilegia et iura graduatorum illis, qui Parisiis gradum aliquem sunt consequuti, et nominatim p. fr. Martino Iosepho Basselart, baccalaureo licentiato Parisiensi; approbantes nunc, quidquid ab eo circa hanc rem postmodum provide fuerit definitum.

3. Ordinamus, quod provincia isthaec solvat p. diffinitori pro accessu et recessu ab his comitiis generalibus, quidquid ab ipso fuerit legitime expositum; neque enim declinare possunt provinciae impendium illud, quod pro bono universae religionis est sustinendum.

Pro provincia Sardiniae.

1. Confirmamus hanc provinciam iam pridem erectam in capitulo generali hic Bononiae habito anno 1706, et quidem eam confirmamus cum loco per illud idem capitulum statuto.

2. Arbitrio rmi p. generalis committimus concessionem unius solummodo magisterii ultra numerum senarium, alias huic provinciae concessum.

3. Committimus insuper zelo eiusdem rmi, ut, quoad ius fieri poterit, operetur pro impetrando utrique clero a s. sede officio s. Luciferi pro toto orbe, sin pro insula Sardiniae, vel ut minimum pro dioecesi Calaritana.

4. Si subsistunt aliae facultates necessariae, et nos nostram damus ad hoc, ut ex duobus conventibus existentibus in civitate Sassaris unus erigatur. Similiter si in conventu ad s. Sebastianum de Scramana tales sunt proventus, qui sufficiant ad religiose alendos duodecim fratres, illum erigimus in prioratum cum priore et praedicatore suo generali.

5. Concedimus officium rectoris collegii ad ss. Trinitatem civitatis Ecclesien. fieri triennale, quemadmodum erat quoque praeteritis temporibus; volumus tamen, concessionem praesentem suum sortiri effectum solummodo, postquam modernus rector talis collegii expleverit biennale officium suum.

6. Prohibemus, ne numerus fratrum pro praefato collegio taxatus in primo capitulo provinciali provinciae praemissae augeri possit a provinciali pro tempore, eique talem facultatem adeptam declaramus.

7. Quoties adsit privilegium quodpiam, concedens alicui ex conventibus provinciae Sardiniae, quod tantummodo de consensu prioris et patrum ipsius possint illuc assignari vel inde amoveri fratres, illud auctoritate nostra penitus abrogamus et abolemus, ut integram et plenissimam, prout de iure, potestatem assignationum cuiuscumque religiosi iterum adiudicemus p. provinciali, in firmissimam singulorum conventuum et totius provinciae utilitatem.

Pro provincia s. Mariae Sanitatis.

1. Denuntiamus, ad nos datas fuisse literas in forma brevis a d. n. Benedicto XIII., ecclesiae clavum feliciter regente, super unione duarum congregationum regni Neapolitani, Sanitatis nimirum et s. Marci Gavotorum, in unam novam provinciam; quibus nobis gravissime mandat, ut, quam diligentissime perspectis rebus omnibus ad easdem congregationes pertinentibus, id tandem auctoritate apostolica nobis benigne commissa statuamus, quod in liberali luminum datore Deo ad confirmandam observantiam in religiosis earumdem congregationum conducentius apparebit; quemadmodum distinctius ac fusius ipsa pontificii diplomatis descriptio exponet.

Benedictus pp. XIII. Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut non sine intimo animi nostri moerore accepimus, in binis congregationibus fratrum s. Mariae Sanitatis Neapolitan. et s. Marci, vulgo de Gavotti, respective nuncupatis, ordinis praedicatorum, quae e conventibus a provincia regni Neapolis eiusdem ordinis magna ex parte dismembratis et a iurisdictione illius prioris provincialis exemptis olim erectae fuerunt, priscae observantiae regularis studium, quod in ipsis congregationibus, earumque fratribus initio ac decursu seculi mox elapsi maxime fervebat atque elucebat, ita exciderit, ut non modo laudabilis finis, quem ordo praefatus et haec sancta sedes sibi in ipsarum congregationum institutione et approbatione proposuerunt, qui sane alius non fuit, quam ut ab illarum religiosis statuta ipsius ordinis exactius observarentur, et eorum exemplo ad idem praestandum alii fratres conventuum dictae provinciae invitarentur, non obtineatur. Verum novi in dies gravesque abusus in easdem congregationes invehantur, disciplina inibi sensim dilabatur et plane relaxetur, variaque scandala in universi etiam ordinis praedicti dedecus enascantur, ac proinde obscuratum aurum, mutatum colorem optimum boni omnes doleant; Nos aliquam rationem a capitulo generali ordinis praedicti propediem celebrando iniri cupientes, qua in congregationibus et conventibus praedictis debita observantia restituatur, perturbationes, abusus et scandala huiusmodi tollantur, ac nova vivendi, eiusdem ordinis constitutionibus conformis, inposterum servanda praescribatur, atque animadvertentes, exactam disciplinam regularem in provincia Tolosana dicti ordinis, quae etiamnum plurimum commendatur, tunc demum florere et vigere coepisse, quemadmodum in actis capituli generalis eiusdem ordinis, anno 1560 habiti memoratur, ac experientia ipsa compertum est, cum eius conventibus, qui antea a vicario particulari regebantur, in vim decreti capituli generalis ordinis praefati congregationi s. Ludovici per tunc temporis existentem magistrum generalem ipsius ordinis unitis, et abolito dicti vicarii particularis gubernio,

ex eis erecta fuit provincia, per suum priorem provincialem, ad instar caeterarum provinciarum, regenda, simulque considerantes, id ipsum quoque de conventibus congregationum praedictarum sperari posse, si videlicet illi, qui a duobus vicariis ad praesens reguntur, insimul unirentur et in novam provinciam sub directione unici prioris provincialis erigerentur, ipsi proximo capitulo generali auctoritate apostolica harum serie districte praecipimus et mandamus, ut habita de duabus congregationibus earumque conventibus et fratribus praedictis matura deliberatione, reque universa accurate perpensa, illas super statu congregationum, conventuum et fratrum praedictorum resolutiones capiat eaque statuat et determinet, quae pro recta et salubri ipsorum conventuum et fratrum directione magis in Domino expedire censuerit, et quatenus dictos conventus in novam provinciam erigi convenire iudicaverit, utramque congregationem s. Mariae Sanitatis et s. Marci praefatam supprimendi et abolendi earumque conventus omnes invicem uniendi, unicamque ex eis provinciam instituendi, aliaque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi, plenam et liberam potestatem et facultatem auctoritate praefata tenore praesentium concedimus et impertimur. Decernentes, easdem praesentes literas, et quidquid a dicto capitulo generali in earum executionem decretum et gestum fuerit, firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ordinis, congregationum et conventuum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis etiam eisdem ordini, congregationibus et conventibus, eorumque personis quibuslibet, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis

alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 4. maii 1724, pontificatus nostri anno primo.

F. card. Oliverius.

2. Inhaerentes itaque menti SS. summa certe ac debita reverentia post institutum examen rei undique momentosae, auctoritate illa apostolica nobis commissa declaramus, abolendas esse ac supprimendas memoratas congregationes s. Mariae Sanitatis et s. Marci Gavotorum, easque per praesens decretum abolemus et supprimimus et unimus in unam novam provinciam sub nomine s. Mariae Sanitatis, easque sic abolitas, suppressas et unitas declaramus.

3. Verum quia ad umbilicum perducere opus certo certius maxime negotiosum unius vel alterius diei angustia non patitur, reverenter committimus rm̃o nostro magistro generali, quatenus habita rerum omnium notitia nomine praesentis nostri generalis diffinitorii, auctoritate apostolica, ut supra, fulti, ea statuat, quae ad uberiorem regularis vitae custodiam, restitutionem vel formationem operari posse in conventibus et religiosis, spectantibus antea ad supradictas congregationes, modo vero ad hanc provinciam s. Mariae Sanitatis pertinentibus, nativa prudentia, constans in legibus peritia vetusque religionis amor eum interius docebunt; ratum habentes ex nunc pro tunc, quidquid ab eodem pro vitae ac caeterorum methodo fuerit praescriptum.

Pro congregationibus provinciarum universim acceptis.

Ordinamus, congregationes quascumque a s. sede non erectas nec confirmatas, sed sola facultate ordinaria religionis institutas atque a suis respective provinciis seiunctas, quotiescumque non custodiant veterem observantiam eorum, quae in primaevo erectionis sancto fervore eisdem praescripta fuere, suis illis provinciis omnino reuniendas esse; committentes demisse rm̃o magistro generali, quatenus habita de earum singulis pleniore notitia, si aliquam a proposito commendabili fine decidisse compererit per certa documenta laxiorem vitam referentia, eam incunctanter aboleat supprimatque auctoritate generalis nostri capituli et originali provinciae reuniat.

Pro congregatione Ragusina.

1. Petente Ragusina congregatione, ne expriores gaudeant voto in

capitulo congregationis, eosdem tali suffragio privamus et ex nunc privatos declaramus.

2. Diffinitoribus praefati capituli in actuali huius celebratione concedimus potestatem, confirmandi post primum biennium ad alios duos annos vicarios conventuum foraneorum, quoties haec confirmatio prudens ab iisdem censeatur. Hanc tamen facultatem adimimus p. vicario congregationis ab iisdem diffinitoribus separato.

3. Ordinamus, quod deinceps nullatenus erigantur in vicarios illos foraneos patres, qui non expleverint duodecim annos ab emissa professione, vel non fuerint approbati ad excipiendas sacramentales confessiones secularium.

4. Ad confirmandas ordinationes alias prudenter latas pro recta ac decente congregationis disciplina decernimus et declaramus, nullam et irritam quamcumque electionem in vicarium generalem et in priorem Ragusinum illius religiosi, qui praevie non fuerit examinatus atque approbatus in aliquo studio generali, et simul laudabiliter vel per triennium saltem non legerit in conventu Ragusino vel non habuerit conciones in ecclesia eiusdem conventus ad minus per quadragesimam et annum. Mandamus vero, ut haec requisita in scrutinio electionis necessario exprimantur.

5. Confirmamus privilegia omnia, quae donante religione inducta sunt in favorem huius congregationis, quaeque etiamnum modo ad honestatem, decus et observantiam eiusdem congregationis operantur.

Pro congregatione Franciae.

1. Consequenter ad ordinationem generalem superius factam circa solvendas suisque provinciis respectivis reuniendas congregationes, ordinaria religionis potestate erectas, quoties arrepti propositi minus memores minusque tenaces exciderint a semel suscepto irreprehensibili observantioris vitae tenore, et inhaerentes statuto in capitulo generali Romano 1721 circa congregationem Gallicanam provinciae Franciae de hac agendo num. 10., ordinamus actualem et realem suppressionem ac unionem cum eadem provincia Franciae praefatae congregationis Gallicanae, ubi primum constet rmo p. n. generali, observantiam in ea decidisse; eidemque, rogantes, committimus, quod auditis partibus tunc pro sua prudentia rectoque arbitrio reuniat et incorporet ipsam congregationem memoratae nuper provinciae, ex cuius sinu prodiit, dummodo tamen sola ordinis et non superioris cuiuslibet ecclesiastici tribunalis facultate congregatio ipsa formata fuerit atque ab illa provincia Franciae segregata.

2. Ordinamus, ut conventus spectantes ad hanc congregationem Franciae solvant pro rata eiusdem congregationis expensas factas a provincia Franciae in lite spectante moniales Divionenses ad tenorem decreti lati die 4. iunii in capitulo generali 1721.

Pro congregatione ss. sacramenti provinciae Provinciae.

Attenta certe commendabili regulari observantia, quae benedicente Domino florescit in hac congregatione, in antecessum ab aliis capitulis generalibus rectissime confirmata, et nos ipsam libenter ac merito confirmamus.

Suffragia pro vivis.

Pro ss. d. n. Benedicto XIII., ordinis nostri, et pro felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro augustissimo imperatore Carolo VI. eiusque augustissima coniuge ac serenissimis prolibus q. s. u. m.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XV. q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo V., serenissima coniuge ac serenissimis filiis q. s. u. m.

Pro serenissimo rege Lusitaniae eiusque regia familia q. s. u. m.

Pro emo ac rmo d. cardinali Marescotti, ordinis nostri protectore, q. s. u. m.

Pro emo ac rmo p. fr. Augustino cardinali Pipia, exgenerali ordinis nostri, q. s. u. m.

Pro universo sacro collegio ee. ac rr. dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro bono totius religionis eiusque capite rmo ordinis magistro ac sociis assistentibus q. s. u. m.

Pro pace totius orbis christiani q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, fratribus clericis litaniae sanctorum et conversis decem orationes dominicale cum totidem salutationibus angelicis iniunguntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima ss. d. n. Innocentii XIII., post ultimum generale capitulum vita functi, q. s. u. m.

Pro animabus emorum et rmorum cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro adsumptorum, qui perpetuam eleemosynam capitulis nostris generalibus in ultimis suis tabulis legarunt, q. s. u. m.

Pro anima emi ac rmi d. cardinalis Casanate q. s. u. m.

Pro anima rmi p. fr. Antonini Cloche, iampridem totius ordinis nostri magistri generalis, q. s. u. m.

Pro anima rev. adm. p. magistri Antonini Villagomez, diffinitoris Apuliae, qui in conventu capitulari Bononiensi obiit post absolutum hoc capitulum generale, q. s. u. m.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot ab ultimo capitulo generali obierunt, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis vero tertia pars sacratissimi rosarii imponitur.

Damus rm̃o p. magistro ordinis universam auctoritatem nostram circa omnia et singula praemissa, ut declarare valeat ea, quae declaratione indigebunt, iustis quoque de causis dispensare ac denique facere omnia illa, quae nos ipsi ac capitulum facere posset.

Denique universis et singulis provinciarum et congregationum seu vicariatuum praesidentibus praecipimus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae et sub formali praecepto, ut haec acta, quum primum ad eorum manus pervenerint, iubeant publicari, eorumque urgeant observantiam; volentes, quod exemplaribus sigillo rm̃i ordinis magistri munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Thomas Ripoll, magister ordinis.

Fr. Raphael Figuerola, magister, exregens Minervae et extheologus Casanatensis.
Fr. Ioannes Sicard, magister et socius.
Fr. Iosephus Muñoz, doctor theologiae in universitate Caesaraugustana et regens in collegio Minervitano ac magister.

Loco † sigilli.

Fr. Dominicus Ponsi
magister, exprovincialis et socius.

ACTA CAPITULI GENERALIS PROVINCIALIUM ET DIFFINITORUM ORDINIS PRAEDICATORUM BONONIAE IN CONVENTU S. P. DOMINICI CELEBRATI A DIE I. IUNII MDCCXLVIII.

Sub reverendissimo patre fr. Antonino Bremond, sacrae theologiae professore eiusdemque ordinis generali magistro, in praedicto capitulo electo, diffinientibus rm̃o patre fr. Vincentio Maria Ferretti ss. d. n. Benedicti pp. XIV. et sedis apostolicae nomine capituli praeside, necnon ordinis procuratore generali, ac rr. adm. pp. mag. provincialibus et diffinitoribus:

fr. Petro Monedero mag. provinciali Hispaniae,
fr. Gabriele Gaugeran sac. theol. prof. provinciali provinciae Tolosanae,
fr. Ioanne Iacobo Proville mag. provinciali Franciae,

fr. Carolo Thoma Orsi mag. provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Hyacintho Crescini mag. provinciali provinciae Romanae,
fr. Cherubino Maria Paffi mag. provinciali Regni,
fr. Hilario Hedenig mag. provinciali Hungariae,
fr. Ioanne Cordier mag. provinciali Theutoniae,
fr. Iustino Iakielski mag. provinciali Poloniae,
fr. Vincentio Maria Balsarini mag. provinciali Graeciae,
fr. Iosepho Muñoz mag. provinciali Terrae Sanctae,
fr. Ioanne Thoma de Boxadors mag. provinciali Aragoniae,
fr. Godefrido Rollepatz mag. provinciali Bohemiae,
fr. Ioanne Tourniaire mag. provinciali provinciae Provinciae,
fr. Adamo Waltinger mag. provinciali Saxoniae,
fr. Aloysio Naselli mag. provinciali Trinacriae,
fr. Bernardino Membrive mag. provinciali Scotiae,
fr. Ludovico de los Rios mag. provinciali Beticae,
fr. Alberto Crudo mag. provinciali Apuliae,
fr. Vincentio Lupinacci mag. provinciali Calabriae,
fr. Michaele Hoare mag. provinciali Hiberniae,
fr. Alexandro Pio Malacreda mag. provinciali prov. s. Dominici Venetiarum,
fr. Eusebio Maria Fransolini provinciali prov. Nexiovanensis in Armenia,
fr. Iosepho Maria Maggi mag. provinciali prov. s. Petri Martyris,
fr. Michaele Medici mag. provinciali provinciae Aprutinae,
fr. Natali Sabatier mag. provinciali provinciae Parisiensis,
fr. Remigio Zahorowski mag. provinciali Lithuaniae,
fr. Dominico Imbert mag. provinciali prov. s. Rosae in Belgio,
fr. Vincentio Mellis mag. provinciali Sardiniae,
fr. Ioanne Martinez mag. dif. Hispaniae,
fr. Stephano Roux sac. theol. prof. dif. provinciae Tolosae,
fr. Marco Alexandro Roset mag. dif. Franciae,
fr. Ioanne Evangelista Franzini mag. dif. utriusque Lombardiae,
fr. Thoma Maria Antinori mag. dif. provinciae Romanae,
fr. Iohanne Maria Maiello mag. dif. Regni,
fr. Dominico Josephy mag. dif. Hungariae,
fr. Petro Brantten mag. dif. Theutoniae,
fr. Raphaele Chybinski mag. dif. Poloniae,
fr. Paulo Benet mag. dif. Aragoniae,
fr. Emerico Langenwalter mag. dif. Bohemiae,
fr. Bernardo Tournier mag. dif. provinciae Provinciae,
fr. Antonio Holdermann mag. dif. Saxoniae,
fr. Clemente Moretti mag. dif. Dalmatiae,
fr. Iosepho Maria Pizutti mag. dif. Trinacriae,

fr. Francisco de Portugal mag. dif. Portugalliae,
fr. Petro Fontanilla mag. dif. Bethicae,
fr. Hyacintho Meledandri mag. dif. Apuliae,
fr. Nicolao Mojo mag. dif. Calabriae,
fr. Dominico O'Kennedy mag. dif. Hiberniae,
fr. Dominico Gamboa mag. dif. provinciae s. Ioannis Baptistae de Perù,
fr. Iuliano Sainz praesentato dif. provinciae s. Vincentii de Chiappa,
fr. Raymundo Garralon mag. dif. Occitaniae,
fr. Dominico Zorzi mag. dif. provinciae s. Dominici Venetiarum,
fr. Pio Victorio Guglielmi mag. dif. provinciae Nexiovanensis in Armenia,
fr. Francisco Serrano praesentato dif. Philippinarum,
fr. Emmanuele Ridolphi mag. dif. provinciae s. Petri Martyris,
fr. Antonino Rossi mag. dif. provinciae Aprutinae,
fr. Eduardo Montaner mag. dif. Russiae,
fr. Iacobo Launay sac. theol. prof. dif. provinciae Parisiensis,
fr. Thoma Hanusewicz mag. dif. Lithuaniae,
fr. Iosepho Thoma Wadding mag. dif. Canariarum,
fr. Guillelmo Dermotte sac. theol. prof. dif. provinciae s. Ludovici regis,
fr. Thoma Vanhoucke sac. theol. licentiato dif. prov. s. Rosae in Belgio,
fr. Sisino Neri praesentato dif. Sardiniae.

Secretario capituli

p. m. fr. Vincentio Thoma Covi in universitate Bonon. pub. s. theol. prof.

Universis et singulis patribus, fratribus ac sororibus
ordinis praedicatorum
fr. Antoninus Bremond, sacrae theologiae professor
eiusdemque ordinis humilis magister generalis et servus,
salutem et sanctarum legum observantiam.

Quod erat maxime optandum, ut intermissis diu generalibus comitiis, iisque eligendi magistri ordinis causa Bononiae, ss. d. n. Benedicti pp. XIV. nutu et auspiciis hoc anno celebratis, coniunctis graviorum patrum studiis et animis sapienter ac provide rebus nostris consuleretur, id, Deo benedicente, pro votis datum concessumque gratulamur. Quanquam enim assumptione nostra ad supremum eiusdem ordinis gradum minus certe quam sperari poterat atque expectari, publicae ipsius felicitati prospectum sit, quidquid tamen suffragantium praeiudicio infirmitatem nostram supra meritum ac supra votum aestimantium erratum fuerit, latis sanctissimis legibus pensatum ubertim emendatumque videmus. In iis quippe statuendis vel renovandis nihil praetermissum a patribus, quod ad mores componendos, pietatem religionemque fovendam, literarum stu-

dia excitanda vel dirigenda, disciplinam firmandam, abusiones convellendas, regularem observationem propagandam necessarium iudicari poterat vel opportunum, ut si quando alias, his certe in comitiis non ordinis solum incolumitati et custodiae, sed etiam incremento ac splendori provisum sit. Novis sanctionibus veteres cumulare supervacaneum visum est, ne multitudine remediorum laborare potius quam mali periculo videremur, sed quae salubriter atque opportune aliis in comitiis edicta fuerant, ne veluti obsoleta praescriptione quadam exciderent, instaurata sunt confirmationis robore diutius permansura. Saepe enim, quae est humani ingenii inconstantia prolapsaeque naturae imbecillitas, optimarum institutionum subrepit oblivio, qua primum negliguntur, mox prava obstetricante consuetudine disciplina remittitur, morum corruptela inolescit, sicque in deterius prolabuntur, quae sunt optimis constituta principiis. Cui malo avertendo placuit patribus vetera ac pervulgata rursus ingerere, quo prisci mores reducerentur, antiqua studia reflorescerent, primaevae formae ac nitori disciplina redderetur. Iis autem sic restitutis adiectae sunt poenae in transgressores nonnullae, ut, qui virtutis et obsequelae studio minus aguntur, iustae saltem animadversionis metu in officio contineantur. Optandum equidem foret, religiosos viros filiali ingenio, non servili formidine ad obsequendum impelli, sed quando id a singulis sperare ac consequi ab omni humanae gubernationis regula alienum est, incitamenta quaedam desidiosis ac renitentibus addenda sunt, quibus ad decurrendam mandatorum viam pressius urgeantur.

Una superest legum omnium praecipua lex disciplinae altrix et custos, absoluta ac plena earumdem executio, ac nostra quidem quod interest, eam urgere semper, ac pro viribus promovere naviter satagemus. Impositae nobis sarcinae atque illius, quam sustinemus, personae memores, in assignata statione iugiter excubantes, circumspiciemus familiam nostram atque, ut primum licebit, universam lustrabimus; quid ubicumque agatur, qua fide, diligentia, constantia sanctissimae leges impleantur, sollicite vestigantes, adhibita etiam in praevaricatores severiore disciplina, a spiritu quidem lenitatis nostrae aliena, sed ordinis custodiae et firmamento in primis necessaria. Quidquid demum in nobis est virium, auctoritatis, operae, diligentiae et consilii in id conferemus, ut sarta tecta serventur instituta maiorum, nusquam laxentur mores, tepescant studia, disciplina collabatur, rebus denique nostris detrimentum nullum irrogetur.

Verum fulciantur oportet aliorum ope ac subsidio conatus nostri, atque eorum in primis zelo, industria ac vigilantia, qui in sollicitudinum nostrarum partes vocati, provinciis praesunt atque coenobiis. Postulat ab iis officii ratio, ut haec comitiorum acta et quaecumque in iis constituta sunt, non evulgari solum, sed perfici curent, ne semel denuntiata, semel

audiisse sufficiat. Ea itaque in oculis, ea in manibus gerant, et si terminos a patribus positos quispiam transilire praesumpserit, opponant se tanquam murum pro domo Israel, virili pectore transgressoribus obsistentes. Pravas consuetudines elidant in semine, ne iis pullulantibus inordinatum quidpiam succrescat in disciplinae perniciem. Ipsi vero caeteris exemplo praeeant, et quam aliis indigitant, priores viam ingrediantur ac subeant. Brevis enim ad maximarum rerum executionem est semita, quam vestigiis suis impressam ac tritam aliis superiores ostendunt.

Vos demum, patres ac fratres in Christo Iesu dilecti, « rogamus et obsecramus, ut quemadmodum accepistis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis » (1). « Implete universa, quae scripta sunt legis huius, quia non incassum praecepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent » (2). « Videte vocationem vestram » (3), recogitate, cuius capitis sitis membra, cuius parentis filii, cuius familiae alumni, quo sacramento eidem obstricti. « Aemularores estote legis, mementote operum patrum, quae fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam » (4). Partam a maioribus nostris amplissimam sanctitatis et doctrinae laudem relictamque ab illis haereditatem non tueri solum, sed amplificare contendite. Innovatos dies nostros sicut a principio ac primaevum ordinis decus facile restitutum videbimus, si eorum intuentes conversationem et exitum, aemulemur virtutum charismata. Itaque « non efficiamini segnes, sed imitatores eorum, qui fide et patientia haereditaverunt promissiones » (5). « Propter quod remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, sed magis sanetur » (6). In disciplina perseverate, quae « in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiae » (7). Interea dum vehementer optamus et certe paramus « venire ad vos in gaudio per voluntatem Dei » (8), ut agnoscamus vultum pecoris nostri, adiuvate nos in orationibus vestris ad Deum, ut qui nos transtulit in sortem ministerii huius, et dat lasso virtutem et fortitudinem, imbecillitatem nostram superna ope confirmet, qua sin minus praeconceptae de nobis expectationi et suscepti muneris amplitudini pares, saltem haud segnes nec inutiles

(1) I. Thes. IV, 1.
(2) Deut. XXXII, 46 sq.
(3) I. Cor. 26.
(4) I. Machab. II, 50 sqq.
(5) Heb. VI, 12.
(6) l. c. XII, 12.
(7) l. c. XII, 11.
(8) Rom. XV, 32.

inveniamur. « Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, et gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis » (1). Amen. Valete.

Acta capituli generalis provincialium et diffinitorum Bononiae celebrati in conventu s. p. n. Dominici ad festum s. Pentecostes a die 1. iunii 1748 sub rmo patre fr. Antonino Bremond, sac. theol. professore, ordinis praedicatorum generali magistro, ea die in praedicto capitulo electo.

In nomine ss. et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti necnon b. Mariae semper virginis et beati Dominici p. n. atque omnium sanctorum.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus breve ss. d. n. Benedicti pp. XIV., quo rmum p. m. fr. Vincentium Mariam Ferretti, vicarium et procuratorem generalem ordinis, suo et apostolicae sedis nomine constituit et facit praesidem capituli generalis Bononiae celebrandi. Breve huiusce tenoris est:

Dilecto filio Vincentio Mariae Ferretti, ordinis fratrum praedicatorum vicario et procuratori generali, in sacra theologia magistro.

Benedictus pp. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, capitulum generale tui ordinis fratrum praedicatorum propediem, benedicente Domino, in conventu s. Dominici civitatis nostrae Bononiensis celebrandum sit, nos cupientes, ut capitulum huiusmodi recte et feliciter ad Dei laudem et dicti ordinis, quem nos, paterno semper prosequemur affectu, utilitatem celebretur, te, de cuius pietate, prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in praefato capitulo generali nostro et apostolicae sedis nomine praesidentem, ultra facultates tibi in vim constitutionum ipsius ordinis auctoritate apostolica confirmatarum competentes, cum facultate etiam votum, sive suffragium in eodem capitulo habendi, licentiam accedendi ad supradictum capitulum iis religiosis, qui magni momenti negotia ibidem proponenda seu tractanda habebunt, concedendi ac illos, qui absque eiusmodi licentia ad memoratum capitulum se conferent, puniendi, delinquentes corrigendi eisque poenas irrogandi, ac pariter eos omnes, qui insolescere et praesertim vocalibus nomine secularis potestatis terrorem incutere auderent seu praesumerent, a conventu capitulari removendi, necnon quando in actibus capitularibus prop-

(1) Hebr. XIII, 20 sqq.

ter infirmitatem interesse non poteris, aliquem religiosum ordinis praedicti, tibi bene visum, in tui locum ad eiusmodi praesidentis munus obeundum cum auctoritate et facultatibus tibi per praesentes concessis substituendi, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, teque in Domino hortamur et monemus, ut capitulum huiusmodi feliciter regere ac in illo omnia, quae ad prosperum eiusdem ordinis regimen et gubernium pertinent, decerni, statui et ordinari cures et facias. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae vocalibus in praedicto capitulo congregatis aliisque, ad quos pertinet, ut te in eiusdem capituli, nostro et dictae sedis nomine, praesidentem reverenter suscipiant tibique ac per te substituendo religioso huiusmodi in omnibus ad praesidentis praefati officium pertinentibus pareant, obediant et assistant, tuaeque et eiusdem religiosi a te substituendi salubria monita et iussa humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 4. martii 1748, pontificatus nostri anno primo.

D. card. Passioneus.

2. Denuntiamus breve eiusdem ss. d. n. Benedicti pp. XIV. hortatorium ad omnes capitulares cum circa electionem magistri ordinis tum circa res ordinis restaurandas et promovendas. Breve huius tenoris est:

Dilectis filiis, fratribus ordinis praedicatorum, ad capitulum generale Bononiam convocatis.

Benedictus pp. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Maxima omnium ordinis vestri in catholica ecclesia commendatissimi rationum momenta, quae vos ex cunctis universi fere orbis provinciis ad generalia comitia acciverunt, etsi vobis satis incitamento futura non dubitamus, ut concordibus animis unum Deum prae oculis habentes, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae, omnium dignissimum laudatissimo ordini magistrum generalem praeficiatis; intelligentes tamen, non unius dominicanae familiae gravissimum negotium agi, sed inde et publica christianae plebi

commoda et non exigua orthodoxae religioni incrementa atque iucunda apostolicae huic sanctae sedi solatia perventura esse, facere non possumus, quin comitiorum vestrorum studia paternis etiam monitis excitemus. Ad communis autem utilitatis et apostolicae sollicitudinis stimulos, ut vos moneamus et in Domino magis magisque exhortemur, accedit singularis nostra erga inclytum ordinem vestrum benevolentia, quam a teneris annis haustam amplius excolere studuimus, atque in sublimi hac sacrosancti apostolatus cathedra per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes constituti, mirum in modum in dies augeri experimur. Bononiae enim nati sumus, ubi sacrosancti Dominici fundatoris vestri pignora requiescunt, cuius praesidium saepissime implorantes, praesentissimum sensimus. Ad hanc autem civitatem pro generali eiusdem ordinis vestri magistro eligendo convenistis. Porro vobis, dilecti filii, persuasum esse cupimus, nobis, si comitiis vestris praeesse potuissemus, iucundissimum fuisse, ut amori nostro facientes satis, vestris curis opportunam apostolicae quoque caritatis et auctoritatis opem conferremus. Verum corpore quidem absentes, sed spiritu praesentes, nolumus supremas apostolici nostri ministerii et benignitatis partes a vobis desiderari. Itaque rogamus vos ac etiam vobis praecipimus, ut, posthabitis quibuscumque humanis officiis et studiis, ad maiorem divini honoris cultum promovendum et ad florentem regularis disciplinae observantiam provehendam intendentes, eum ordinis vestri magistrum generalem eligatis, qui consilio, gravitate, prudentia, doctrina atque emeritis religiosae vitae stipendiis praecellens, omnes ferventi accurataque observatione accendat, caritate foveat, auctoritate moderetur atque tueatur; qui demum, ut paucis omnia complectamur, luculentissimis eiusdem sancti fundatoris maiorumque vestrorum vestigiis insistens, eorumdem insignes virtutes et sanctissima exempla repraesentet. Quoniam autem ordinem vestrum iis regi scimus ac laetamur statutis et consuetudinibus sive ab initio sive per capitula generalia editis et confirmatis, quibus nihil amplius addi conveniat, in memoriam vobis revocamus, omnia in iisdem statutis et constitutionibus sanctissime praescripta et integerrime servata atque ea praesertim, quae felicis recordationis Benedictus pp. XIII. praedecessor noster, olim familiae vestrae alumnus, de nobis benemerentissimus per alias suas in simili forma brevis literas ad vos etiam capitulum generale huiusmodi istic celebraturos hac ipsa die 6. mensis aprilis anno 1725 datas renovavit, ut debitae perennique executioni mandari curetis. Praeterea ad illud diligenter advertendum providentiam vestram vehementer requirimus, ne ordinis provinciae, atque Italiae inprimis, fratrum graduatorum ex gratia, ut dicitur, sive magistrorum sive vocalium multitudine supra idoneum certumque numerum redundante graventur. Praeter enim et studiorum praeiudicia et

regularis observantiae detrimentum ipsis provinciis earumque conventibus propter provincialia capitula singulis bienniis habenda non mediocre affertur dispendium. Caetera vero, si qua vobis et conditio temporum et rerum experientia atque ipsa instituti vestri ratio sive reparanda sive de novo statuenda sive provehenda suggesserint, alacri animo parique fortitudine suscipere et accurare ne omittatis, ut Iesu Christi caritate et religionis vestrae zelo eminente in tractatibus, consiliis suffragiisque vestris non solum a remuneratore Deo, iusto iudice, dignam reportare mercedem, sed a nobis etiam et bonis omnibus meritas laudes consequi valeatis. Nos interea vobis, dilecti filii, spiritum consilii divinaeque gratiae praesidium apprecantes, apostolicam itidem benedictionem studiosae nostrae ad vobis gratificandum voluntatis pignus peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 6. aprilis 1748, pontificatus nostri anno octavo.

Caietanus Amatus.

3. Denuntiamus consequenter ad praedicta, die 1. iunii volventis anni 1748, pervigilio Pentecostes, vacante universi ordinis magisterio ex obitu fel. rec. rm̄i p. fr. Thomae Ripoll, servatis omnibus ad canonicam magistri ordinis electionem pertinentibus, incredibili omnium exultatione et consensione electum fuisse in rm̄um ordinis magistrum p. fr. Antoninum Bremond, Massiliensem, regii San-Maximinensis coenobii alumnum clarissimum, collegii Casanatensis theologum et provincialem Daciae, qui denati ac praelaudati rm̄i p. fr. Thomae Ripoll ad plures annos pro Galliarum provinciis socius, prudentia, doctrina, pietate in consiliis, in scriptis suis et religiosis moribus, nedum universo ordini, sed Urbi et orbi probatissimus id praestitit ac promeruit, ut effusa omnium gratulatione eius assumptio exciperetur.

Eam sibi ab electo per epistolam humiliter nuntiatam ss. d. n. Benedictus pp. XIV. pro sua in ipsum veteri atque eximia voluntate prosequutus est literis amantissimis in forma brevis, quarum exemplar latine redditum exhibemus:

Dilecto filio fr. Antonino Bremond, generali magistro ordinis praedicatorum.

Benedictus pp. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Se ella rifletterà all' affetto, che noi sempre le abbiamo portato, da che ella venne in Italia, ed alla stima, che abbiamo sempre avuta della sua

Si amorem repute, quo ex tuo in Italiam adventu te semper complexi sumus, et praeclaram, quam tuae probitatis, doctrinae et religio-

probità, del suo sapere e della sua religiosità, potrà facilmente comprendere con quanta consolazione abbiamo ricevuto la sua lettera del primo di questo mese, in cui ci dà parte d' essere stata eletta generale del suo ordine domenicano. Ce ne rallegriamo coll' ordine stesso, che avrà per suo capo per molti anni un generale di tanto merito, ed ancora ci rallegriamo col buon maestro Ferretti, che pieno d' onore e di zelo ha saputo far comparire queste sue degne qualità nella seguita elezione. Potrà ella a tutta prova far capitale della nostra persona in tutto ciò, che appartiene a qualsivoglia vantaggio del suo ordine domenicano. Ci conservi la sua antica amicizia, ed abbracciandola con pienezza di cuore diamo a lei, ai suoi elettori ed a tutti gli altri suoi correligiosi l' apostolica benedizione.

sae conversationis semper tulimus existimationem, facile intelliges, quo laetitiae sensu epistolam tuam kalendis huius mensis datam exceperimus, qua dominicani ordinis generalem magistrum te renuntiatum significasti. Eidem ordini gratulamur in primis, cui diu ab tam digno capite gubernari continget, tum optimo gratulamur p. Ferretti, qui praeclaras zeli et honestatis suae dotes in ea electione luculenter ostendit. Ad quaecumque ordinis tui commoda facile nos paratos experimento cognosces. Fac serves veterem tuam erga nos amicitiam, teque amantissime complectentes, tibi, electoribus tuis caeterisque religiosis apostolicam benedictionem impertimur.

Datum ex arce Castri Gandulphi die 5. iunii 1748, pontificatus nostri anno octavo.

4. Denuntiamus literas apostolicas ss. d. n. Benedicti pp. XIII., quibus anno Domini 1726:

Die 24. ianuarii. Ad perpetuam rei memoriam. Indulgentiam plenariam concedit omnibus christifidelibus rite confessis et sacramento eucharistiae refectis, ecclesias ordinis visitantibus die 9. novembris in festo omnium sanctorum ordinis nostri. Extant in bullario ordinis tomo 6. pag. 577.

Die 8. februarii. Ea, quae de fratribus congregationis s. Sabinae redeuntibus in provinciam Lombardiae iam pridem statuta fuerunt, extendit ad caeteras congregationes Italiae. Ibidem pag. 578.

Die 7. martii. De religiosis episcopali munere insignitis quaedam decernens, declarat s. Thomam Aquinatem ob sanctioris doctrinae excellentiam Angelici elogio cognominatum. Ibidem pag. 581.

Die 11. aprilis. Indulget et concedit lectiones secundi nocturni proprias et orationem b. Columbae Reatinae recitari. Ibidem pag. 585.

Die 13. aprilis. Concedit indulgentiam 100 dierum pro qualibet oratione dominica et salutatione angelica recitantibus saltem tertiam rosarii partem, et recitantibus quotidie per integrum annum, semel in anno, die ab unoquoque eligenda, concedit indulgentiam plenariam, etiam cum facultate applicandi defunctis, dummodo rosarium fuerit benedictum a fratribus ordinis. Ibidem pag. 586.

Die 19. iunii. Approbat cultum b. Dalmatii Monerii ordinis praedicatorum. Ibidem pag. 597.

Die 18. iulii. Suo rescripto confirmat, quae concesserat sub die 10. aprilis anni 1725, circa solemnes supplicationes ss. rosarii faciendas intra limites parochiarum, nulla petita licentia parochi, sive ubi consuetudo antea adesset sive non. Ibidem pag. 598.

Die 4. augusti. Indulget et concedit, ut lectiones secundi nocturni cum oratione propria in officio b. Dalmatii Monerii recitari possint et debeant. Ibidem pag. 599.

Die 28. augusti. Congregationem s. Sabinae unitam testatur provinciae Lombardiae. Ibidem pag. 601.

Aliter tamen infra dispositum fuit.

Die 10. decembris. S. Agnetem de Monte Politiano caelitibus annumerat. Ibidem pag. 602.

Anno Domini 1727, die 13. februarii. Concedit officium s. Agnetis de Monte Politiano sub ritu totius duplicis cum octava simplici celebrandum. Ibidem pag. 610.

Die 4. aprilis. Indulgentiam plenariam concedit pro eodem festo s. Agnetis de Monte Politiano. Ibidem pag. 611.

Die 7. iunii. Indulget et concedit officium s. Philippi Nerii sub ritu totius duplicis recitari. Ibidem pag. 635.

Die 18. iunii. Officium impressionis stigmatum in corpore s. Catharinae Senensis sub ritu duplici cum missa et officio, ut in die festo ipsius, et lectionibus secundi nocturni propriis celebrandum concedit. Ibidem pag. 645.

Die 20. iunii. Concedit celebrationem officii sanctorum Gabrielis et Raphaelis archangelorum, tum etiam officium proprium s. Ioseph patriarchae. Ibidem pag. 645.

Die 21. augusti. Mandat antiquas lectiones festi commemorationis s. p. Dominici in Suriano recitari iuxta modum, quo iam pridem recitabantur. Ibidem pag. 648.

Eadem die quaedam decernit de consultoribus s. congregationis Indicis. Ibidem pag. 648.

Anno Domini 1729, die 5. februarii. Concedit officium et missam de communi virginum sub ritu duplici in honorem b. Luciae Narniensis recitari. Ibidem pag. 687.

Die 10. februarii. Concedit officia s. Scholasticae, dedicationis basilicae ss. Salvatoris, s. Theclae virg. et mart. sub ritu duplici cum oratione et lectionibus secundi nocturni propriis recitari. Ibidem pag. 687.

5. Denuntiamus Clementis XII. literas apostolicas, quibus:

Anno Domini 1732, die 1. octobris, servam Dei Catharinam de Ricciis, monialem expresse professam ordinis s. p. Dominici, beatorum numero asserit. Ibidem pag. 729.

Anno Domini 1733, die 10. aprilis. Declarat, quomodo constitutio « Romanus Pontifex » sit intelligenda, qua bulla « Pretiosus » data die 26. maii 1727 in bullario tomo 6. pag. 615, reducitur ad ius commune. Ibidem pag. 733.

Die 28. augusti. Laudat doctrinam d. Thomae et doctoratus lauream conferendi ordini nostro privilegium tribuit. Bulla quae legitur ibidem pag. 736.

Die 2. octobris. De laudibus doctrinae d. Thomae. Ibidem pag. 738.

Anno Domini 1734, die 15. maii. Statuit de vicario generali congregationum s. Sabinae et s. Marci praeficiendo. Ibidem pag. 740.

Anno Domini 1736, die 24. aprilis. Approbat cultum b. Benedicti XI. In bullario tomo 7, pag. 396.

Die 10. septembris. Decernit, ut magister ordinis constituat vicarium generalem congregationis Sanitatis sine praesentatione ab eadem congregatione facienda. Ibidem pag. 399.

Anno Domini 1738, die 5. decembris. Concedit officium et missam in honorem b. Benedicti XI. celebrari. In bullario tomo 8, pag. 506.

Anno Domini 1740, die 23. ianuarii. Decernit imagines b. Luciae Narniensis cum stigmatibus cruentis, patentibus et visibilibus in manibus et pedibus et latere depingendas. Ibidem pag. 511.

6. Denuntiamus, anno 1740, die 14. decembris approbatum fuisse a sac. Rituum congregatione cultum immemorabilem b. Stephanae de Quinzanis, virginis ordinis nostri, eiusque decretum confirmatum fuit a ss. d. n. Benedicto XIV.

Item concessum fuit ab eadem sacra congregatione seu reintegratum officium et missa translationis corporis s. Petri Martyris pro die 4. iunii.

Anno 1741, die 22. septembris. Approbatus est cultus b. Alvari Cordubensis, ordinis nostri, decreto s. Rituum congregationis, confirmato a ss. d. n. Benedicto XIV.

Eodem anno, die 13. decembris. Ab eadem s. congregatione approbatus est cultus b. Petri Gonzales, vulgo s. Telmi nuncupati, accedente confirmatione ss. d. n. Benedicti XIV.

7. Denuntiamus Benedicti XIV. literas apostolicas, quibus anno

domini 1742, die 23. februarii, novis motus rationibus vicariis congregationum, diffinitori et electori ius suffragii ferendi in comitiis generalibus a felicis recordationis Clemente XII. concessum adimit. Huiusce tenoris sunt:

Benedictus pp. XIV. Ad perpetuam rei memoriam. De propensioribus apostolicae benignitatis auctoritatisque nostrae testimoniis inclytum fratrum praedicatorum ordinem, de catholica ecclesia semper et ubique benemerentissimum, in hac sublimi sacrosancti apostolatus specula, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, cohonestare optamus, quo gratioribus amoris et existimationis officiis, dum in minoribus essemus, prosequi studuimus. Ea propter nihil cupimus impensius, quam ut regularis disciplinae observantia, qua congregationes praesertim, quas observantes appellant, tam citra quam ultra montes huiusmodi florentissimi ordinis per plura saecula praeclarum sibi nomen fecerunt, in primaeva uniuscuiusque congregationis institutione persistat, et si per novas concessiones, indulta et privilegia a Romanis pontificibus, praedecessoribus nostris, quomodolibet impetrata aliquo pacto illa immutata fuerit, in pristinum statum reducatur, in quo congregationes huiusmodi, sicut antea permanentes, maiora semper religiosarum virtutum doctrinarumque accipiant incrementa. Praeterea considerantes nos formam modumque gubernii provincias inter et congregationes dicti ordinis, a principio constitutum, utrisque proprium ac praecipuum esse, non alia ratione id factum esse habemus, ut quaedam indulta ac privilegia, quae provinciis impertita fuerunt, congregationes ipsae ab initio sibi concedenda minime curaverint, ne scilicet iisdem prorsus gubernii forma modoque, quibus provinciae reguntur, ipsae quoque congregationes administrarentur. Quoniam autem inter caetera indulta apostolica et privilegia, sive omnibus sive singulis congregationibus huiusmodi concessa, illud potissimum a fel. rec. Clemente pp. XII., praedecessore nostro, per quasdam suas in simili forma brevis literas motu proprio die 28. mensis iulii anno 1733 expeditas, quarum tenore pro expresso et inserto haberi volumus, impertitum reperitur, nimirum ut omnes et singuli vicarii earumdem congregationum apostolica auctoritate erectarum vel erigendarum, dummodo sex saltem conventus formales habuissent, pro tempore existentes una cum duobus religiosis suae respectivae congregationis pro quolibet ex vicariis huiusmodi, uno nempe diffinitore et uno socio seu electore in earum respective congregationum diaetis eligendis, in quibuscumque capitulis generalibus eiusdem ordinis interesse et suffragium habere possent ac valerent. Quod sane indultum ac privilegium, et si aliquo pacto rationabile, tamen eam in ordinem praefatum invehere et afferre imposterum rerum bene constitutarum confusionem, graviores sapientioresque quamplurimi

ex fratribus dicti ordinis augurantur, quod inde congregationes huiusmodi fere ad instar provinciarum administrari contingeret, ac timendum esset, ne dissidia quoque in futurum oriantur. Hinc est, quod nos, qui opportuna atque salutaria hisce omnibus remedia, quantum cum Domino possumus, adhibere cupimus, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, indultum seu privilegium huiusmodi a Clemente praedecessore praefato, ut praemittitur, concessum nec ad hanc usque diem executioni mandatum, tenore earumdem praesentium, veluti non concessum haberi volumus ac revocamus, irritamus, cassamus et annullamus viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, perinde ac si dictae literae eiusdem Clementis praedecessoris, quibus motu, scientia, potestate ac tenore paribus derogamus ac derogatum esse declaramus, nunquam emanassent, atque ea omnia in praemissis, quae, antequam literae huiusmodi editae fuissent, servari quoad dictas congregationes in quibuscumque capitulis generalibus solebant, omnino servari volumus, statuimus, praecipimus et mandamus. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae aut praefatarum congregationum aliorumve quorumlibet, interesse in praemissis habentium seu habere quomodolibet praetendentium, consensus aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse, seu ipsas praesentes literas ab illis, ad quos spectat, in futurum inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus dictis eiusdem Clementis praedecessoris literis, ac nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac, quatenus opus sit, dictarum congregationum et ordinis praefati, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis

in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 23. februarii 1742, pontificatus nostri anno secundo.

D. card. Passioneus.

8. Die 5. aprilis fr. Andreae Mane, vicario generali congregationis ss. Nominis Iesu in insula Martinica, facultatem concedit claustrale monasterium erigendi sub invocatione ss. virginum Catharinae Senensis et Rosae Limanae. Huiusce tenoris sunt:

Dilecto filio Andreae Mane, vicario generali congregationis ss. Nominis Iesu, ordinis praedicatorum, s. theol. professori.

Benedictus pp. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio exigit, ut ad ea, per quae monasteria et alia regularia loca devoti foeminei sexus ad religionis et divini cultus augmentum animarumque salutem, ubi institui et propagari valeant, favorabiliter intendentes, pastoralis officii nostri partes desuper propensa benignitate interponamus, sicut personarum, locorum et temporum qualitatibus, mature perpensis, religioni et pietati atque omnipotentis Dei gloriae consentaneum in Domino fore arbitramur. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod tu, qui, ut asseris, congregationis ss. Nominis Iesu, ordinis praedicatorum, vicarius generalis et s. theol. professor, ac missionum apostolicarum eiusdem ordinis in Martinica aliisque adiacentibus insulis Americae Gallicae praefectus existis, in quibus nullus praesul episcopali charactere ac dignitate praefulgens reperitur, in loco « le Mouillage » eiusdem insulae Martinicae unum monialium tertiariarum monasterium eiusdem ordinis praedicatorum sub invocatione sanctarum virginum Catharinae Senensis et Rosae Limanae, ac sub clausura perpetua et tribus votis solemnibus, ad omnipotentis Dei gloriam ac piorum religiosorumque operum incrementum et spiritualem christifidelium aedificationem consolationemque sub tua et pro tempore existentis vicarii generalis congregationis praefatae omnimoda iurisdictione et subiectione erigere et instituere plurimum desideras, et ad praemissum effectum a piis christifidelibus illarum partium quaedam stabilia et mobilia, ac praesertim a dilecta in Christo filia cognominata Banchereau insigne terrenum assignata fuerunt reperiunturque. Nobis propterea humiliter suppli-

cari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis tuis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, vere existentibus narratis, super quo conscientiam tuam oneramus, ut postquam fabrica dicti monasterii cum ecclesia, campanili, choro, sacristia, dormitorio et aliis officinis, hortis ac spatiis omnibusque numeris absoluta, ac quacumque supellectili tum sacra tum profana sufficienter monasterium praedictum instructum fuerit, necnon bona stabilia libera et fructifera annui reditus saltem quadringentorum monetae istarum partium quotannis percipientis, re ipsa et cum effectu assignata fuerint, ad petitam erectionem novi monasterii monialium tertiariarum s. Dominici, sub regimine, gubernio, administratione et iurisdictione tua et pro tempore existentis eiusdem congregationis ss. Nominis Iesu vicarii generalis, tum in spiritualibus tum in temporalibus, auctoritate nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia devenias et procedas, ipsumque novum monasterium perpetuo, sine cuiuspiam praeiudicio, sub invocatione ss. virginum Catharinae Senensis et Rosae Limanae erigas et instituas, ac eidem novo monasterio sic erecto et instituto pro illius dote ac illius abbatissae seu priorissae, sive alterius nomine superiorissae, et monialium pro tempore existentium sustentatione onerumque illis incumbentium supportatione praefata bona stabilia, necnon omnia et singula alia per quasvis personas in perpetuum vel ad tempus, simul vel successive, pro augmento dotis monasterii huiusmodi, quandocumque et qualitercumque tam inter vivos quam causa mortis seu in ultima voluntate donata et assignata, ac elargienda, donanda, relinquenda, eroganda et assignanda bona, proprietates, pecuniarum summas, res et iura quaecumque, etiam ex nunc, prout ex tunc, postquam elargita, donata, relicta, erogata et assignata fuerint, ita ut liceat abbatissae seu priorissae seu alterius nominis superiorissae et monialibus praefatis illorum omnium et singulorum corporalem, realem et actualem possessionem, seu quasi possessionem, per se vel alium seu alios, eorum et dicti monasterii nominibus, propria auctoritate, apprehendere et apprehensam retinere, fructus quoque, reditus, proventus et emolumenta ex eis provenientia quaecumque ac eleemosynas, eis et monasterio huiusmodi pro tempore factas et elargitas recipere, locare, arrendare, administrare ac recuperare, et in suos usus communes et dicti

monasterii necessitates et utilitatem convertere, cuiusvis licentia minime requisita, perpetuo eadem auctoritate concedas, applices, appropries et assignes. Praeterea eidem novo monasterio illiusque abbatissae seu priorissae seu alterius nominis superiorissae ac monialibus et earum cuilibet aliisque personis et christifidelibus, ecclesiam monasterii huiusmodi pro tempore visitantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, praeeminentiis, concessionibus, indulgentiis, indultis, favoribus aliisque gratiis universis tam spiritualibus quam temporalibus, aliis monasteriis monialium dicti ordinis eorumque abbatissis, priorissis seu superiorissis, monialibus ac personis et christifidelibus, illorum ecclesias visitantibus, in genere vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis seu alias quomodolibet concessis, dummodo sint in usu, nec hactenus revocata, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, maxime concilii Tridentini decretis, regularibusque ordinis huiusmodi institutis non adversentur, ac in posterum concedendis, et quibus illa vel illae de iure, usu, consuetudine et privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quovis modo in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, et absque ulla prorsus differentia in omnibus et per omnia, perinde ac si illa novo monasterio huiusmodi illiusque abbatissae seu priorissae seu alterius nominis superiorissae, monialibus et personis praefatis specialiter et expresse ac nominatim concessa fuissent, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, dicta auctoritate concedas pariter et indulgeas. Ad haec abbatissae seu priorissae seu superiorissae, monialibus et conventui dicti novi monasterii quaecumque statuta, ordinationes, institutiones, capitula et decreta ad ipsius monasterii eiusque personarum, rerum, bonorum et iurium perpetuam directionem, gubernium et administrationem, ac monialium dicti novi monasterii receptionem, probationem, admissionem, aetatem, conditionem, usus et regularem disciplinam quomodolibet spectantia et pertinentia, alias tamen honesta et rationabilia, sacrisque canonibus et constitutionibus apostolicis dictique concilii Tridentini decretis, necnon regulae et constitutionibus memorati ordinis minime contraria, et a te seu pro tempore existente vicario praedicto earum superiori regulari examinanda et approbanda, faciendi et condendi et quoties rerum et temporum qualitate expediens videbitur, praevia simili approbatione corrigendi et moderandi et, quatenus opus fuerit, abrogandi, aliaque etiam ex integro condendi, facultatem auctoritate praefata impertiaris. Postremo tibi puellas ad habitum in dicto novo monasterio et subsequenter, servatis servandis, ad professionem regularem admittendi cum dote seu eleemosyna dotali, per te praefinienda, necnon transferendi ad

idem novum monasterium ex aliquibus conventibus Galliarum duas vel tres moniales instituti et regulae tertiariarum, seu primi ordinis seu instituti s. Dominici, earum tamen superiorum et ordinariorum locorum consensu accedente, quae prudentia et zelo valeant in huiusmodi novo monasterio usum et observantiam constitutionum praefatae regulae tertiariarum inducere et stabilire, ac sub eiusdem regulae tertiariarum observantia, etiamsi primi ordinis seu instituti fuerint s. Dominici, quoad vixerint, permanere et remanere possint, in quarum adventu nulla fiat ad extraneum locum diversio, sed recto, quantum fieri poterit, tramite ab earum monasterio ad novum hoc monasterium, honestis ac gravibus matronis, ac, si commode fieri possit, proximioribus consanguineis ipsarum monialium comitantibus, pergant, quamcumque necessariam et opportunam facultatem dicta auctoritate harum serie tribuimus et impertimur; ita tamen ut in reliquis ea omnia, quae in huiusmodi novorum monasteriorum erectionibus servanda sunt, serventur. Decernentes ipsas praesentes literas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, restrictionibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos pontifices sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu proprio, pro tempore faciendis, minime comprehendi vel comprehensos censeri, sed tamquam pro fundatione monasterii erigendi, ad religionis divinique cultus et bonorum piorumque operum augmentum concessas, semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per abbatissam seu superiorissam et moniales novi monasterii erigendi praefati quandocumque eligenda concessa intelligi, firmasque, validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus nostra et cancellariae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quatenus opus sit, dicti ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis etiam eidem ordini, illiusque superioribus, monasteriis, monialibus et personis quibuscumque, sub quibusvis

verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum etsi in memorata insula Martinica nullus praesul episcopali charactere et dignitate insignitus existat, volumus et mandamus, ut licentiam quoque ab antistite, cui insulam praedictam subesse dignoscetur, super praemissis omnibus petas et obtineas, ne ullum ipsius ordinarii loci iurisdictioni quoad praemissa praeiudicium inferatur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 5. aprilis 1742, pontificatus nostri anno secundo.

D. card. Passioneus.

Loco † sigilli.

Anno 1742, die 23. septembris. Approbatur a ss. d. n. Benedicto XIV. cultus b. Matthaei Carrerii, confessoris ordinis nostri, et conceditur eius officium et missa de communi confessoris non pontificis.

Eodem anno, die 22. septembris. Ab eadem S. S. approbantur et conceduntur pro toto ordine et dioecesibus Narniensi, Viterbiensi et Ferrariensi oratio et lectiones propriae pro secundo nocturno in honorem b. Luciae Narniensis, virginis ordinis nostri.

9. Anno Domini 1744, die 6. octobris. Inter caelites referenda decernitur b. Catharina de Ricciis. Decretum huiusce tenoris est:

Decretum. Florentin.

Canonizationis b. Catharinae de Ricciis professae in ven. monasterio s. Vincentii civitatis Prati ord. praedicatorum.

Relata in congregatione generali sacrorum Rituum habita die 24. martii currentis anni coram ss. d. n. Benedicto pp. XIV. per rmum d. cardinalem Lercarium causa canonizationis b. Catharinae de Ricciis super dubio, an et de quibus miraculis constet post indultam eidem beatae venerationem in casu et ad effectum, de quo agitur: cum ex omnibus,

quae tunc fuerunt proposita et examinata miracula, sanctitas sua duo approbaverit secuta post formalem dictae b. Catharinae beatificationem, uti colligitur ex decreto edito die 26. maii currentis anni, et postmodum die 22. nuper elapsi mensis septembris, coacta iterum generali congregatione sacrorum Rituum coram eodem ss. d. n. propositum fuerit per supradictum rmum d. card. Lercarium alterum, quod examinandum supererat dubium: An stante approbatione duorum miraculorum tuto deveniri possit ad solemnem ipsius b. Catharinae canonizationem, omnesque, qui in ea congregatione suffragium tulerunt, affirmativum dederint responsum, sanctitas sua resolutionem ea die differre voluit, ut tum suis tum aliorum precibus in tam gravi deliberatione lumen a patre luminum prius imploraret; quod cum abunde sequentibus diebus peregerit, novissime infrascripta die s. Brunoni Carthusianorum fundatori dicata, post celebratum in ecclesia s. Mariae Angelorum missae sacrificium, accitis coram se rev. p. Ludovico de Valentibus fidei promotore, meque infrascripto sacrae Rituum congregationis secretario, ut novum decus praedicatorum ordini adderet, praesens canonizationis memoratae b. Catharinae de Ricciis, quandocumque faciendae decretum expediri ac publicari mandavit. Hac die 6. octobris 1744.

S. card. Valenti.

Loco † sigilli.

T. patriarcha Hierosolymitanus secr.

Anno 1745, die 21. augusti. Ss. d. n. concedit universo ordini officium b. Gregorii pp. X. sub ritu duplici cum oratione et lectionibus propriis secundi nocturni, et approbat elogium b. Benedicti pp. XI., ordinis nostri, martyrologio Romano inserendum.

Anno 1746, die 29. iunii. Peracta solemni canonizatione s. Catharinae de Ricciis, virginis ordinis nostri, super eadem expediuntur a ss. d. n. Benedicto pp. XIV. literae decretales, et approbatur ac conceditur eius officium proprium cum octava simplici pro ordine universo.

10. Anno Domini 1747, die 1. septembris. Confirmat decretum s. congregationis Indulgentiarum de confraternitate ss. Rosarii hoc modo:

Constantien. Decretum.

Cum experientia compertum sit, nonnullas ss. Rosarii confraternitates auctoritate dumtaxat ordinaria, irrequisito magistro generali fratrum ordinis praedicatorum erigi, ac pro illis apostolicum breve cum indulgentiis cuicumque confraternitati canonice erectae sive erigendae generaliter concedi consuetis expediri, nonnulli extra Urbem ac praecipue quidam ecclesiastici viri et sanguinis nobililate et morum probitate insignes ex

dioecesi Constantien. recte dubitarunt, num huiusmodi confraternitates canonicae reputari valeant ac revera subsistant? Quare eorum nomine duo subinserta dubia a sacra congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita decidenda fuerunt exhibita. Primo: An, si inscio patre generali ordinis praedicatorum, per ordinarium erigatur confraternitas ss. Rosarii, confratres reipsa fruantur indulgentiis in brevi apostolico per eosdem obtento expressis? Et quatenus affirmative, secundo: An fruantur etiam aliis indulgentiis in dicto brevi apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis confratribus ss. Rosarii a diversis summis pontificibus concessas esse constat, ut in dominicis menstruis aut aliis diebus? Hisce autem dubiis sacra eadem congregatio die 19. augusti 1747, rationum momentis serio matureque perpensis, respondendum esse censuit: Ad utrumque negative. De quibus omnibus facta per me infrascriptum eiusdem sacrae congregationis secretarium die 26. praedicti mensis ss. d. n. Benedicto pp. XIV. relatione, sanctitas sua ipsummet votum, benigne approbando, confirmavit. Ne tamen huiusmodi confraternitatum, inconsulto eodem magistro generali erectarum, fervor tepescat, sed magis magisque illarum confratrum et consororum devotio potius augeatur, omnes et singulas uniuscuiusque confraternitatis ss. Rosarii erectiones in praefata Constantiensi dioecesi, inscio magistro ordinis praedicatorum pro tempore existente generali, hactenus factas, motu proprio ac de plenitudine suae apostolicae potestatis sanavit ac validas esse declaravit; immo praedictae dioecesis Constantien. populum specialibus favoribus prosequi volens, etiam moderno eiusdem ordinis praedicatorum magistro generali humillime supplicante, iisdem confraternitatibus sic erectis, praeter indulgentias in respectivo earum obtento brevi expressas, etiam omnes et singulas alias confraternitatibus ss. Rosarii ad formam constitutionis s. Pii V. die 25. iunii 1569 incipientis « Inter desiderabilia » canonice erectis ab apostolica sede quomodocumque concessas clementer indulsit. Inposterum tamen, ut quodcumque dubium et quaevis abusus aut molestiae vel perturbationis occasio prorsus removeatur, idem ss. d. n. de apostolicae pariter plenitudine potestatis voluit et expresse mandavit, quod non aliter confraternitates seu societates ss. Rosarii erigantur, nisi requisitis prius et obtentis, iuxta formam a s. Pio V. in praeallegato brevi praescriptam, a magistro laudati ordinis praedicatorum pro tempore existente generali literis facultativis, ut alias a sacra Rituum congregatione die 9. aprilis 1661 resolutum fuit, et ab auditore generali sacrae apostolicae camerae in consimili causa anno 1663 per sententiam definitum. Saepedictus vero magister generalis pro huiusmodi confraternitatum erectione consuetas literas sacerdotibus sui ordinis, vel ubi horum conventus non existat, aliis ecclesiasticis personis sive regularibus sive secularibus, etiam episcopo be-

nevisis expediet, ipsaeque literae nonnisi de consensu ordinarii, servatisque reliquis omnibus in huiusmodi erectionibus ex apostolicis constitutionibus servandis ac servari solitis, exequutioni mandentur.

Fr. T. card. Portocarrero.

Loco † sigilli.

A. M. Erba protonotarius apost. secr.

Ita ex regestis decretorum eiusdem sacrae congregationis etc. In quorum fidem etc. Datum Romae die 1. septembris 1747.

A. M. Erba protonotarius apost. secr.

A. M. Succi substitutus.

11. Anno Domini 1748, die 15. martii. Congregationem ss. Rosarii Americanae insulae s. Dominici divulsam a provincia Tolosana, decreto suo unit et incorporat provinciae s. Ludovici regis. Huiusce tenoris sunt:

Benedictus pp. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Jouin, modernus prior provincialis provinciae s. Ludovici regis in Gallia, ordinis fratrum praedicatorum, quod tunc in humanis agens Thomas Ripoll, dum vixit magister generalis dicti ordinis, per quasdam suas patentes literas die 3. iulii 1739 congregationem ss. Rosarii nuncupatam in Americana insula s. Dominici, vulgo de Saint Dominique, canonice institutam, Tolosanae provinciae eiusdem ordinis iam pridem unitam, ex eadem secundo dicta Tolosana provincia separavit et primo dictae provinciae s. Ludovici univit et incorporavit, prout in ipsius Thomae magistri generalis literis praedictis continetur, tenoris qui sequitur, videlicet: Nos frater Thomas Ripoll, sacrae theologiae professor ac totius ordinis fratrum praedicatorum humilis magister generalis et servus. Cum ad notitiam nostram pervenerit, quod, licet missio seu congregatio nostra ss. Rosarii in Americana insula, vulgo Saint Dominique, regis christianissimi ditioni subiecta, constituta, quae ab anno 1721 per decretum a decessore nostro bonae memoriae emo cardinale Pipia, tunc generali magistro, datum eodem anno, Tolosanae nostrae provinciae unita fuit, ad hanc diem, benedicente Domino, floruerit, e re tamen earumdem congregationis et provinciae foret, si praedicta congregatio ss. Rosarii ex praelaudata provincia Tolosana ad s. Ludovici regis provinciam, quae, sicut Tolosana, pietate, doctrina, regulari observantia et zelo salutis animarum praestare dignoscitur, transferretur, sub beneplacito regis christianissimi, cui hanc translationem gra-

tam futuram nobis relatum fuit, visis hac de re literis rev. adm. p. fr. Lagrange, s. theol. professoris, moderni provincialis praelaudatae provinciae Tolosanae, quibus certiores nos facit de consensu eiusdem Tolosanae provinciae ad hanc translationem, visis etiam literis rev. adm. p. fr. Nicolai Jouin, s. theol. professoris, ac moderni provincialis praefatae provinciae s. Ludovici regis ad eandem translationem, tenore praesentium nostrique auctoritate officii praefatam missionem seu congregationem ss. Rosarii e provincia Tolosana ad provinciam s. Ludovici regis transferentes, eamdem unimus et incorporamus in perpetuum praefatae provinciae s. Ludovici regis, eodem pari modo, quo ab anno 1721 ad hanc diem provinciae Tolosanae unita fuerat, damusque praedictae provinciae s. Ludovici regis immediatam auctoritatem in spiritualibus et temporalibus super dictam congregationem ss. Rosarii, sub conditionibus tamen infrapositis, videlicet: Primo, ut vicarius dictae congregationis de quadriennio in quadriennium eligatur in diffinitorio capituli provincialis provinciae s. Ludovici; quae electio simul cum statutis pro bono missionis seu congregationis regimine faciendis reponatur in actis capituli provincialis roburque non habeat, nisi post confirmationem a nobis vel successoribus nostris, ut moris est, faciendam per literas speciales patentes. Impraesentiarum autem rev. adm. p. fr. Dominicus Monthieu, modernus vicarius generalis praedictae congregationis, alumnus licet Tolosanae nostrae provinciae, tempus sui vicariatus explere possit, si velit. Secundo, ut praedictae provinciae s. Ludovici regis provincialis habeat facultatem una cum consilio graviorum patrum mittendi visitatorem ad praefatam congregationem, quando ipsi videbitur expedire pro bono regimine vitaeque regularis incremento. Tertio, ut praedictus prior provincialis possit mittere missionarios nedum ex sua provincia s. Ludovici regis, sed etiam ex aliis Galliarum provinciis, excepta Tolosana ut infra, quos ad tale ministerium aptos repererit, ut ita nunquam contingere possit, quod, crescente messe, operarii pauci sint, habito tamen prius verbo cum provincialibus, ex quorum provinciis extrahentur. Excipimus autem Tolosanam provinciam, quod ipsi altera missio insularum Martinicae, Guadalupae, Granatensis etc. seu congregatio ss. Nominis Iesu commissa et unita iam pridem fuerit. Volumus igitur, quod nec provincialis eiusdem Tolosanae provinciae alumnos provinciae s. Ludovici regis, nec provincialis provinciae s. Ludovici regis alumnos Tolosanae provinciae ad suas respective missiones seu congregationes praedictas mittere possint. Quod vero spectat alumnos utriusque respective provinciae, qui in praedictis respective missionibus seu congregationibus nunc commorantur, nihil innovamus. Quarto, ut praedictae Tolosanae provinciae conventus Rupellensis, vulgo la Rochelle, iuris ipsius, ut iam pridem fuit, omnino sit, et uni insularum Martinicae et Guada-

lupae ac Granatensis missionis seu congregationis ss. Nominis Iesu inservire possit. Quamprimum vero fieri poterit, in praedicta provincia s. Ludovici regis alius designetur conventus, in quo expensis missionis seu congregationis praedictae ss. Rosarii erigatur seminarium, ut ibidem missionarii, priusquam mari se committant, per aliquot menses vocationem suam perpendant attentius, et ad opus humeris angelicis formidandum se praeparent. Quibus conditionibus sic adiectis praedictam missionem seu congregationem ss. Rosarii praefatae provinciae s. Ludovici regis unitam et incorporatam per praesentes dicimus et declaramus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Non obstantibus quibuscunque in contrarium. Datum Romae in conventu nostro s. Mariae super Minervam die 3. iulii 1739. Frater Thomas Ripoll, magister ordinis. Registr. pagina 203. Fr. Antoninus Bremond, s. theol. mag., provincialis Daciae, theologus collegii Casanatensis et pro-socius. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Nicolaus prior provincialis praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret, nos ipsum Nicolaum priorem provincialem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas eiusdem Thomae magistri generalis patentes literas separationem, dismembrationem ac disiunctionem memoratae congregationis ss. Rosarii Americanae insulae a supradicta provincia Tolosana, ac incorporationem et unionem memoratae provinciae s. Ludovici eiusdem ordinis continentes cum omnibus et singulis in iisdem expressis, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes, ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis

statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 15. martii 1748, pontificatus nostri anno octavo.

D. card. Passioneus.

12. Die 9. maii. Approbat cultum b. Alberti a Bergomo, tertii ordinis praedicatorum.

Cremonen.

Canonizationis b. Alberti a Bergomo, tertii ordinis praedicatorum.

Proposita per em̃um et rm̃um d. cardinalem Guadagni ponentem ad instantiam r. p. Vincentii Maria Ferretti, vicarii et procuratoris generalis ordinis praedicatorum, in congregatione ordinaria sacrorum Rituum habita sub infrascripta die causa canonizationis b. Alberti a Bergomo, tertii ordinis praedicatorum, atque in ea discusso dubio: An sententia iudicum a rm̃o episcopo Cremonen. deputatorum lata super cultu ab immemorabili tempore praedicto beato exhibito, sive casu excepto a decretis s. mem. Urbani pp. VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum etc. Sacra eadem congregatio, audito r. p. d. Ludovico de Valentibus, fidei promotore, qui scripto et voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuit: Affirmative, si ss. d. n. visum fuerit. Die 4. maii 1748.

Factaque deinde per me secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 9. maii 1748.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

T. patriarcha Hierosolymitanus secr.

Eadem die. Approbat cultum b. Gillii seu Aegidii, ordinis praedicatorum sacerdotis professi.

Lisbonen. seu Visen.

Canonizationis b. Gilli seu Aegidii, sacerdotis professi ord. praedicatorum.

Enixe supplicante r. p. Vincentio Maria Ferretti, vicario et procuratore generali ordinis praedicatorum, per sacram Rituum congregationem decerni et declarari, constare praedicto b. Aegidio cultum exhibitum fuisse

et exhiberi ex indultis apostolicis, ideoque causam huiusmodi comprehendi inter casus exceptos a decretis iussu fel. rec. Urbani pp. VIII. in congregatione sanctissimae Inquisitionis editis super non cultu, istisque fuisse sufficienter satisfactum, eadem sacra congregatio, referente em̃o et rm̃o d. cardinali Portocarrero ponente, et audito r. p. d. Ludovico de Valentibus, fidei promotore, qui scripto et voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuit, constare de casu excepto vigore indulti apostolici, et ideo procedi posse ad ulteriora, si ss. d. n. placuerit. Hac die 4. maii 1748.

Et facta de praedictis eidem ss. d. n. relatione per me secretarium, sanctitas sua benigne annuit. Die 9. maii 1748.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

T. patriarcha Hierosolymitanus secr.

13. Die 10. aprilis. Breve ad omnes capitulares in capitulo generali Bononiae congregatos praeceptorium de recipiendis alumnis provinciae Naxivanae in Armenia deputatis ad studia in conventibus aliarum provinciarum ordinis et de eorum reditu peractis studiis. Huius tenoris est:

Dilectis filiis fratribus ordinis praedicatorum ad capitulum generale Bononiam convocatis.

Benedictus pp. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Non est, dilecti filii, ut vobis iterum replicemus, quanta pontificii animi nostri benignitate inclytum ordinem vestrum prosequamur, cum per alias nostras in simili forma brevis literas die 6. currentis mensis aprilis pluribus testatum vobis fecerimus. Verum serio considerantes, quod catholica fides per industriam alumnorum eiusdem ordinis in provincia Naxivana Armeniae maioris confirmata et per quadricentos et amplius annos tot laboribus, atque etiam effuso sanguine conservata et aucta, ab tot elapsis annis in Persia excitatas et tamdiu protractas seditiones, rerumque publicarum perturbationes prope ad interitum properaverit, apostolicae nostrae sollicitudinis et paternae caritatis studia ad vos deferimus. Ac primum quidem vos in Domino hortamur, ut inter caeteras curas, quas ad gravissimum electionis magistri generalis negotium conferre debetis, hanc quoque maximam minime posthabeatis, sed fideli salutarique consilio atque omni ope adnitamini, quo pristinus ordini vestro inibi comparatus splendor magis magisque deinceps augescat, et per eiusdem ordinis alumnos catholica fides in eadem provincia veluti reviviscens, novis etiam incrementis ad maiorem divini honoris cultum religionisque vestrae decus et

aeternam christifidelium salutem cumuletur. Deinde vero nos, ut, quoad nobis integrum est, nulla pontificiae providentiae nostrae hac in parte officia desint, auctoritate apostolica tenore praesentium non solum confirmamus et apostolicae firmitatis robore munimus, sed in virtute etiam sanctae obedientiae vobis praecipimus et mandamus, ut debitae executioni demandentur omnia et singula, quae pro perenni stabilique memoratae provinciae Naxivanae conservatione et augmento in aliis generalibus saepedicti ordinis vestri capitulis, ac praesertim in comitiis generalibus habitis anno 1644, cum electus fuit magister generalis fr. Thomas Turco, et anno 1694 provide statuta et sancita fuerunt ab electo magistro generali fr. Antonino Cloche, tenoris sequentis: Quia in dicta provincia adolescentes habitum religionis suscepturi prius per aliquot annos in nostris conventibus aluntur, instruuntur et diuturnis ac nocturnis precibus una cum aliis fratribus adesse solent, statuimus primo, ut magis apti et idonei eligantur, et habitu ordinis induti aptiores in Italiam transmittantur, ut philosophicum ac theologicum cursum absolvere possint. Quibus magister ordinis in provinciis Italiae aut in aliis ad studia peragenda de conventu per assignationem providebit, iniungentes rr. pp. provincialibus omnium provinciarum ordinis et vicariis congregationum ac conventuum superioribus, ad quos mittentur, ut eos in spiritu caritatis fraternae suscipiant et ipsis vestiarium, sicut caeteris religiosis assignatis subministrent. Ordinamus, ut studiis absolutis ad propriam provinciam reverti debeant neque possint vel in Italia vel extra in alienis provinciis deputari, assignari vel affiliari; unde omnes affiliationes dictorum fratrum Armenorum factas vel faciendas in alienis provinciis irritamus et irritas esse declaramus. Haec autem a nobis ita, ut praemittitur, confirmata et apostolici muniminis praesidio roborata amplius pro votis nostris vos reipsa servaturos a filiali vestra erga nos et apostolicam hanc sanctam sedem observantia et obedientia nobis pollicentes, caelestis praesidii auspicem et paternae voluntatis pignus vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 10. aprilis 1748, pontificatus nostri anno octavo.

Caietanus Amatus.

Denuntiamus, per speciale rescriptum die 27. ianuarii 1748 a ss. d. n. Benedicto XIV. concessa fuisse ordini nostro officia sub ritu duplici de communi confessorum cum oratione et lectionibus secundi nocturni propriis recitanda ad diem 19. iulii s. Vincentii a Paulo, congregationis Missionis fundatoris; ad diem vero 23. eiusdem mensis s. Camilli de Lellis, clericorum regularium infirmis ministrantium institutoris; atque ad diem

24. novembris s. Ioannis a Cruce primi post s. Theresiam Carmelitanorum excalceatorum ordinis professoris ac parentis.

Hactenus quae ex summis pontificibus erant denuntianda. Si quae vero a sancta sede obtenta neque hic posita superessent, digna quae universae religioni innotescant, si rmo p. generali placeat, suo loco inserentur, prout alias factum est tum in editione actorum capituli generalis Romani anno 1670, tum capituli generalis Bononiensis anno 1725. Itaque

14. Denuntiamus, ss. pontificem Benedictum XIV., qua est beneficentissima in nos voluntate, benigne indulsisse, ut in ordine universo ad diem 13. maii b. Alberti, ad diem vero 14. eiusdem mensis b. Aegidii officium et missa de communi unius confessoris non pontificis cum oratione propria sub ritu duplici recitetur. Decreta huiusce tenoris sunt:

Decretum. Lisbonen. seu Visen.

Concessionis officii et missae de communi confessoris non pontificis cum oratione propria in honorem beati Aegidii, sacerdotis professi ordinis praedicatorum.

Cum sacra Rituum congregatio sub die 4. maii proxime elapsi ad relationem emi et rmi d. cardinalis Portocarrero ponentis causae canonizationis b. Aegidii praedicti decreverit ac declaraverit, constare de casu excepto vigore indulti apostolici, ad humillimas modo preces rmi p. fr. Antonini Bremond, magistri generalis ordinis praedicatorum, ss. d. n. Benedicto pp. XIV. porrectas pro concessione officii et missae de communi confessoris non pontificis, in honorem praedicti beati sub ritu duplici, cum infrascripta oratione propria tam pro universo ordine praedicatorum quam pro civitate et dioecesi Visen. ac etiam pro civitate et dioecesi Lisbonen., ubi ortum habuit et eius corpus requiescit, sub eodem ritu, et sanctitas sua praedictum officium recitari missamque celebrari cum oratione propria dicti beati iuxta petita benigne concessit. Hac die 3. septembris 1748.

Oratio.

Misericordiam tuam Deus supplices imploramus, ut sicut, ea praeveniente, beatum Aegidium in viam iustitiae et sanctitatis redire fecisti, ita nos e servitute ac morte peccati in perfectam transferas libertatem et vitam. Per Dominum etc.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

T. patriarcha Hierosolymitanus secr.

Decretum. Cremonen.

Concessionis officii et missae de communi confessoris non pontificis cum oratione propria in honorem b. Alberti a Bergomo, tertii ordinis praedicatorum.

Cum discussa et approbata fuerit a sacra Rituum congregatione sub die 4. maii currentis anni ad relationem em̃i et rm̃i d. cardinalis Guadagni ponentis causae canonizationis b. Alberti a Bergomo praedicti sententia per rm̃um episcopum Cremonen. lata super cultu ab immemorabili tempore dicto beato praestito, sive super casu excepto a decretis sanctissimae inquisitionis iussu s. mem. Urbani pp. VIII. editis, rm̃us p. fr. Antoninus Bremond, magister generalis ordinis praedicatorum, ss. d. n. Benedicto pp. XIV. humillime supplicavit, quatenus in honorem ipsius beati officium et missam sub ritu duplici de communi confessoris non pontificis cum infrascripta oratione propria tam pro universo ordine praedicatorum quam pro civitate et dioecesi Bergomen., ubi ortum habuit, quam pro civitate et dioecesi Cremonen., ubi vitae cursum consummavit et eius corpus requiescit, sub eodem ritu benigne concedere dignaretur, et sanctitas sua oratoris instantiae iuxta petita benigne annuit. Hac die 3. septembris 1748.

Oratio.

Deus, qui in humili vitae genere beatum Albertum confessorem tuum eximia sanctitate clarescere voluisti, fac nos ita eius sectari vestigia, ut assequi mereamur et praemia. Per Dominum.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

T. patriarcha Hierosolymitanus secr.

15. Denuntiamus literas apostolicas in forma brevis, quibus summus pontifex Benedictus XIV., qua est clementia, privilegia ordini nostro ipsiusque generali magistro ad erectionem et institutionem antiquae et saluberrimae confraternitatis sub invocatione ss. nominis Iesu seu nominis Dei concessa sarta tecta servavit. Huiusce tenoris sunt:

Venerabilibus fratribus archiepiscopis episcopisque regni Hiberniae nunc et pro tempore existentibus.

Benedictus pp. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Alias nos ad supplicationem fraternitatum vestrarum, quo detestabile vitium iurandi et maledicendi e cordibus christifidelium regni Hiberniae, quod pluribus abhinc annis invaluerat, penitus eradicetur, per quasdam nostras in simili forma brevis die 30. augusti proxime praeteriti expe-

ditas literas vobis ac cuilibet vestrum facultatem impertiti fuimus, ut vos in propriis civitatibus et locis respective vestrarum dioecesum unam seu plures confraternitates vel sodalitates utriusque sexus christifidelium sub invocatione ss. nominis Iesu contra detestabilem iurandi et maledicendi consuetudinem nuncupandas dispositione constitutionis fel. rec. Clementis pp. VIII., praedecessoris nostri, die 7. decembris 1603 super distantiam ab una ad aliam confraternitatem eiusdem instituti requisitam editae minime servata, auctoritate nostra apostolica erigere et constituere valeretis, ac vestrum quilibet valeret, et confratribus confraternitatum sic erigendarum quasdam peculiares indulgentias concessimus, et alias, prout in dictis nostris literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Nuper vero dilectus filius Antoninus Bremond, magister generalis ordinis praedicatorum, nobis exponi fecit, quod antiqua et saluberrima confraternitas sub invocatione ss. nominis Iesu seu nominis Dei contra blasphemias, periuria et illicita iuramenta a fratribus dicti ordinis instituta et ab eis semper exculta et per universum terrarum orbem propagata fuit. Quapropter Romani pontifices, praedecessores nostri, confraternitatem praefatam variis gratiis, privilegiis et indulgentiis ditarunt, ac enixe hortati fuerunt patriarchas, archiepiscopos, episcopos et locorum ordinarios, ut ubi et quando opus fuisset, ac quoties pro confratrum dictae societatis parte requisiti fuissent, eidem confraternitati faverent et assisterent, eamque promovere curarent. Inter caetera eiusdem confraternitatis privilegia illud reperitur, quod s. mem. Pius pp. V., praedecessor itidem noster, per suas in pari forma brevis die 21. iunii 1571 literas expeditas, quarum initium est « Decet » etc. motu proprio, ac ex certa scientia decrevit ac statuit, ne deinceps nova societas seu confraternitas huiusmodi institueretur in civitatibus, oppidis et locis, in quibus non esset dicti ordinis domus aut in finitimis ecclesiis absque licentia prioris provincialis seu conventualis dicti ordinis, in cuius districtu sita esset ecclesia, in qua dicta confraternitas seu societas esset vel foret erigenda; quod si secus factum fuisset, confratres taliter admissi dictae confraternitatis seu societatis indulgentias non consequerentur nec favoribus et gratiis ac privilegiis gauderent, quae confratribus legitime adscriptis per sedem apostolicam concessa forent; perpetuo etiam statuit, ordinavit ac etiam districtius inhibuit, sicque voluit et praecepit; quas quidem literas subinde confirmavit rec. mem. Gregorius pp. XIII. per alias suas similes literas incipientes « Alias » 9. iulii 1580 expeditas, et subinde fel. rec. Paulus pp. V., praedecessor quoque noster, per alias suas die 31. octobris 1606 expeditas literas incipientes « Cum certas » magistro generali dicti ordinis, eoque absente illius vicario in alma Urbe nostra commoranti concessit, ut confraternitates praedictas extra dictam Urbem ubique

locorum erigere et instituere valeret, iisque omnes supradictas indulgentias et gratias spirituales, servata forma tradita in supradicta Clementis praedecessoris constitutione super dictarum confraternitatum aggregationibus et institutionibus edita, communicare similiter libere et licite posset; quam quidem facultatem rec. mem. Innocentius pp. XI., praedecessor pariter noster, per suas itidem literas incipientes « Cum dudum » die 18. aprilis 1678 editas confirmavit, et alias prout in dictorum praedecessorum literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Hinc est, quod nos, qui per memoratas nostras literas nullum praeiudicium privilegiis dicto ordini illiusque magistro generali, quos paternis complectimur affectibus, concessis afferre aut irrogari intendimus, exempla praedecessorum nostrorum praefatorum sectantes, auctoritate apostolica tenore praesentium vobis praecipimus et mandamus, ut vos in erectionibus et institutionibus confraternitatum sub invocatione ss. nominis Iesu contra detestabilem iurandi et maledicendi consuetudinem vigore dictarum nostrarum literarum faciendis operam prioris provincialis seu priorum domorum regularium dicti ordinis in regno praedicto existentium omnino adhibeatis, et si secus fieri contingat, confratres confraternitatum sic erigendarum indulgentias in eisdem nostris literis pro confratribus concessas minime lucrari posse decernimus et declaramus, perinde ac si nostrae dictae literae minime emanassent. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Volumus autem, quod praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu magistri generalis dicti ordinis subscriptis, illiusque sigillo munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 30. septembris 1748, pontificatus nostri anno nono.

D. card. Passioneus.

Loco † sigilli.

16. Denuntiamus, fratres nostros provinciae ss. Rosarii Philippinarum post instauratas in Nova Segovia quinque missiones aliamque erectam in provincia Pangasinan ad insulas, quas vocant de Batan, barbarorum coloniis frequentissimas appulisse sedemque in ea fixisse, quae Calayan appellatur, ubi rudem ac superstitiosam gentem christianae religionis mysteriis feliciter imbuendam suscepere, pluribus etiam apostatis ibidem latitantibus in ecclesiae sinum reductis.

Deo autem apostolicos eorum conatus in dies uberius benedicente ac fortunante, nova atque amplissima iisdem messis oblata est anno huius

saeculi trigesimo nono, plurimarum scilicet variarumque gentium, quibus in centro insulae Luzoniae inaccessorum montium asperitate circumseptis nullum evangelii lumen affulserat. Intentatus aliis patuit non sine divino numine missionariis nostris ad eas accessus per incredibiles viarum labores, per gravissima aestus et gelu, famis et sitis incommoda, per multa demum vitae pericula, quibus tres eorum unius anni spatio confecti ac desiderati sunt. Caeteri autem spe contra spem, zelo fidei agentes susceptae expeditionis fructum tulerunt, in barbaram illam incultamque regionem penetrantes, ubi nova instituta missio, cui titulus s. Crucis impositus, facili et expedito posteris patefacto itinere a provincia de Cagayan in provinciam Pangasinan commercio in primis utili atque animabus Christo lucrifaciendis aptissimo. Strenue hactenus et feliciter in ea vinea excolenda ab iisdem laboratum est. Nam brevissimo temporis spatio barbarae gentis idioma ita ab iis perceptum est, ut eius grammaticam, vocabularium et catechismum in missionum usum ediderint. Ipsam vero gentem exlegem atque efferatam praedicatoribus usque ad mortis minas ante obsistentem summa industria, lenitate ac patientia ad rationalis primum politicaeque vitae rationem institutam, mox fidei rudimentis imbutam, ad eam amplectendam ita allexerunt, ut descendentibus quotidie e vicinis montibus gentilium catervis evangelii praedicationem avidissime excepturis, iam plurimi eorum religionis catholicae iugo colla submiserint, spem certissimam facientes innumerabilem nationem per octoginta et amplius populos diffusam, divina gratia coeptum opus perficiente, in unum Christi gregem coalituram.

17. Denuntiamus, ss. d. n. Benedictum pp. XIV. die 16. septembris huius anni 1748 in consistorio secreto sacro cardinalium collegio disertissimis verbis nuntiasse pretiosam mortem illm̄i ac rm̄i d. fr. Petri Martyris Sans, ordinis nostri, episcopi Mauricastrensis, vicarii apostolici provinciae Fo-kiensis in Sinarum imperio, qui catholicae fidei causa capite damnatus martyrium feliciter consummavit. Sapientissimi pontificis adlocutionem iam encyclicis nostris literis vulgatam, rursus exhibemus, quo tantae rei memoria illustrior fiat atque perennior.

Allocutio ss. d. n. Benedicti pp. XIV. habita in consistorio secreto die 16. septembris 1748 de pretiosa morte Petri Martyris, ex ordine praedicatorum, episcopi Mauricastrensis, vicarii apostolici provinciae Fo-kiensis in regno Sinensi.

Venerabiles fratres.

Consentaneum magnopere arbitramur, si ex hoc loco vobis exponamus ea, quibus sancta catholica religio magna cum laude praedicatur. Itaque notum facimus vobis, accepisse ex literis, quae nuper ex Sinensi regno ad nos pervenerunt, episcopum Mauricastrensem, vicarium aposto-

licum provinciae Fo-kien, Petrum Martyrem nuncupatum, ex ordine praedicatorum, pro fidei christianae defensione vitam amisisse; qui propterea, si veteri ecclesiae vocabulo uti velimus, martyr consummatus appellari potest. Significatum est iisdem literis, alium eiusdem ordinis virum religiosum et eiusdem episcopi coadiutorem designatum una cum tribus aliis ex ipsa eadem familia sancti Dominici inclusum carceribus detineri, inustasque fronti singulorum Sinenses notas, quibus rei mortis indicantur; qui sane omnes, pro vetusta ecclesiae loquendi ratione, martyres designati vocari possunt.

« Ubi epistolam in manus sumpsi, eamque legi saepius, ac redundantem in ea gratiam spiritus perspexi, mihi viderer priscis temporibus versari, cum florerent ecclesiae Dei ». His verbis scripsit s. Basilius ad Ascolium episcopum Thessalonicensem (1), qui martyrium recensuerat, quod plures christiani a barbaris ultra Danubium degentibus constanti animo pertulerant; iisdem nos verbis utimur et rei, quam expositori sumus, libenter accommodamus. Porro res ita se habuit:

Cum gravissima in provincia Fo-kien contra christianos tempestas excitata fuisset, ob quam territi perculsique plurimi a catholica fide misere desciverunt, Mauricastrensis episcopus, qui vicarii apostolici munere illic fungebatur, latendum sibi censuit in privatis aedibus et a violento illo turbine paulisper declinandum. Sed imminentem sibi ruinam pertimescente hospitii domino, cum episcopum diutius tueri latebris domus suae recusaret, vix ipse in lucem prodiit, captus fuit et in carcerem detrusus, ex quo tamen christianam fidem verbis et exemplo, quoad potuit, praedicabat. Quinimo ante iudicem constitutus, ipsi libera voce denuntiavit, futurum aliud in fine mundi iudicium, ubi vitae anteactae rationes exigantur et pro meritorum conditione praemia vel supplicia decernantur aeterna. Quamobrem conviciis et iniuriis primum oneratus, deinde toto vultu ob iteratos colaphos contuso ac liventi, tandem capitis reus iniqui iudicis sententia declaratur. Illam episcopus aequo animo libenter excepit et sacramentis expiari magno studio postulavit. At, licet quidam sacerdos, qui summa fide et amore episcopum suum prosequebatur, nihil intentatum reliquerit, ut eucharistiae sacramentum ad ipsum deferret, vani tamen illius conatus irritique cesserunt. Postremo, cum dies illuxisset, qua capite plecti debebat episcopus, carcere eductus et magna satellitum turba stipatus ad supplicii locum processit, quem gentilium multitudo et non exiguus christianorum numerus sequebatur. Collo suspensam gerebat tabellam, cui mortis causa scripta erat, videlicet quod manu carnificis caput illi obtruncandum esset, ut huiusmodi supplicio reliquis exemplo esset,

---

(1) Epist. 164. edit. Paris. (MIGNE Pat. Graec. XXXII, 635).

eo quod suis mendaciis, uti ferebatur, plurimos decepisset. Incredibile est, quam eximiam virtutem animique magnitudinem prae se ferret, cum ad mortem subeundam duceretur. Curis omnibus abiectis, assiduas in itinere preces Deo fundebat, et, quo poterat maximo studio, se ipsum commendabat. Cum pervenisset in locum supplicii, iussus a carnifice, ut in genua provolveretur, dicto paruit et solum ab illo tantum temporis spatium exoravit, donec coeptas iam preces absolveret. Quibus peractis, carnificem ipsemet admonuit, ut rem suam perficeret; qui vibrato gladio caput ab humeris ipsi praecidit.

Gentiles ipsi virtutem tam singularem admirati sunt, cruentoque spectaculo se commotos ac perculsos magnopere ostenderunt; christiani vero mortem pastoris sui lacrymis ac moerore prosecuti sunt, ita tamen ut animum non desponderint, sed corpus decenter efferentes, eo quidem loco prius condiderint, quo rei homines sepeliri consueverunt; sed paulo post in coemeterium fidelium idem corpus deferentes suaeque dignitatis insignibus exornantes, decenti loco illud posuerunt. Cum id fieret, christiani pietate ac religione ducti, particulas aliquas, praesertim vestium, quae sanguine aspersae fuerant, sibi comparantes, in varias etiam partes miserunt, eo fortasse consilio ac voluntate, ut publicae venerationi exponantur. Cum huiusmodi martyrii fama longe lateque pervagaretur, Pechini episcopus pro gratiarum actione canticum « Te Deum » universis suae ditionis ecclesiis edixit. Eadem celebritas peracta fuit ab episcopo Amacaumensi, cui episcopus Ecrinensis, vicarius apostolicus provinciae Tunnamensis, gubernator Lusitanus cum senatu et multa regularium frequentia praesentes interfuerunt. Insuper tota civitas triduo sub vesperam, funalibus accensis, hilaritatem suam testata est.

Si haec ita se habeant, quemadmodum literis suis commendavit sacerdos saecularis, vir probus atque honestus, qui non solum omnia, quae superius commemoravimus, accurate ac diligenter descripsit, sed plura ipse oculis suis perspexit; qui etiam, uti iam dictum est, captivum episcopum et morti proximum eucharistia recreare conatus est, si, inquam, res ita se habeant, prout novis aliisque recenter acceptis monumentis confirmantur, martyrium et causa martyrii, cum tempus postulaverit, facili negotio ostendentur. Nam facile constabit, tyrannum adductum fuisse odio in catholicam religionem, ut episcopum reum mortis pronuntiaret. Argumento est tabella, quae pendebat ipsius collo, et mortis causam inscriptam praeferebat; argumento est sententia mortis a tyranno prolata, in qua episcopus obtruncandus carnifici traditur, eo quod hominum multitudinem perversa religione seduxerit; argumento pariter erunt infelices illi, qui a fide catholica deficientes, ab omni discrimine immunes evaserunt. Postremo accedit, quod furente tempestate illa persecutionis, et alias

quoque provincias pervadente, nempe Xensensem et Xansensem, quae Portimensi episcopo vicario apostolico subiiciuntur, illud compertum et exploratum nobis est, sacras christianorum aedes in illis locis dirutas et solo aequatas fuisse, ita ut ipse episcopus, si fieri possit, Amacaum confugere cogitaverit.

Porro episcopum pro catholicae fidei amore subiisse mortem et nihil omnino eorum ipsi defuisse, quae ad id probandum requiruntur, apertissime quoque demonstrabitur. Quippe in ea tabula, quam paulo ante indicavimus, nomine seductoris appellatur, eo quod plurimorum tenebras evangelii luce depulerit eosque ad christianam fidem converterit. Siquidem amantissimum redemptorem nostrum seductoris quoque nomine Iudaei nuncuparunt, quod ipse libenter tulit ac permisit, ut suo exemplo voluptatem ac laetitiam perciperent famuli sui, quos eodem titulo vocitandos prospiciebat. Insuper mortis sententiam episcopus libenter amplexus est; conatus omnes impendit, ut pie sancteque cursum suum consummaret; imminentem iam corporis sui dissolutionem, uti martyrem decebat, forti animo adspexit et usque ad finem in hac virtute perseveravit. Equidem initio furentis procellae lucem publicam devitans, se latentem continuit; verum, non timori vel animi imbecillitati, sed christianae prudentiae illud est tribuendum. Nam, praetermissis exemplis, quae plura a scriptoribus ecclesiasticis recensentur, cleri Romani iudicium huic rei maxime suffragatur; cum enim s. Cyprianus, Carthaginensis episcopus, ad illum literas dedisset, quibus nuntiabat ab ecclesia sua paulum se recessisse, dum tyrannorum persecutio in christianos furentissime debaccharetur, Romanus clerus magnopere probavit, quod se ab illo discrimine proripuisset, ut inde maiori cum utilitate animarum, quae ipsius curae traditae fuerant, cum propitium tempus id postularet, ad ecclesiam suam reverteretur.

Haec quidem omnia Mauricastrensem episcopum eiusque pretiosam mortem summopere commendant, si, ut antea diximus, veritati consentanea sint, quae scripta ad nos pervenerunt. Attamen alia multa requiruntur, ut idem episcopus inter eos martyres adscribatur, quos ecclesia martyres vindicatos appellare consuevit. Quapropter ex iisdem rei monumentis, quae accepimus, ea decernere et perscribere non omittemus, quae necessaria sunt, ut causa huius martyrii pro iure et legibus ecclesiae instituatur, ita quidem ut locorum maximae distantiae ratio habeatur. Illud quoque in dubium revocari posse cognoscimus, utrum Sinenses christiani cultus privati limites praetergressi fuerint, defunctoque episcopo ante sedis apostolicae iudicium cultum publicum exhibuerint. Quamobrem opportune consulemus, uti fas est, ne ob hanc rationem, labente cursu temporis, eiusdem episcopi causa aliquid detrimenti patiatur. Porro signifi-

cationes huiusmodi publici cultus, quem fideles, licet immature, ipsi praestiterunt, nobis argumento sunt, illos in ea sententia firmissime versari, quod episcopus martyris coronam et gloriam sit consecutus. Nemo vestrum miretur, si ipsum martyrem nuncupavimus, neque ullo modo canonicas sanctiones a nobis violatas existimet, quarum adsertores et custodes nos ipsos semper fatebimur. Episcopum quidem martyrem, haud vindicatum, sed consummatum appellavimus, quod etiam rerum scriptoribus licet, qui posteris illorum vitam et res gestas commendant, quos pro christiana religione hoc mortali spiritu defunctos arbitrantur, modo tamen lectores admoneant, haud revera martyres habendos, nec colendos ob ea solum, quae ipsi suis in libris commemorant. Haec fusius explicavimus in nostris de canonizatione sanctorum commentariis (1) et nos ipsi praescripta fecimus, dum episcopum Mauricastrensem martyrem consummatum, non autem vindicatum nominavimus, cum publicus cultus martyribus tantum vindicatis debeatur.

Vulgata et communis omnium opinio huic Mauricastrensi episcopo primi martyris Sinensis gloriam impertitur. Nos tamen certis documentis adducimur, ut contrarium omnino sentiamus. Etenim exploratum habemus, duas alias martyrii causas apud Sinenses peractas ad congregationem de Propaganda Fide superiori tempore fuisse delatas, quarum prima quatuor presbyteros complectitur, qui pro fide Christi supremum diem obiverant; altera vero causa confecta est pro sacerdote Francisco de Capillas, qui catholicam religionem sanguine suo confirmarat. Causae vero huiusmodi iussu Urbani VIII., praedecessoris nostri, traditae fuerunt examinandae congregationi sacrorum Rituum, cuius etiam decreta nos ipsi perspeximus, ad causam martyrii Francisci de Capillas instituendam confecta. Alia quoque decreta non ignoramus, quae pro causa eadem prosequenda edita fuerunt, cum Clemens IX., praedecessor noster, summum pontificatum administraret. Haec veritatis amore dicta sint, non vero ut nomen et gloria episcopi Mauricastrensis aut ordinis s. Dominici laudes imminuantur; cum praesertim venerabilis Dei famulus Franciscus de Capillas et alii quatuor sacerdotes, quos paulo ante recensuimus ex eadem s. Dominici familia prodierint (2).

Finem huic nostrae allocutioni imponimus, spem nostram declarantes, quae reposita est in sinu nostro. Quemadmodum enim singulari virtuti et sanguini martyrum, quos modo recensuimus et aliorum fortasse, quos ignoramus, tribui posse videtur, quod superiori tempore christiana

---

(1) Lib. 2. cap. 12. num. 5.

(2) In Summario Privilegiorum Ord. Praed. collecto ab Antonio Gonzales de Acuña pag. 148 et seq.

religio tantopere apud Sinenses floruerit, ita speramus futurum, ut Sinensis eadem missio, praesenti hac tempestate composita ac depulsa, in pristinum gloriae statum restituatur, ob virtutem et sanguinem, quem episcopus vicarius apostolicus nuper effudit; cuius etiam exemplum, uti confidimus, quatuor alii sacerdotes ex eodem ordine, quos pro christiana fide captivos vobis antea memoravimus, pari animi magnitudine sequentur. Ita sane futurum speramus, ducti auctoritate et unanimi patrum ecclesiae sententia, qui scriptum nobis reliquerunt, tunc potissimum temporis catholicam religionem magis elevatam et amplificatam fuisse, cum in illum tyranni maiori furore et immanitate desaevirent, ita ut ex martyrum sanguine, veluti ex foecundo semine, christiani in dies augerentur. Ita secundo saeculo sanctus Iustinus martyr testatus est: « Sed quanto magis magisque talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Iesu fideles et pii fiunt; quemadmodum vitis, si quis partes illas amputet, quae fructus ferunt, ita proficit, ut alios florentes et fructiferos palmites rursus proferat; idem nobis quoque evenit; plantata enim a Deo et salvatore Christo vitis populus eius est » (1). Idem quoque Tertullianus initio tertii saeculi confirmavit in suo Apologetico (2): « plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum ». In libro autem ad Scapulam (3): « nec tam, inquit, deficiet haec secta, nempe christiana religio, quam tunc magis aedificari scias, cum caedi videtur ». Idem Lactantius saeculo tertio labente tradidit in libro suarum Institutionum: « est et alia causa, cur adversus nos persecutiones fieri sinat; ut Dei populus augeatur ». Quod fusius prosequitur certisque rationibus declarat. Plura alia in hanc sententiam testimonia proferri possent; sed illud s. Leonis Magni, praedecessoris nostri, qui saeculo quinto pontificatum gerebat, satis erit, ut res plane comprobetur: « Non minuitur », inquit ipse in sermone de sanctis apostolis Petro ac Paulo, « non minuitur persecutionibus ecclesia, sed augetur, et semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur ».

In Dei filio sibi dilectis universis patribus ac fratribus ordinis praedicatorum fr. Antoninus Bremond, s. theol. professor eiusdemque ordinis humilis magister generalis et servus, salutem et fidei propagandae zelum.

Qui dominicanae familiae, immo ecclesiae universae decora et ornamenta ita ex animo pendit ac reputat, quemadmodum decet optimae

---

(1) In Dialogo cum Triphone Iudaeo n. 110. (Migne l. c. VI, 730).
(2) Cap. 50. (Migne Pat. Lat. I, 603).
(3) Lib. 5. cap. 23. in fine. (Migne l. c. I, 784).

matris amantissimos filios, is effuso prorsus ac intimo gratulationis sensu novissime partos intelliget ab apostolicis viris ordinis nostri in extremis Orientis plagis pro catholicae fidei propagatione triumphos. Alter iam annus absolvitur, quo certis nuntiis accepimus, rr. pp. fr. Franciscum Gil de Federicis et fr. Matthaeum Alphonsum Leziniana, Hispanos ambos, provinciae nostrae ss. Rosarii Philippinarum alumnos, in regno Tunkini post diuturni carceris pressuras constantemque ante praesides et in vinculis ipsis evangelii praedicationem gladio percussos gloriosam pro Christo mortem obiisse. « Quos nimirum vinculum confessionis et hospitium carceris simul iunxerat, iunxit etiam consummatio virtutis et gloria caelestis » (1). Eorum passionis acta ab episcopo Coricensi literis excerpta ac Romanis typis vulgata ad plerosque vestros pervenisse arbitramur.

Paulo post excitata in provincia Fo-kiensi Sinarum imperii gravi admodum adversus catholicos atque in primis evangelii praecones persecutione prehensum ab infidelibus atque in vincula coniectum audivimus illm̃um ac rm̃um d. fr. Petrum Martyrem Sans, episcopum Mauricastrensem ac vicarium apostolicum eiusdem provinciae, eodemque tempore una simul carceri mancipatos illm̃um ac rm̃um d. fr. Franciscum Serrano, episcopum Tipasitanum, provicarium apostolicum, ac rr. pp. fr. Iohannem de Alcober, fr. Ioachimum Royo et fr. Franciscum Diaz, missionarios ordinis nostri, iamque latam in omnes capitis sententiam ab Sinarum imperatore mox confirmandam. Recentioribus demum literis nuntiatum est, praelaudatum illm̃um praesulem fr. Petrum Martyrem Sans post toleratas invicta roboris sacerdotalis constantia durae custodiae angustias vexationesque gravissimas illustre et gratissimum Deo et angelis spectaculum exhibuisse, atque obtruncato capite apostolatus sui cursum ad annos fere triginta sex in imperio Sinensi productum feliciter consummasse, illustremque viam atque expeditam evangelii asserendi ac propagandi caeteris ostendisse, quam eiusdem quoque socios pari alacritate et fortitudine, vel iam absolvisse vel brevi subituros, speramus. Eximium religionis nostrae triumphum verbis amplioribus persequi aut exornare vix possumus, iis vere aureis, vere apostolicis, quibus ss. d. n. Benedictus XIV. P. M. die 16. huius mensis sacro cardinalium senatui publico in consistorio rei gestae seriem pro sua ac loci dignitate nuntiavit atque em̃orum patrum oculis fere subiecit. Sapientissimam eius adloquutionem eximia, qua pollet rei sacrae atque ecclesiasticae eruditione, refertam hisce literis adiunctam damus uti monumentum auro contra gemmisque aestimandum, ecclesiae fastis atque annalibus nostris inserendum, quod a singulis coeno-

---

(1) S. Cyprianus epistola 8. ad martyres et confessores. (Migne l. c. IV, 254).

biis nostris diligenter servari volumus, posteritatis memoriae perpetuo commendandum.

Iam vero quo simus animo affecti in hoc faustissimo rei catholicae eventu, levius est vobis de ingenita nobis sollicitudine pro fidei incrementis ac familiae nostrae gloria recte aestimantibus coniicere, quam nobis ulla vi verborum explicare. Effusum est in iubilo cor nostrum, superabundavimus gaudio, laetati sumus « sicut qui laetantur in messe » (1) atque exultantes in Deum vivum, per quem abundat consolatio nostra, immolavimus ei sacrificium laudis gratias agentes, ut potuimus maximas, quod apostolicum s. p. Dominici spiritum adhuc aevo nostro in filiis eius superstitem magno fidei emolumento videamus. Nimirum quod morti proximus futura prospiciens pollicitus fuerat, se nunquam illis defuturum post mortem, id cum semper effecerit, sexto nunc ordinis saeculo cumulatius praestat; nam qui animarum salutis cupidissimus, martyrii quoque sitientissimus fuit, horum alterum apostolicis suis perfecit laboribus; alterum vero quod votis tantum assequi potuit, cum alias tum novissime est consecutus in filiis, « qui certamine glorioso ad tormenta vincenda caeteris duces facti, exemplum virtutis et fidei praebuerunt » (2).

Eo exemplo incitatos et quasi classico ad pugnandum accitos, non sine ingenti laetitiae sensu audivimus iam plures ex nostris flagrantissimo evangelii proferendi studio accensos certatim in sacras Philippinarum missiones nomen dedisse numerum fratrum suorum implere gestientes, quos per martyrii palmam caelo illatos gratulantur. Utinam vero suscepti muneris ratio locique et temporis conditio pateretur ac ferret, ut eorum agmini adiuncti, quem aliquando inivimus in Americanis insulis sacrarum missionum cursum nobis quoque cum ipsis conficere liceret. Arrepto apostolicae expeditionis vexillo alacri prorsus animo ac lubentissimo praeiremus caeteris, atque ad populos divinae lucis et gratiae expertes maturaremus iter, « parati ac cupidi tradere illis non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras » (3). Illuc demum proficisceremus in gaudio, quo nos sanguis fratrum nostrorum invitat clamans de terra, non vindictam ut sanguis Abel, sed propitiationem, ut sanguis Christi, ac pereuntium animarum salutem. Quandoquidem vero « non est currentis neque volentis, sed miserentis Dei » (4), qui arcano sapientiae suae iudicio ab optatissimo apostolici muneris stadio velut ab ubere avulsos, ne cogitantes quidem Romam abduxit, atque in sortem transtulit ministerii huius, vi-

---

(1) Is. IX, 3.
(2) S. Cyprianus loco cit. (Migne l. c. 252).
(3) I. Thes. II, 8.
(4) Rom. IX, 16.

cem nostram dolemus, iis vero quasi invidentes gratulamur, quos legatos pro Christo digniores nobisque utiliores segregavit ac posuit in lucem gentium, ut sint salus eius usque ad extremum terrae.

Interea dum pugiles nostri « induti armaturam Dei, sumentes scutum fidei et galeam salutis et gladium spiritus, quod est verbum Dei, calceati pedes in praeparatione evangelii, atque in acie constituti adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum fortiter colluctantes praeliabuntur praelia Domini. Nos ad sarcinas remanentes, per omnem orationem et obsecrationem iugiter effundemus cor nostrum, ut detur illis sermo in aperitione oris cum fiducia notum facere mysterium evangelii, ut in ipso audeant, prout oporteat loqui, nec faciant animas suas pretiosiores quam se » (1). Quando autem « sanguis martyrum, semen est christianorum » (2), in eam spem erigimur fore, ut aucto per novos evangelii ministros recentis victoriae ac triumphi fructu, deleta atque avulsa per ipsos omni prophani cultus superstitione, crucis Christi trophaeum florentissimo inferatur imperio populoque sedenti in tenebris et umbra mortis, fulgeat illuminatio evangelii et salutis via aliquando aperiatur.

Finem scribendi, non exultandi facimus, et qui doctissimi nec satis unquam laudati pontificis Benedicti XIV. verba longe omnibus splendidiora legenda vobis subiicimus, qualemcumque epistolam nostram disertissimi episcopi et martyris Cypriani sententiis absolvimus, « O beatam ecclesiam, (beatam praedicatorum familiam), quam sic honor divinae dignationis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus martyrum sanguis illustrat. Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta est martyrum cruore purpurea. Floribus eius nec lilia nec rosae desunt. Certent nunc singuli ad utriusque honoris dignitatem. Accipiant coronas vel de opere candidas vel de passione purpureas. In caelestibus castris et pax et acies habent flores suos, quibus miles Christi ob gloriam coronatur » (3).

Habet itaque, fratres charissimi, christiana ac religiosa pax sine caede et sanguine martyres suos, qui nimirum carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, qui abnegantes semetipsos et saecularia desideria sobrie, iuste ac pie vivunt in hoc saeculo, utentes hoc mundo tanquam non utantur; qui mortificationem Iesu in corpore suo circumferentes iam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Diligamus, fratres, strenueque amplectamur hoc, quod semel elegimus quotidiani ac domestici

---

(1) Eph. VI, 11 sqq.
(2) Tertullianus in Apologetico (MIGNE l. c. I, 603).
(3) S. Cyprianus epistola superius laudata. (MIGNE l. c. IV, 255).

martyrii genus, horrore quidem minus, sed diuturnitate molestius. Imitatores simus fratrum nostrorum, sicut et illi Christi, et quos non possumus per bella persecutionum, per vulnera et mortem, studeamus saltem per pacem sequi. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, professionis nostrae cursum alacriter consummantes, fidem servantes. « Quo longior pugna, et corona sublimior. Agon unus, sed multiplici praeliorum numerositate congestus » (1). Semel vincit, qui statim patitur, et qui manet semper in poenis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur. Valete, nostri sociorumque memores in sacrificiis et precationibus vestris.

Datum Romae ex nostris aedibus Minervitanis die 20. septembris 1748.

Fr. Antoninus Bremond
magister ordinis.

18. Denuntiamus, rm̃um ordinis magistrum considentium patrum approbatione pronuntiasse, celebrandum esse capitulum generale, quod erit secundum diffinitorum, anno 1751 ultra montes, in loco sibi bene viso. Hunc vero pro habendis talibus comitiis selegisse originalem suum conventum regium s. Mariae Magdalenae apud San-Maximinum in Gallo-Provincia.

19. Denuntiamus, praelaudatum rm̃um, quo recta et iusta subordinatio subditorum ad caeteros immediatos superiores servetur, declarasse, assignationes quascumgue ab ipso emanandas non obstituras, quin provinciales, si pro conscientia sua cognoverint bono provinciarum suarum aliter expedire, possint per novas assignationes de subditis suis disponere. Quod auctoritate praesentis rm̃i praesidis apostolicae sedis nomine vel, si opus sit, alia speciali impetranda ad assignationes datas vel confirmatas a suis praedecessoribus voluit omnino extendi.

Confirmationes.

1. Ut ss. rosarii institutum a s. p. Dominico haereditario iure nobis relictum, in populos impensius promoveatur, in memoriam revocantes, quae alias provide sancita sunt, ut omnes praedicatores nostri prae caeteris in concionibus suis hanc devotionem fidelium auribus saepissime ingerant eamque iugiter foveant ac promulgent, volumus ac mandamus, ut conventuum praesides omni studio et pia contentione per idoneos, doctos fervidosque sacerdotes diligenter explicari et recitari faciant singulis hebdomadis in nostris ecclesiis rosarium in tres partes divisum.

---

(1) S. Cyprianus epist. 16. (Migne l. c. 274).

2. Quae porro de ss. rosario decreta sunt, mandamus, ut respective sancita censeantur de saluberrima confraternitate sub invocatione ss. nominis Iesu seu nominis Dei contra blasphemias, periuria et illicita iuramenta. Quae cum a fratribus ordinis nostri instituta, ab eisque semper exculta et per universum terrarum orbem propagata fuerit, volumus, ut, iisdem strenue laborantibus, ubique terrarum magis ac magis in dies reflorescat.

3. Cum ordo noster maxime et primo institutus sit ad animarum salutem procurandam, ad quam apprime conducit confessiones fidelium audire, et verbi Dei praedicatio, quorum alterum prudentiam et scientiam, alterum dicendi facultatem cum apostolico zelo coniunctam requirit, propterea quoad confessiones audiendas confirmamus et renovamus ordinationes iampridem factas in praecedentibus capitulis de trino examine subeundo ab iis, qui, studentatus munere expleto, vel actu non legunt vel nunquam legerunt, sive etiam ab iis, qui, lecta tantum philosophia, lectiones theologicas per triennium non habuerunt. Quod si praefata tria examina in studiis generalibus vel aliis a magistro generali pro tempore designandis subire neglexerint, voce activa et passiva in electione priorum intelligantur ipso facto privati. Magistri vero in theologia, qui, prudentia et scientia praediti, omnino recusant fidelium confessiones excipere, si a prioribus suis admoniti, desides adhuc in hoc reperiantur, poenis etiam privativis, arbitrio generalis magistri infligendis, subiiciantur.

4. Apostolicum ac primaevum ordinis nostri spiritum, qui in paucis admodum s. p. Dominici filiis ac vere imitatoribus adhuc vivit, in caeteris quoad fieri possit, renovari ac propagari cupientes, servari omnino volumus, quod alias sancitum est in capitulo generali Romae 1670, ut in diffinitorio cuiuscumque capituli provincialis aliqui patres zelo, religione, doctrina et sacra eloquentia praestantes seligantur ac deputentur, qui solam Dei gloriam et proximorum salutem prae oculis habentes, spreto omni temporali commodo ac lucro se se missionibus inter catholicos obeundis tam in civitatibus quam in oppidis et pagis alacriter prorsus impendant, ne quod haereditate accepimus, praedicatorum nomen apud nos inane et vacuum reperiatur.

Est propterea, cur iis gratulemur provinciis nostris, in quibus sacrarum missionum studium fervet ac viget exercitatio; utque ministerium Deo gratissimum, ecclesiae ac fidelibus saluberrimum, instituto autem nostro maxime consentaneum uberius promoveatur, provinciarum et congregationum praesides vehementer hortamur, omnibus vero in exemplum, quo accendantur, memoramus cum laude et proponimus provinciae nostrae ss. Rosarii Philippinarum alumnos vere apostolicos, qui animarum salutis et gentium conversionis studiosissimi in remotas ac barbaras na-

tiones vastissimi in primis Sinarum imperii ac Tunkinensis regni, non laboribus ac periculis fracti, non poenarum ac mortis metu perterriti, evangelium intulerunt ac fidem Christi recenti sociorum suorum caede consecratam praedicare non dubitant, vitam et ipsi pro Christo atque animabus eius sanguine redemptis profundere non tam parati quam cupidi, quo novos amplioresque catholicae religioni fructus afferant et triumphos.

5. Cum ad res ordinis universi annalibus excipiendas non semel per generalia capitula sancitum confirmatumque sit, ut cuiuslibet provinciae aut congregationis historia accurate scriberetur, nec adhuc communibus votis in familiae nostrae ornamentum et decus ea in parte factum fuerit satis, priora confirmantes ac renovantes decreta, omnibus et singulis provinciarum et congregationum superioribus praecipimus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto, immo sub poena nullitatis actorum capituli provincialis, ut in proximo futuro uniuscuiusque provinciae capitulo in communi diffinitorio eligi faciant virum doctum, solertem, acris subactique iudicii, cui committatur propriae provinciae vel congregationis historia summa fide ac diligentia scribenda; eidemque teneantur priores sub poena absolutionis ab officio infra trimestre a celebratione capituli communicare quidquid in singulis eorum conventibus ab eorum fundatione singulare ac memoria dignum fuerit, atque ad ordinis ornamentum et gloriam pertinere videbitur, ut ab ipso in historicos provinciae commentarios referatur, quorum tamen exemplar non antea typis vulgetur, quam ad magistrum ordinis pro examine et approbatione mittatur.

6. Apostolicas literas fel. rec. Clementis pp. XII. sub die 19. septembris an. 1736 atque encyclicas denati rm̃i magistri ordinis fr. Thomae Ripoll in memoriam omnium revocantes, districte praecipimus sub denuntiatis ibidem poenis, privationis nimirum vocis activae et passivae, necnon excommunicationis ipso facto incurrendae, ne quispiam ex nostris uti audeat ac praesumat breviariis, missalibus aliisque chori vel ecclesiae libris extra Romam impressis, ementito etiam Romanae editionis nomine, absque expressa magistri ordinis licentia, committentes superioribus seu visitatoribus provinciarum et congregationum, ut in sacra visitatione adversus transgressores diligenter inquirant; et si huiusmodi libros apud quempiam repererint, flammis illico tradant eosque in praefatas poenas incurrisse declarent.

Pro bono regimine.

1. Ad coercendam vagantium et fugitivorum licentiam, praeter caeteras poenas a legibus nostris inflictas, decernimus ac declaramus, eos ipso facto suspensos esse a divinis. Superiores autem conventuum, qui

eos quomodolibet, praeterquam ad carcerem formalem receperint, vel suorum respective conventuum circa fines vagari sciant ac permiserint, ipso facto ab officio absolutos esse statuimus et declaramus.

2. Cum radicitus nondum convulsus sit exitiosus atque damnabilis ad extraneas personas fratrum recursus pro gratiis ordinis a superioribus non tam obtinendis quam extorquendis, in memoriam revocamus, quae in pluribus capitulis generalibus adversus huiusmodi recurrentes sancita sunt; latas in illos poenas, censuras atque maledictiones innovantes, et his actis tanquam expresse inserta volentes, quae in postremo capitulo generali an. 1725, conf. 1. graviter in hac re copioseque statuta ac denuntiata sunt.

3. Ne ad habitum ordinis minus apti natalibus, scientia et moribus recipiantur, ea omnia renovamus et confirmamus, quae circa recipiendos iampridem statuta sunt. Priores autem, qui ea diligenter exacteque non servaverint, ab officio statim absolutos declaramus. Examinatores vero, qui literis minus instructos ineptosque adprobaverint, utraque voce privatos decernimus.

4. Quaecumque circa novitiorum magistros iampridem statuta sunt confirmantes, ea omnia ad magistros etiam professorum extendimus. Porro iis, qui per decennium huiusmodi officio rite perfuncti atque a diffinitorio capituli provincialis approbati fuerint, omnia a legibus nostris constituta honoris praemia decernimus. Eos autem, qui ad id muneris designati, illud obire detrectaverint, inhabiles prorsus ad alia quaecunque officia et gradus esse volumus et declaramus.

5. Vestigiis inhaerentes capituli generalis an. 1694 celebrati confirmamus et, quatenus opus sit, innovamus ordinationem 11. capituli Valentini 1647, qua in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, iniungitur conventuum superioribus, ut, dum aliquis ex fratribus nostris scientia et doctrina clarus obierit, omni diligentia satagant, etiam per censuras, illius scripta colligere et in communi deposito reponere, admonito statim magistro ordinis, ut, si quid dignum publica luce fuerit, praelo demandetur. Committentes rr. pp. provincialibus et congregationum vicariis, ut in visitatione conventuum sedulo inquirant, an superiores ac caeteri fratres huic ordinationi exacte paruerint; et quos defecisse repererint, aut per suspensionem ab officiis aut per inhabilitatem ad ipsa severe puniant, et si manuscripta retineant, etiam ad restitutionem per censuras et poenas privativas et positivas compellant.

6. Cum maxime deceat statum ordinis universi, eiusdem capiti ac moderatori exploratum esse atque compertum, innovantes, quae statuta

sunt, mandamus unicuique cum provinciali tum vicario congregationum aut earundem visitatoribus, ut post completam eorum primam visitationem statim ad rm̃um p. magistrum ordinis mittat statum omnium conventuum, monasteriorum ac locorum, tum nomina, cognomina, aetatem, munera et officia cuiuslibet fratris, et si quae alia pro bono singulorum regimine memoratu digna atque opportuna iudicaverit, fideliter ac diligenter referat ac denuntiet.

7. Ne temporalis rei cura atque custodia minus sedula ac diligens habeatur, confirmamus, quod Parisiis an. 1611 decretum est, ut in quolibet conventu describatur inventarium bonorum mobilium et immobilium tam conventus quam ecclesiae duplici authentico exemplari, vim auctoritatemque per notarium habente a provinciali constitutum, quorum alterum in archivo illius conventus, alterum vero in primarii illius provinciae vel nationis conventus archivo diligenter custodiatur. Sit praeterea in quolibet conventu liber, in quo describantur omnes redditus certi, agri, vineae, sylvae, praedia seu possessiones cum suis confiniis, terminis ac limitibus, quo lites praecaveantur atque ordinis bona occupare volentium vis et iniustitia repellatur.

Pro observantia regulari.

1. Cum in variis capitulis generalibus stricte iniunctum sit, ut in omnibus et singulis conventibus semel in anno peragantur ab omnibus fratribus per decem dies exercitia spiritualia, volumus, decernimus et ordinamus, ut haec saluberrima institutio omnino executioni mandetur, prohibentes, ne deinceps admittantur ad vocem activam in capitulis provincialibus priores, qui literis testimonialibus a fratribus sui respective conventus subscriptis non docuerint, huiusmodi exercitia semel in anno rite ab ipsis fuisse peracta. Methodum autem et tempus ea opportune peragendi prudentiae et zelo eorumdem priorum permittimus. Quod dicitur de conventibus fratrum, intelligatur etiam de monasteriis monialium sub poena taxanda etiam priorissae.

2. Orationis mentalis studium, sine quo christianae charitatis ac religiosae perfectionis fervor tepescit ac plane extinguitur, enixe commendantes, in memoriam revocamus et confirmamus, quae non semel in aliis capitulis decreta sunt, ut divinarum rerum meditatio bis quotidie in choro ab omnibus per horae dimidium habeatur. Superiores vero, qui sine gravi ac vera necessitate ab ea frequenter dispensaverint aut definitum ipsius tempus contraxerint, ab officio suspensos volumus ac declaramus.

3. In memoriam revocamus ordinationem 4. capituli generalis Bononiae celebrati an. 1706, quae huius tenoris est: Vitam communem seu perfectam rerum omnium communitatem statui religioso adeo individuam

et necessariam, qua, dum vigeret, effloruit semper religio, et tot fere sanctos aluit, quot habuit religiosos, ut in omnes provincias ac conventus revocent priores seu provinciales seu conventuales, iam toties in capitulis generalibus ordinatum, inculcatum et sub interminatione divini iudicii praeceptum est, ut supervacaneum videri possit, illius introducendae nova dare praecepta seu novas condere leges. Nihilominus, quia necdum obtineri potuit, ut in omnes omnino conventus introduceretur, mandamus ac districte praecipimus, ut in iis conventibus, in quibus introducta est, custodiatur quam diligentissime, nec rimam admittant superiores, qua e conventibus erumpere possit; ubi vero necdum perfecte introducta est, curent satagantque, ut, si nequeunt aliter, sensim et sensim illam introducant, eas statuendo depositi leges talemque in vestitu et supellectili fratrum praescribendo modum, qualia in variis capitulis generalibus praescripta sunt et statuta, ut, quoad fieri poterit, ad vitam perfecte communem accedant quam proxime. Superiores hac in parte muneris sui potissima negligentes seu indulgentiores, a suis officiis volumus amoveri; eosque inhabiles praesenti decreto declaramus ad quaevis ordinis nostri munia; et si quem contingat eligi in priorem conventualem seu provincialem, quem in concilio patrum per vota secreta constiterit, non esse vitae communis amantem, districte prohibemus, ne huiusmodi electus confirmetur, sed alius vitae communi seu custodiendae seu introducendae aptior eligatur.

4. Quae ad regularis observantiae propagationem atque incrementum saepe a nostris legibus decreta sunt, in memoriam revocantes et confirmantes, volumus et mandamus, ut quilibet provincialis absque ulla cunctatione unum saltem conventum in sua provincia designet, in quo vita communis et constitutiones nostrae a cunctis illic degentibus cum omni rigore omnique eliminata dispensatione ad unguem serventur. Desides autem hac in parte provinciales, a suis officiis statim absolvendos decernimus, uti statutum est a capitulo generali 1706, ord. 2.

5. Ut ea omnia, quae a summis pontificibus Clemente VIII. atque Urbano VIII. circa largitionem munerum pro regularibus universis saluberrime constituta sunt, a nobis fideliter exacteque serventur, ea tanquam expresse inserta hisce actis habentes atque in memoriam omnium revocantes, districte prohibemus, ne quispiam in ordine nostro superior quovis colore ac praetextu munera a fratribus recipiat, etiam sponte oblata, pro gradibus, officiis aut gratiis sive concedendis sive concessis, sub poenis a laudatis pontificibus atque a legibus nostris inflictis, quibus aeque subiicimus ipsos offerentes, ita ut etiam omnibus gradibus, officiis aut gratiis et concessionibus vel obtentis vel obtinendis privati sint, si quidpiam pro eis obtulerint.

Pro studiis.

1. In conventibus, ubi viget studium, quemadmodum alias sancitum est, quempiam eligi aut confirmari in priorem inhibemus, qui philosophiam ac theologiam ante laudabiliter non perlegerit, eumque studiorum praesidem seu rectorem ita fore volumus, ut primas in omnibus habeat partes, quae ad scholae exercitationes pertinent studiorumque cultum fervoremque excitandum ac promovendum.

2. In memoriam revocantes ac renovantes ordinationes iam pridem factas a variis capitulis generalibus iuxta decreta pontificia, ut in singulis provinciis vigeat studium linguarum graecae et hebraicae, volumus et praecipimus, ut saltem in studiis generalibus ad id muneris designentur idonei earumdem linguarum praeceptores, quibus statuantur praemia; quos si ex ordine nostro habere nequeant, priores provinciales extraneos accersant, designatis annuis stipendiis, communibus provinciae sumptibus erogandis.

3. Divini verbi praedicationem in ordine nostro fere iam tepescentem, ad pristinum fervorem splendoremque revocare omnino cupientes, volumus ac praecipimus, ut in unaquaque provincia et congregatione per earum praesides, de graviorum patrum consilio, quamprimum designetur unus vel alter conventus, ubi per idoneos rhetoricae sacrae institutores instruantur iuniores specialiter ad id muneris apti in officio concionatoris, per leges et regulas a rmo p. magistro ordinis approbandas.

4. Quod pro studentium quiete ac securitate inchoatum fuit Romae an. 1656, confirmantes decernimus atque ordinamus, ut, quamdiu scholis addicti fuerint, vocem activam in electionibus non habeant neque ad illas in quocumque conventu aut collegio admitti possint.

Ordinatio per modum inchoationis.

Ut de iure et electione diffinitorum atque electorum ad capitulum generale in omni eventu praesto sit regula certa, perspicua ac firma, inchoando ordinamus, ut in quolibet capitulo provinciali iuxta leges nostras, non vero ex dispensatione apostolica celebrando, diffinitor et socius sive elector pro capitulo generali proxime futuro, sive illud sit provincialium sive diffinitorum, a maiori parte capituli eligantur; quibus sic electis ius erit suffragii ferendi in proximo capitulo generali, mortuo vel amoto magistro ordinis. Quod si unum vel alterum aut utrumque mori contigerit, aut aliquis eorum capitulum generale adire nolit aut nequeat, tunc ius erit adeundi capitulum diffinitoribus capituli provincialis immediate antecedentis iuxta eorum antiquitatem a professione, quorum unus ut diffinitor, alter ut elector ad electionem admittatur. Quod si post ultimum capitulum generale capitulum provinciale celebratum non fuerit

ante notitiam obitus vel amotionis magistri ordinis, tunc si per tempus liceat et maior pars graviorum patrum seu magistrorum provinciae in unum convocatorum per vota secreta iudicaverit, celebrandum fore capitulum provinciale pro electione diffinitoris et socii seu electoris, celebretur, et in eo duo electores a maiore parte eligantur, quorum unus erit diffinitor et alter elector. Si vero tempus ad minus sex mensium non suppeteret, vel provincia congregari nolit, tunc ius diffiniendi et eligendi spectet ad duos diffinitores praedicti capituli provincialis, qui in capitulo generali non diffinierint nec elegerint. Qui si non supersint aut nequeant aut nolint ad generale capitulum ire, tunc recurrendum est ad capitulum provinciale immediate praecedens; sicque retrocedendo, quousque suis provincia gaudere possit suffragiis.

Ordinationes.

1. Praedicatores generales, qui amplissimo titulo et honore gaudere volunt, officio vero fungi, ubi et quando opus est, recusant aut in conventibus suae praedicationis actu non resident, titulo ac in comitiis provincialibus voce activa omnino privatos esse, decernimus ac declaramus.

2. Quoniam in philosophicis disciplinis tradendis gravis apud nonnullos irrepsit abusus, ut vel neotericorum sistemata scholae nostrae adversa ne digito quidem attingant ac refellant, vel in rebus praesertim physicis, veteri scholae nostrae sistemate fere relicto, in recentiorum placita paulo liberius declinent, ut certi in huiusmodi studiis fines, quos nemini transilire liceat, deinceps statuantur, permittimus quidem neotericorum sistematum historiam scriptis interseri atque in his, quae d. Thomae doctrinae minime adversantur, recentium philosophorum observationes atque opiniones sobrie prudenterque adoptare; prohibemus autem vel latum unguem a d. Thomae doctrina recedere, rebusque physicis et mathematicis nimium indulgere aliisve, quae vel institutum nostrum minus deceant vel ad theologica studia viam non parant. Qui vero secus fecerint, lectoris officio ipso facto privatos volumus ac decernimus.

3. Ut rectae parvorum conventuum administrationi consulamus, districte sub nullitatis poena inhibemus, ne priores aut vicarii eorum conventuum, in quibus duodenarius fratrum numerus non alatur, quidpiam gravis momenti, in rebus praesertim temporalibus, decernant vel exequantur, non habito consensu p. provincialis, qui de graviorum patrum consilio, quid agendum fuerit, decernat.

4. Propter abusus, qui in plures ordinis nostri conventus irrepserunt circa electionem priorum, dum quidam, ut suspicari licet, data opera eliguntur, qui vel infirmitate vel senectute vel quovis alio impedimento irretiti, cognoscuntur de facili prioratum non esse acceptaturos, ordinamus, quod imposterum post secundam vel ad summum tertiam ele-

ctionem a prioribus provincialibus confirmatam, si contingat ad novam electionem procedi debere, prior provincialis immediate per se de priore provideat.

Admonitiones.

1. Admonemus rr. adm. pp. provinciales omnesque conventuum superiores, eorumque conscientiam in diem Domini oneramus, ut omni zelo ac diligentia inquirant, qua gravitate, modestia ac devotione a subiectis sibi sacerdotibus tremendum altaris sacrificium celebretur, atque omnino curent servari ab iis uniformitatem in ritibus, caeremoniis ac rubricis. Si quos autem negligenter et minus accurate ac reverenter vel celerius, quam deceat ac oporteat, sacra mysteria peragentes cognoverint, eos a divinis, quod alias sancitum est, statim suspendant.

2. Admonemus provinciarum et congregationum praesides, ut in actis cuiuslibet capituli provincialis describi faciant nomina fratrum ac sororum, qui ab antecedente capitulo vita functi fuerint. Eorum autem qui aliqua eximiae doctrinae laude vel opinione et fama virtutum claruerint, addi curent brevem vitae gestorumque synopsim, quo eorum memoria in benedictione servetur.

Commissiones.

1. Enixe ac reverenter committimus rm̃o p. magistro generali, ut piae sanctaeque recordationis Benedicti pp. XIII., ex ordine nostro ad supremam cathedram assumpti, processum, ut aiunt, de virtutibus et miraculis dignetur quam primum promovere, ut, quem vita sanctissime acta promeruisse credimus beatorum cultum, apostolicae sedis iudicio aliquando consequatur.

2. Committimus praelaudato rm̃o, ut universi ordinis commodo, utilitati et ornamento ab idoneis viris, per ipsum seligendis, confici atque evulgari diligentissime curet:

Annales ordinis,
Acta sanctorum ordinis,
Coeremoniale ordinis,
Acta capitulorum generalium.

3. Cum nondum prodierit expetita iam dudum numeris omnibus absoluta constitutionum nostrarum editio, inhaerentes posterioribus capitulis generalibus necnon literis apostolicis venerabilis servi Dei Innocentii pp. XI. sub die 6. octobris an. 1679, committimus rm̃o p. magistro generali, ut eligat quatuor vel sex ordinis nostri viros doctiores et provectiores iuris nostri in primis peritos, quibus onus incumbat recensendi constitutiones earumque glossas et ordinationes, atque ea expendendi, quae correctionem exigant vel declarationem, et aliam provisionem in omnibus his, quae concernunt statum et commodum religionis

ac observantiam et disciplinam regularem. Et ubicumque in glossis constitutionum citantur literae pontificiae aut decreta congregationum vel alia similis auctoritatis, ad authenticos codices et posteriores derogationes, si quae sint, recurrant et cum his corrigant et ad literam recitent ea documenta, ita ut, quamprimum fieri possit, legum nostrarum corpus integrum riteque digestum habeamus, quod tamen vim obligandi non habeat, priusquam a futuro capitulo generali visum sit atque approbatum.

4. Ut autem expensis occurri possit, quae in editione huiusmodi librorum graves admodum esse solent, districte iniungimus superioribus provinciarum et congregationum, ut in actuali visitatione conventuum, ubi non sunt redditus certi pro bibliotheca, seponi faciant ex communibus redditibus certam quotannis pecuniae summam, quae saltem aequet annuum unius fratris vestiarium, atque inde pretium solvatur pro coemendis libris, qui in commune ordinis commodum vel impressi sunt vel deinceps imprimentur; eosque a superioribus conventuum provideri omnino faciant, sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda.

5. Cum absolvendis edendisque annalibus ordinis, quibus adornandis indefesso labore atque immortali laude insudavit hactenus rm̃us magister ordinis, ob suscepti muneris gravissimas curas iam se ipso vacare non possit egeatque studiorum suorum sociis, qui adiutrices ei manus in vastissimae molis atque eruditionis opere exhibeant, tum aliis incumbant, quae in ordinis commodum edenda meditatur, ne eorum labores debito fraudentur praemio, eundem rm̃um demisse enixeque rogamus eique committimus, ut, quos ipse ad id muneris aptos selegerit, ad omnes respective gradus promoveat, quos actu et diffinito tempore legentes in studiis generalibus essent consecuturi.

6. Ut debitus theologis, cathedraticis et bibliothecariis collegii Casanatensis de Urbe habeatur honos, committimus rm̃o p. magistro ordinis, ut, si eorum quispiam ad id amplissimi muneris electus nondum magisterii gradum fuerit consequutus, hunc ei conferre valeat, ac si ad eundem iam a sua provincia postulatus fuisset.

7. Cum plures provinciarum petitiones diffinitorio exhibitae vel ob incurrentes difficultates vel temporis angustia rite expendi atque expediri non potuerint, zelo et prudentiae rm̃i p. magistri ordinis earundem examen committimus, quo ea approbare et concedere valeat, quae sibi in Domino pro earundem provinciarum bono magis iudicaverit expedire, aliorumque generalium capitulorum more atque instituto eidem rm̃o p. magistro ordinis plenam damus auctoritatem nostram circa omnia et singula in his actis declarata, definita, confirmata aut commissa; eaque omnia faciendi, quae auctoritate nostra et capituli generalis fieri possent.

Concessiones.

1. Concedit rm̃us p. magister ordinis omnibus adm. rr. pp. provincialibus et diffinitoribus praesentis capituli, ut possit quilibet eorum unum ex fratribus suae provinciae, ad gravioris culpae poenas ante celebrationem huius capituli damnatum, ad omnes gratias ordinis restituere, dummodo post correctionem resipiscentiae atque emendationis signa exhibuerit.

2. Omnibus vero ac singulis fratribus ac sororibus ordinis idem rm̃us concedit, ut semel aliquem ex ordine nostro approbatum patrem confessarium sibi deligere possint, qui eos in actuali sacramenti poenitentiae administratione ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum publicationem quomodolibet contractis absolvere valeat, a quibus ipsemet rm̃us magister ordinis absolvere posset, si eidem sacramentaliter confiterentur.

Pro provincia Hispaniae.

1. Committimus rm̃o p. magistro ordinis, ut apud s. sedem apostolicam dignetur promovere beatificationem servi Dei fr. Melchioris Cani ordinis nostri.

2. Ordinamus, quod etiam pro variis provinciis ultra montes ordinatum est, et declaratum intelligi volumus, ut, quotiescumque contingat patrem provincialem huius vel aliarum respective provinciarum ultra montes absolvere officium suum in capitulo generali, sequens capitulum provinciale electivum differatur usque ad sabbatum ante dominicam « Deus qui errantibus », quae dies in bulla Pauli IV. data anno 1557 pro hac provincia constituta fuit.

3. Acceptamus studium generale conventus s. Ginesii Falabricensis, sicut iam a rm̃o p. m. generali fr. Thoma Ripoll in universitatem erectum cum omnibus iuribus et privilegiis aliis universitatibus provinciae Hispaniae competentibus.

4. Confirmamus, quod anno 1733 a rm̃o p. m. generali Ripoll concessum fuit, conventum scilicet regium s. Crucis de Carboneras in studium generale erigi; quam concessionem modo acceptamus, sicut etiam acceptamus in studium generale conventum s. Dominici Ovitensis, tum etiam conventum s. Petri Martyris de Fluvio-sicco.

Pro provincia Tholosana.

1. Confirmamus pias et laudabiles consuetudines huius provinciae in variis capitulis generalibus approbatas, et specialiter eius immunitatem a gradibus academicis, a magisterio atque titulo et privilegiis praedicaturae generalis.

2. Inhaerentes variis decretis pro Tholosana provincia iampridem latis ac confirmantes ipsius saluberrimam disciplinam, qua patres a con-

siliis vocantur ad examen studentium mittendorum ad ordines suscipiendos, ordinamus, ut ad examen quoque iuniorum sacerdotum, qui confessionibus excipiendis, concionibus habendis et lecturae exercendae deputandi sunt, vocentur nedum tres in theologia professores, sed etiam patres omnes a consiliis, quorum singuli ius habeant examinis et suffragii.

3. Ordinamus, quod iuvenes, qui pro parvis conventibus ad ordinem recipiuntur, sacris vestibus non induantur nisi in eo dumtaxat conventu, in quo annum probationis debent peragere.

4. Reverenter committimus rmo p. m. generali, ut inchoatum iam diu processum circa beatificationem ven. matris Agnetis de Langeac dignetur ultra promovere.

5. Committimus rmo p. magistro ordinis apud s. sedem conventui Tholosano dumtaxat impetrare celebrationem officii ss. martyrum Cosmae et Damiani sub ritu totius duplicis. Item sub ritu duplici festum s. Alexii confessoris.

Pro provincia Franciae.

1. Quia spirituale bonum et maxime studiorum augmentum omni temporali bono praesertim a religiosis viris est praeponendum, mandamus, quod conventus Gratianopolitanus, Pictaviensis, Poligniacensis, Divionensis, Lingonensis, de quorum facultatibus conscii sumus, teneantur gratis et absque pensione alere duos ad minus studentes deputandos ad illa collegia tanquam formalia a r. adm. magistro provinciali pro tempore existente. Conventus autem Santonensis unum saltem ad eundem modum alere teneatur.

2. Facultatem concedimus adm. rr. pp. provincialibus provinciae nostrae Franciae et provinciae Parisiensis iuxta eorum petita instituendi in solidum procuratorem cum socio in curia sive regia sive senatoria sive apud regis administros sive apud alios regni magnates; qui procurator et socius a praelaudatis provincialibus ex tenuissimis contributionibus a conventibus et monasteriis praedictarum provinciarum, non vero congregationis s. Vincentii Ferrerii, exigendis accipiant quotannis, quae necessaria sunt ad eorum sustentationem et munus implendum, simulque gaudeant omnibus gratiis et privilegiis, quibus huiusmodi procuratores cum sociis gaudere debent et solent, quaeque a rmo p. m. generali pro tempore concedenda videantur expedire.

3. Committimus rmo magistro ordinis, ut dignetur pro sua vigilantia et zelo accommodam conventuum utriusque provinciae Franciae et Parisiensis distributionem ita procurare, ut possint provinciales utriusque praefatae provinciae munus respective suae visitationis facilius implere et regularem observantiam impensius promovere.

4. Ad stabiliendam et inconcusse servandam regularem observantiam, quae conventui Quingiacensi concredita fuit a comitiis provincialibus atque probata in actis capituli generalis Bononiae celebrati anno 1725, volumus et decernimus, ut speciales ordinationes pro eodem conventu auctoritate rm̃i p. magistri generalis fr. Thomae Ripoll confirmatae omnino serventur in posterum.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Denuntiamus, ss. d. n. Benedictum pp. XIV. per suas literas apostolicas in forma brevis provide statuisse, ut officium provincialatus huius provinciae deinceps triennale sit. Praeterea ut quindennium lecturae pro magisterio simplici requisitum ad duodennium reducatur. Sunt autem laudatae literae tenoris sequentis:

Benedictus pp. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Quaecumque a sede apostolica pro felici prosperoque christifidelium, qui e fluctibus seculi in portum vitae religiosae confugerunt, regimine et gubernio aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio magnaque prudentia et cautione sancita ac decreta sint, tamen cum Romanus pontifex de animarum salute sollicitus progressu temporis animadvertit, sensim aliquot abusus in eisdem statutis et decretis observandis provenire, debet pro sui pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere et, quantum in Domino potest, adhibito salutari remedio providere. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Bremond, magister generalis ordinis praedicatorum, quod alias fel. rec. Paulus pp. III., praedecessor noster, per quasdam suas in simili forma brevis die 10. decembris 1538 expeditas literas inter caetera quoddam statutum in capitulo provinciali provinciae Lombardiae dicti ordinis eodem anno celebrato factum, quo cautum praescriptumque fuit, ut nullus provincialis in officio et munere huiusmodi ultra biennium remanere posset, et quolibet biennio capitulum provinciale celebrari deberet, approbavit et confirmavit, et alias prout in dictis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Antoninus magister generalis, qui, ut asserit, ob ingentem provinciae Lombardiae huiusmodi amplitudinem illius prior provincialis pro tempore existens iuxta regularia dictae provinciae instituta omnes conventus infra biennii huiusmodi spatium per duas vices commode visitare nequit, prout experientia compertum est, ad augendam confirmandamque regularem disciplinam praefixum tempus duorum annorum huiusmodi ad aliud nobis benevisum tempus per nos ampliari summopere desideret, nobis humiliter propterea supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Antoninum magistrum generalem specialibus

favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de caetero non obstante decreto eiusdem capituli provincialis anno 1538 celebrati edito, et a memorato Paulo praedecessore confirmato, per quod capituli provincialis huiusmodi celebratio de biennio in biennium praescripta reperitur, et prior provincialis per biennium dumtaxat munus ei demandatum explere debet, de triennio in triennium celebrari debeat, et prior provincialis provinciae Lombardiae huiusmodi in primo capitulo provinciali dictae provinciae in civitate nostra Bononiensi proxime habendo eligendus, per triennium munus sibi demandandum explere possit, et sic de triennio in triennium futuris temporibus capitulum provinciale huiusmodi habeatur et celebretur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, servata tamen in reliquis forma et dispositione earumdem literarum Pauli praedecessoris praedicti volumus et praecipimus ac mandamus. Ita tamen ut prior provincialis in nupero dictae provinciae capitulo, ut praefertur primo loco in dicta civitate celebrando eligendus, et alii inposterum intra trium annorum spatium omnes provinciae huiusmodi conventus visitare per duas vices teneantur, dictaque provincia et conventus duo dumtaxat subsidia ea de causa impendenda subministrare et suppeditare debeant. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus dictis Pauli praedecessoris praedicti literis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscum-

que. Volumus autem, quod earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu dicti Antonini magistri generalis seu secretarii generalis subscriptis et sigillo dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 14. decembris 1748, pontificatus nostri anno nono.

D. card. Passioneus.

Benedictus pp. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Bremond, magister generalis ordinis fratrum praedicatorum, quod provincia Lombardiae dicti ordinis duos in s. theologia magisterii gradus, unum nempe simplicis magisterii absque voce, loco et praeeminentiis, reliquum vero cum voce, loco, praeeminentiis, honoribus ac privilegiis solitis et consuetis iuxta antiquam et hucusque observatam consuetudinem conferre solet, et provinciae huiusmodi professores pro assequendo simplicis magisterii praedicti gradu per quindecim annorum spatium lecturam actualem explere debent, tempusque huiusmodi iam dudum praescriptum a congregatione super disciplina regulari a fel. rec. Innocentio pp. XII., praedecessore nostro, specialiter deputata die 16. iulii anno 1696 per suum editum decretum confirmatum remansit. Quoniam autem dictus Antoninus magister generalis considerans, quod, si ratio habenda sit consuetudini caeterarum provinciarum dicti ordinis, in quibus illarum professores absolutis decem aut duodecim annis lecturae ad gradum eiusmodi simplicis magisterii promoti sunt, adeoque tempus quindecim annorum pro eadem Lombardiae provincia, ut praefertur praescriptum, praefinitumque iusto longior existit, si utilitas vero studiorum inspicienda sit, illud ipsis studiis potius praeiudicium quam utilitatem affert, quippe quod simplices magistri huiusmodi, qui ad cathedras studiorum generalium deinceps promovendi sunt, iam senes facti, quando ad munus regentis seu baccalaurei studiorum huiusmodi promoventur, ob eorum ingravescentem aetatem scholasticas exercitationes non ita feliciter explere queunt, prout explerent, si munus praedictum eis in iuvenili eorum aetate demandari contingeret. Ac proinde dictus Antoninus magister generalis hisce incommodis consulere sibique in praemissis opportune provideri et ut infra indulgeri summopere desiderat. Nos piis eiusdem Antonini magistri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit,

ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tempus quindecim annorum pro consequendo simplicis magisterii gradu lectoribus huiusmodi provinciae Lombardiae iamdudum praefinitum et a memorata congregatione, ut praefertur, confirmatum ad duodecim dumtaxat annorum spatium, dummodo tamen dictae provinciae professores philosophiae et s. theologiae lecturam pro assequendo simplicis magisterii gradu praedicto praescriptam per duodecim integros annos in conventibus studiorum ab ipsa provincia approbatis realiter et cum effectu expleant; qua expleta et absoluta, ad simplicis magisterii gradum, servatis servandis, promoveri et promoti illum consequi possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, reducimus et imminuimus. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstanti memorato decreto supradictae congregationis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et ordinis praedicatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu eiusdem Antonini magistri generalis seu dicti ordinis secretarii subscriptis et ordinis praedicti sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 19. decembris 1748, pontificatus nostri anno nono.

D. card. Passioneus.

2. Ut fere neglectum sacrorum canonum studium in maximum theologiae subsidium ac rei nostrae literariae augmentum restituatur, volumus et decernimus, ut lector s. scripturae in nostro generali studio Bononiensi per biennium quotidie legat institutiones canonicas novitiis historiae ec-

clesiasticae auditoribus; diebus vero profestis consuetam habeat s. scripturae interpretationem. Biennium autem praefatae lecturae pro triennio suffragaturum huiusmodi professoribus pro magisterio simplici decernimus ac declaramus.

3. Laudabilem lecturam, quam integro novennio ante lauream simplicis magisterii et quadriennio post eandem lauream exercuit Brixiae apud patres congregationis oratorii r. p. m. fr. Seraphinus Maccarinelli, vicarius generalis s. officii Bononiae, acceptamus pro exercitio magisterii studentium et baccalaureatus ordinarii, eumdemque in magistrorum numerum cum loco et voce admitti volumus et declaramus. Iam̃ vero cum ad eandem cathedram regendam evocatus sit r. p. m. fr. Faustinus Lucchi, studentium magister, eidem valiturum decernimus praefatae lecturae triennium pro gradu magisterii cum loco et voce, ac si regentis vel baccalaurei munere perfunctus fuisset.

4. Cum, universo approbante et plaudente diffinitorio, rm̃us p. magister ordinis publice commendaverit rectam religiosamque novitiorum conventus Bononiensis institutionem et singularem in primis modestiam, qua in hisce comitiis se se cunctis spectandos exhibuerunt, placuit patribus eorumdem magistrum p. lect. fr. Maurum Bonesi gaudere deinceps voce activa in capitulis provincialibus atque iis omnibus praerogativis, quae ex vi nostrarum legum iis debentur, qui id muneris rite ac laudabiliter definito tempore exercuerint.

Pro provincia Romana.

Committimus rm̃o p. magistro generali, ut apud sanctam sedem promoveat causam cultus immemorabilis b. Andreae Franchi, ordinis nostri, olim episcopi Pistoriensis.

Pro provincia Regni.

1. Confirmamus ordinationem in capitulo provinciali Neapoli 1746 factam et a rm̃o magistro ordinis fr. Thoma Ripoll confirmatam, qua statuitur, ut lectores, postquam in aliquo seminario, ubi exercitationes scholasticae vigent, per octo annos legerint, nihilominus adhuc teneantur munus baccalaurei aut regentis in aliquo studio generali aut collegio subire, priusquam petitionem ad gradum magisterii praetendant; ut autem petitionem obtineant ad gradum baccalaureatus in capitulo provinciali, secum deferant literas testimoniales manu propria subscriptas ab omnibus lectoribus seminarii illius et eorum iure iurando firmatas, quod revera per octo annos seminarii alumnos aut convictores docuerint aliisque scholasticis exercitationibus operam navaverint.

2. Confirmamus, quod alias sancitum est, et districte inhibemus, ne superiores conventuum et s. theologiae lectores tempore quadragesimae absint a conventibus concionum causa, nec eas habere possint nisi diebus

festivis, vel si quotidie in eodem loco id fiat, absque regiminis et lectionum intermissione, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

3. Ne minus idonei ad caetera studia, ab iisdem dispensati et absoluti, otio et desidiae se committant, volumus et mandamus, ut iisdem assignetur lector casuum conscientiae, quem per triennium audire teneantur, atque ad id, quatenus opus fuerit, a superioribus conventuum poenis adigantur.

4. Statutis et ordinationibus pro studio generali s. Dominici Maioris Neapoli iam pridem factis atque in unum collectis et a rmo magistro ordinis fr. Thoma Ripoll 1747, die 25. augusti, approbatis confirmationis nostrae robur adiungimus easque omnino servari praecipimus.

5. Inhibemus, quempiam deinceps postulari ac promoveri ad gradum praedicatoris generalis, qui philosophiam per triennium et theologiam per quadriennium in aliquo approbato studio non legerit, et sacras conciones ut minus per tres quadragesimas quotidie in civitatibus aut locis conspicuis laudabiliter non habuerit.

Pro provincia Hungariae.

1. Inhaerentes ordinationi 4. capituli generalis Bononiae 1725 pro studiis, districte praecipimus lectoribus huius provinciae, quippe quae inter haereticos versatur, ut breviter et perspicue versatis scholasticis quaestionibus, iis interserant suis locis praecipuas fidei controversias atque celebriores quaestiones theologiae positivae vel ad s. scripturam vel historiam ecclesiasticam pertinentes.

2. Ut in hac provincia capitulum provinciale consueto tempore celebretur, prorogamus p. m. provinciali huius provinciae officium suum usque ad dominicam « Deus qui errantibus ».

Pro provincia Teutoniae.

1. Mandamus, observari ordinationes, quibus in hac provincia sancitum est, ut fratres omnes medietatem omnium sive ex annuo vitalitio sive quovis alio titulo acquisitorum fideliter conferant ad usum communitatis et vestiariae, sin minus omni vestiario sint privati.

2. In proponendis ad gradum praedicaturae generalis non tam annos quam merita atque insignes praedicationes attendi volumus ab illis, ad quos postulationes ad gradus pertinent.

3. Confirmamus id, quod alias in capitulo generali Romae 1686 num. 7. pro hac provincia decretum est, et in capitulo generali Romae 1721 confirmatum, ut patres lectores primarii in studio formali Osnabrugensi in ordine ad gradus aequales habeantur patribus baccalaureis ordinariis studiorum generalium, eo quod pares subeant labores.

4. Erectionem vicariatus Gronaviensis in prioratum a capitulo generali Bononiae 1725 ob duodenarium numerum religiosorum in eo degentium factam confirmamus.

5. Concedimus patri provinciali pro tempore, attento exiguo religiosorum operariorum numero, facultatem, qua possit confessarios monialium in suo officio confirmare, quoties expediens iudicaverit, salvo tamen iure magistri ordinis hanc confirmationem ad se avocandi.

Pro provincia Poloniae.

1. Inhaerentes decreto rm̃i magistri ordinis fr. Thomae Ripoll fel. rec. inhibemus, ne studentes in studio generali in examine pro lectoratus munere reprobati, rursus in alio studio generali examinentur.

2. Confirmamus erectionem studiorum generalium Cracoviensis et Varsaviensis, necnon studiorum formalium huius provinciae, videlicet Lublinensis, Posnaniensis, Luceoriensis, Premysliensis, Gedanensis et Thorunensis.

3. Ob multitudinem lectorum in hac provincia concedimus, ut pro gradu praesentaturae obtinendo sufficiat peractum quadriennium in lectionibus theologicis, ut et caeteris detur locus legendi theologiam, ad quam legendam prae caeteris assumantur, qui in studio aliquo generali metaphysicam legerunt.

4. Ad officium baccalaurei ordinarii non assumantur, nisi qui officium magistri studentium expleverint; similiter non assequantur officium regentis, nisi qui baccalaurei ordinarii officio functi fuerint.

5. Ut moderamen imponatur concedendis stubellis, ut vocant, quarum pluralitas conventibus est perniciosa, mandamus, ut qui hoc praetextu cameras priorales occupant vel sumptibus conventuum reparatas inhabitant, privilegio stubellae priventur.

6. Inhaerentes variis ordinationibus dudum factis inhibemus, ne fratres discoli ad parvos conventus assignentur, sed ad maiores, ubi observantia viget, omnino mittantur.

Pro provincia Aragoniae.

1. Declaramus, ordinationem rm̃i p. magistri generalis fr. Antonini Cloche fel. rec., qua lectoribus moderantibus cathedram moralis theologiae in coenobio Tarraconensi concessum est, ut in postulationibus ad gradus aliis praeferantur, intelligendam esse, si meritis pares caeteris sint.

2. Ne bibliothecam coenobii Barcinonensis s. Catharinae virginis et martyris a rm̃o p. mag. generali fr. Thoma Ripoll piae rec. singulari charitate et beneficentia restitutam, auctam, publicae utilitati oblatam atque optimis sanctionibus congruentibusque reditibus ad diuturnitatem constabilitam, e statu facile decidere contingat, mandamus in virtute Spiritus sancti, s. obedientiae et sub formali praecepto, necnon sub poena privationis vocis activae et passivae r. adm. p. priori pro tempore caeterisque ad idem coenobium quandocumque et quomodolibet pertinentibus, ne quidquam in posterum violare aut immutare tentent, eorum praesertim,

quae probantibus patribus a consiliis pro ipsa bibliotheca iam sancita fuere. Simul vero sub eodem praecepto et poenis r. p. bibliothecae pro tempore praefecto iniungimus, ut, ne quis unquam huius ordinationis ignorationem praetendat, in bibliothecae penitiori cubiculo illius apographum sub aspectum exponat, atque, si temporum iniuria a praescriptis vel minimum discedi cognoverit, id continuo rm̃o magistro ordinis pro sua prudentia provisuro significet.

3. Ut vero deinceps in postulationibus ad gradus ratio benemerentium satis commoda haberi possit, neque ob postulatorum multitudinem locus alios in dies opportune postulandi praepediatur, hanc deinceps in eiusmodi postulationibus pro unaquaque regionum, per quas distribuuntur gradus, ordinamus et concedimus iniri rationem. Pro regione Catalonica fas erit postulare ad gradum magisterii quinque; ad praesentaturas titulo lectionis sex; ad praesentaturas titulo praedicationis duos; ad praedicaturas generales sex. Eundem prorsus in omnibus numerum pro regionibus cum Aragoniae tum Valentiae postulandorum definimus. Pro regione vero Balearis insulae seu Maiorica ius esse volumus postulandi ad magisteria tres; quatuor ad praesentaturas titulo lectionis; ad praesentaturas titulo praedicationis unum; ad praedicaturas vero generales duos. Pro Ebusio demum potestatem facimus postulandi ad praesentaturam titulo praedicationis unum, rursusque alium ad praedicaturam generalem. Haec autem ita decernimus intellectum iri, ut si reliqui fuerint aliqui ex postulatis in praecedentibus comitiis, qui, cum subsequentia habeatur, gradu adhuc ornati non fuerint, tot dumtaxat tum pro gradibus vacaturis postulari liceat, quot illis additi definitum superius pro singulis regionibus et unoquoque graduum genere postulandorum numerum aequabunt. Illud vero provinciam enixe hortamur, ut in postulandis ad gradus non benevolentia commendationis aut studii partium, sed tantum meritorum ratio habeatur.

Pro provincia Bohemiae.

Cum lectores primarii in studiis formalibus Brunensi et Pragensi ad s. Mariam Magdalenam pares labores subeant ac baccalaurei ordinarii in studio generali, concedimus huiusmodi lectoribus, ut in ordine ad gradum aequales habeantur baccalaureis ordinariis.

Pro provincia Provinciae.

1. Confirmamus praesertim pro hac provincia omnes ordinationes, quae saepius pro toto ordine factae sunt circa assignationes et remotiones fratrum ab illis etiam conventibus, quorum sunt filii, urgente rationabili causa.

2. Ordinamus, ut fratres, qui cum licentia rm̃i p. magistri ordinis ex illo conventu, cuius sunt filii, ad alterius conventus affiliationem se

transferunt, teneantur suae transfiliationis executionem conventui, a quo recesserunt manifestare, nec possint in posterum prima filiatione gaudere sine novo consensu originarii conventus.

3. Confirmamus dispensationes ab officio hebdomadarii per rmum p. m. generalem Ripoll concessas rr. pp. fr. Dominico Gortalis et fr. Ludovico Chabert. Poenas autem a legibus nostris latas infligendas omnino decernimus temerariis illis, qui ad saeculares personas pro impedienda et, quod peius est, etiam revocanda possessione huiusmodi gratiarum recurrunt.

4. Cum indignum sit religiosis viris et sacris canonibus vetitum saecularibus negotiis ac administrationibus immisceri, districte inhibemus omnibus huius provinciae fratribus sub quocumque praetextu qualemcumque administrationem et procurationem suscipere pro gerendis saecularium negotiis sive domesticis sive ruralibus.

Pro provincia Saxoniae.

1. Confirmamus numerum duodenarium magistrorum in hac provincia et declaramus, undecim ex his gradibus esse pro iis, qui in scholis laborant, et unum pro iis, qui praedicationis munus exercent.

2. Maiori patrum vocalium commodo prospecturi concedimus, ut capitula provincialia in posterum celebrentur in hac provincia dominica « Deus qui fidelium mentes ».

3. Declaramus, quod in posterum capitula provincialia celebrari possint etiam in conventu Ratisbonensi, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

4. Ut proximum capitulum provinciale consueto tempore celebretur, prorogamus tempus officii praesentis p. magistri provincialis usque ad dominicam « Deus qui fidelium ».

5. Studium materiale conventus Bambergensis ad petitionem provinciae erigimus in studium formale cum iisdem privilegiis, quibus studium Augustanum fruebatur, dum formale erat.

Pro provincia Dalmatiae.

1. Ordinamus, ut nullus possit promoveri ad gradum magisterii titulo praedicationis, nisi sit examinatus in lectorem et per quadriennium theologiam legerit et per decennium laudabiliter praedicaverit.

2. Mandamus, ut studentes studiorum causa missi ad alias Italiae provincias, absolutis studiis, ad nativam revertantur provinciam sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrenda.

Pro provincia Trinacriae.

1. Committimus rmo p. magistro generali promotionem causarum b. Petri de Ieremia et b. Iohannis de Liccio.

2. Ordinamus, ut in posterum patres lectores promoveantur ad le-

ctiones per concursum; cui si pater provincialis non poterit interesse, eum committat patribus moderatoribus studiorum generalium.

3. Attentis facultatibus nobis commissis a ss. d. n. Benedicto pp. XIV. per suum apostolicum rescriptum sub die 12. iunii huius anni 1748, et comperta nobis veritate narratorum in supplici libello, eidem sanctitati suae exhibito, nomine praefatae provinciae, decernimus, officium prioris provincialis eiusdem provinciae deinceps per triennium duraturum; quo tempore bis tantum prior provincialis conventus sibi subiectos visitare tenebitur, et duo consueta exigere ab iisdem subsidia, servatis caeteris de iure vel approbata consuetudine servandis.

Pro provincia Portugalliae.

Ordinamus capitulum provinciale differendum esse usque ad dominicam « Deus qui errantibus », sicut de provincia Hispaniae et aliis provinciis statutum est supra sub titulo provinciae Hispaniae.

Pro provincia Beticae.

1. Volumus, quatuor magisteria, totidem praesentaturas, anno 1740 huic provinciae concessa, omnino supprimi et suppressa revera intelligi, ita ut in eorum locum nemo possit deinceps postulari aut suffici.

2. Ordinamus, ut in posterum lectores theologiae a die publicationis actorum teneantur per duodecim annos theologiam legere, antequam postulentur ad gradus. Item lectores artium teneantur duos integros philosophiae cursus explere.

3. Ordinamus, ne iuvenes ad habitum et ordinem neque ad examen solitum fieri in conventibus ullo modo admittantur, nisi prius ab adm. r. p. m. provinciali pro tempore examinati fuerint, et huiusmodi examinis literas testimoniales exhibeant.

4. Reverenter acceptamus ad magisterium supranumerarium titulo praedicationis adm. r. p. m. fr. Narcysum Ghindos, auctoritate apostolica institutum.

5. Volumus, quod missionarii conventus Murciensis gaudeant privilegio, honoribus et exemptionibus, quibus lectores habituales theologiae gaudent in praedicto conventu, expleto tamen suae missionis duodecimo vel quartodecimo anno.

Pro provincia Germaniae inferioris.

Ordinamus ad petitionem provinciae, ut, dum aliquis iuxta alternativam nationum in capitulo provinciali est postulatus pro regentia primaria vel secundaria in aliquo studio generali, et acta illius capituli fuerint approbata, ipse autem postulatus tale munus obire noluerit, ius devolvatur ad nationem subsequentem.

Pro provincia Apuliae.

1. Inhibemus, ne studentes conventus Lyciensis accedant ad mona-

steria monialium praeterquam feria v. Coenae Domini et in die Parasceve ad missas cantandas, necnon in ultima die circularis expositionis ss. sacramenti ad eiusdem processionem.

2. Circa priorum officium veterem huius provinciae consuetudinem servandam decernimus, ut qui confirmati fuerint ante festum vel in festo Omnium Sanctorum, coepisse intelligantur sui prioratus biennium dominica II. post octavam Paschae praecedente; priores vero confirmati post festum Omnium Sanctorum intelligantur suum inchoasse biennium eadem dominica II. post octavam Paschae subsequente.

Pro provincia Calabriae.

1. Conventus s. Mariae de Columba et s. Dominici de Maida in prioratus formales erigimus, dummodo ibi duodecim fratres assignati existant.

2. Confirmamus id, quod alias a rm̃is magistris ordinis non semel statutum est, ut ab omnibus filiis conventus s. p. Dominici in Suriano vita communis exacte servetur, nec quispiam eorum peculium quodcumque habere possit, sed conventui omnino incorporentur qualescumque proventus, illi quomodocumque advenientes. Superioribus autem pro tempore eiusdem conventus sub poena suspensionis ab officio praecipimus, ut id omnino servari faciant et transgressores veluti a dicto conventu extraneos habeant ac severius in illos animadvertant.

3. Confirmamus ordinationem iampridem factam a rm̃o magistro ordinis fr. Antonino Cloche, qua sub formali praecepto cavetur, ne quispiam intra septa praefati conventus carnes comedere audeat, excepta causa infirmitatis, medicorum iudicio approbanda.

4. Ordinamus pro regulari observantia, ut prior et officiales agentes cum saecularibus habitent in superiori dormitorio, ut dormitoria inferiora sint penitus libera a saecularibus.

Pro provincia Hiberniae.

1. Ut fratres in missionibus Hiberniae alacrius ac ferventius prosequantur apostolicos labores, aliique ad hoc excitentur, superaddimus cuilibet nationi unum magisterium unamque praesentaturam titulo missionis.

2. Ut maiori patrum capitularium commodo consulatur, concedimus, ut in posterum capitulum provinciale celebretur sabbato ante Dominicam III. post octavam Trinitatis « Deus qui diligentibus ».

3. Declaramus, quod fratres curam animarum habentes et intra dietam conventuum, quibus assignati existunt, habitantes gaudeant voce activa in electione prioris illius conventus, salvis caeteris requisitis.

4. Quando in aliquo conventu non ex negligentia priorum, sed ob temporum calamitates pauciores quam tres sunt vocales ad eligendum priorem, provincialis de consilio magistrorum et exprovincialium illius nationis, in qua conventus existit, possit instituere priorem in illo.

5. Concedimus, ut in posterum diffinitor capituli generalis eligatur secundum alternativam quatuor nationum.

Pro provincia s. Vincentii de Chiappa et Guathimala.

1. Confirmamus ordinationes omnes rmorum magistrorum ordinis de Marinis et Monroy pro bono regimine huius provinciae factas.

2. Confirmamus praxim alternativae iuxta breve Urbani VIII., denuntiatum in capitulo Romano anno 1644.

3. Confirmamus ordinata a rmo p. mag. generali Ripoll die 7. septembris anno 1747 circa lectores conventus Guathimalae.

4. Praecipimus observari ordinationem 19. rmi p. magistri ordinis Monroy circa transfiliationem et delationem fratrum ex Hispania in praefatam provinciam.

5. Committimus rmo p. magistro ordinis ad examen revocare petitionem 5. praefatae provinciae Guathimalae circa promotiones ad gradus differendas, usquequo sint duo gradus vacantes, donec cum aequalitate possint fratres utriusque nationis postulari vel institui.

6. Confirmamus ordinationem capituli Valentini anno 1647 et aliam a rmo p. magistro ordinis Turco factam anno 1650, cuius etiam observantiam praecipimus circa contributiones, quae quotannis provinciae solvuntur.

7. Confirmamus omnes et singulas ordinationes, ac si de verbo ad verbum hic insertas a num. 21. usque ad num. 23. a rmo p. magistro ordinis Monroy factas ad mentem capituli memorati Valentini, spectantes tum ad iudicium subeundum a prioribus provincialibus, expleto suo munere, tum ad transmissionem rationis omnium datorum et acceptorum una cum actis capituli provincialis ad magistrum ordinis sub poenis ibidem latis.

8. Confirmamus ordinationem 3. capituli Valentini pro hac provincia emanatam circa regimen immediatum conventuum a patribus provincialibus cuique priori relinquendum.

9. Ordinamus, ut priores in administratione rerum temporalium pendeant a consilio graviorum patrum.

10. Committimus rmo p. magistro ordinis ad examen revocare petitionem 10. de Aethiopibus caeterisque non admittendis ad habitum.

Pro provincia Occitaniae.

Cum ad regularem observantiam et disciplinam maxime conferat religiosarum domorum decens status et reparatio, monemus ac praecipimus omnibus praesidentibus parvorum conventuum huius provinciae, ut toto zelo incumbant ad instaurationem et reparationem praedictorum conventuum, extendentes propterea privilegium in capitulo generali Bononiae an. 1725 concessum ad priores provinciales pro tempore huius

provinciae, quamdiu tamen rm̃o p. generali magistro expedire videbitur, dispensandi a privatione vocis in capitulo provinciali priores illos parvorum conventuum, qui conventus, quibus praesunt, insigniter instauraverint.

Pro provincia Nexsciovanensi in Armenia.

1. Denuntiamus, a sacra congregatione de Propaganda Fide emanasse decretum sub die 6. februarii an. 1748, quo non obstantibus quibuscumque ordini nostro conceditur facultas erigendi in civitate Smyrnensi hospitium et oratorium pro fratribus Armenis, ne cogantur in domibus saecularium vel alienis coenobiis commorari.

2. Districte inhibemus collectoribus annuorum fructuum ex censibus dictae provinciae quomodolibet provenientium, ne proprio arbitrio eos applicent vel distribuant, sed ea distributio fiat a provinciali pro tempore de consilio diffinitorii vel graviorum patrum eiusdem provinciae iuxta conventuum indigentiam. Quod si contingat more eiusdem provinciae novas in posterum fieri collectas, omnino volumus fideliter eas denuntiari magistro ordinis, eiusque nutu et arbitrio in provinciae utilitatem disponi.

3. Committimus p. provinciali de consilio graviorum patrum designare conventum pro novitiatu, districte prohibentes, ne quispiam alibi ad habitum ordinis recipiatur neque admitti possit, nisi a priore provinciali vel eius vicario rite examinatus et approbatus fuerit, eorum conscientiam onerantes, ut iuvenes seligant, quoad fieri poterit, idoneos ad studia et ad sacras missiones peragendas.

Pro provincia ss. Rosarii Philippinarum.

1. Commendamus laudabiles consuetudines ac confirmamus ordinationes primordiales huiusce provinciae, necnon quae emanatae sunt ab em̃o et rm̃o magistro generali Pipia et a rm̃o p. magistro generali Ripoll.

2. Gratias habemus provinciae pro laboribus et sumptibus, quibus ad tuendam et propagandam fidem catholicam occurrit in primis pro missionariis in imperio Sinarum et regno Tunkini.

Pro provincia Aprutina.

1. Ordinamus, ut superiores conventuum huius provinciae prompte omnino quotannis solvant pro rata annuum canonem debitum ven. archixenodochio s. Spiritus de Urbe iuxta taxam statutam in capitulo provinciali anno 1747 sub poenis in eodem capitulo constitutis.

2. Concedimus, ut lectores instituti in seminariis, in quibus omnes exercitationes scholasticae vigent, post examen ad gradus teneantur octo annis legere theologiam; quae lectio eis valeat pro officio magistri studentium et baccalaurei ordinarii, indeque a provincia petantur ad officium regentis.

Pro provincia Parisiensi.

1. Admodum r. p. provinciali huius provinciae eandem facultatem concedimus instituendi procuratorem cum socio iisdem modis et formis, quibus sub titulo de provincia Franciae ord. 2. expresse dictum est.

2. Rmo p. magistro ordinis pro hac provincia committimus, quae supra sub titulo de provincia Franciae num. 3. expresse commissa sunt.

Pro provincia Lithuaniae.

1. Concedimus huic provinciae, ut pro gradu magisterii valeat quadriennium sive in officio regentis sive in officio baccalaurei ordinarii peractum; pro gradu vero praesentaturae sufficiat quadriennium theologicae lectionis post praelectam philosophiam.

2. Confirmamus erectionem studiorum formalium iam alias factam in conventibus Grodnensi, Caunensi, Neswisiensi et Zabillensi, mandantes, ut in iisdem conventibus instaurentur aut erigantur novitiatus pro debita educatione novitiorum tam simplicium quam professorum.

Pro provincia Canariarum.

Reverenter acceptamus magisterium supranumerarium r. adm. p. m. fr. Iosepho Thomae Wadding, auctoritate apostolica collatum; item praedicaturam generalem r. p. lect. fr. Diaz Gomez.

Pro provincia s. Ludovici.

Committimus rmo p. magistro ordinis, quod dignetur apud s. sedem apostolicam impetrare celebrationem festi quinque plagarum d. n. Iesu Christi in singulis huiusce provinciae conventibus feria VI. post cineres; item celebrationem festi s. Ludovici regis cum octava solemni; item octavam solemnem s. Thomae Aquinatis, ut fit in provincia Tolosana.

Pro provincia s. Rosae.

Confirmamus in officio vicarii Lilleriensis ad quadriennium r. p. fr. Petrum Rosae.

Pro provincia Sardiniae.

1. Ut debita pluribus in hac provincia laborum praemia conferri possint, concedimus, ut ultra definitum numerum magistrorum et praesentatorum alius magisterii gradus et alter praesentaturae addatur.

2. Ordinamus, ut nullus ad presbyteratus ordinem admittatur, nisi per tres annos integros theologiam audierit, sublata superioribus provinciae facultate dispensandi.

3. Inhaerentes variis ordinationibus iam pridem factis, inhibemus, ne quis ad primum examen pro confessionibus excipiendis vel concionibus habendis admittatur, nisi ex studiorum regestis constet, ipsum optimis moribus praeditum esse ac philosophiam et per tres annos integros theologiam audivisse.

4. Ordinamus, ut novitii in conventibus dumtaxat a capitulo pro-

vinciali pro anno probationis designatis eumdem probationis annum incipiant et perficiant, sublata provincialibus aliquid in contrarium attentandi facultate.

Pro congregationibus universim.

Confirmamus, quod in postremo capitulo generali Bononiensi 1725 salubriter ordinatum est, ut congregationes a sancta sede non erectae nec confirmatae, sed sola ordinis facultate institutae, si a veteri ac primaevo regularis observantiae fervore desciscant, suis omnino provinciis reuniantur ac supprimantur.

Pro Congregatione s. Sabinae.

1. Confirmamus exacteque servari volumus primaevas omnes laudabilesque consuetudines atque ordinationes hactenus factas pro regularis observantiae custodia ac praesidio in hac nostra congregatione; vitam in primis communem fideliter servari volumus, quacumque singularitate prorsus eliminata.

2. Monemus atque in Domino vehementer hortamur huius congregationis pro tempore superiores, ut sacras missiones inter Armenos et Persas, in quibus plures eiusdem congregationis alumni magno religionis emolumento atque ordinis gloria iampridem usque ad sanguinem laborarunt, fovere ac promovere pergant, ac sibi subiectos fratres ad eas obeundas idoneos sedulo excitent, ad eamque vineam excolendam operarios designent.

3. Confirmamus, quae pro studio formali conventus s. Dominici Ferrariae a rm̃o p. mag. ord. fr. Thoma Ripoll sancita atque ordinata sunt. Volumus autem, neminem ex studentibus dictae congregationis posse alibi, excepto conventu s. Sabinae de Urbe, in lectorem aut praedicatorem vel pro confessionibus audiendis examinari et approbari, praeterquam in dicto Ferrariensi studio, nisi accedat specialis magistri ordinis facultas et dispensatio.

Pro congregatione s. Marci Florentiae.

1. Ut exactae legum nostrarum vitaeque communis observantiae, quam in singulis huius congregationis conventibus diligenter servari volumus ac foveri, studiorum fervor apprime respondeat, serio monemus patres ad solitam dietam convocandos, ut in designandis lectoribus eos potissimum praeferant, qui non solum aptiores literis, sed moribus praestantiores ac disciplinae cultu magis probati sint, ut verbo et exemplo discipulorum institutionem utilius promoveant.

2. Decernimus in lectores primarios et artium collegii s. Marci assumendos deinceps non fore nisi eos, qui in alio conventu eodem munere laudabiliter perfuncti sint, ac demum statuimus, ut tam ibi quam in aliis studiis omnino serventur ea, quae pro studiis universim a capitulis generalibus sancita sunt.

3. Districte prohibemus, quempiam deinceps ad habitum clericalem ordinis admitti in quocumque huius congregationis conventu, nisi prius ab adm. r. p. vicario generali pro tempore rite examinatus et approbatus fuerit.

Pro congregatione Sanitatis.

Committimus rmo p. magistro ordinis, ut apud sacram Rituum congregationem promoveri curet causam canonizationis ven. servi Dei F. Leonardi Fusco.

Pro congregatione Ragusina.

Confirmamus ordinationes praecedentis capituli generalis anni 1725 pro hac congregatione, et quae a rmo p. fr. Thoma Ripoll sub die 20. iulii 1741 specialiter decreta sunt circa privilegia et dispensationem a choro fratrum eiusdem congregationis, inviolabiliter servanda decernimus.

Pro congregatione Britannica s. Vincentii Ferrerii.

1. Confirmamus laudabiles consuetudines et privilegia huic congregationi a praecedentibus capitulis generalibus et a magistris ordinis concessa et confirmata.

2. Concedimus, ut intra congregationem vicarii et commissarii generales praefatae congregationis, etiam extra tempus actualis visitationis, in conventibus, in quibus ipsos contingit adesse, praerogativas habeant nedum honoris, sed etiam auctoritatis. Item quod omnes exvicarii et excommissarii generales locum habeant supra caeteros, qui vicarii et commissarii nunquam fuerunt.

3. Committimus rmo magistro ordinis, quod dignetur apud s. sedem apostolicam impetrare celebrationem festi s. Vincentii Ferrerii cum octava solemni in singulis conventibus eiusdem congregationis, sicut et dignetur impetrare apud eamdem sanctam sedem apostolicam festum translationis eiusdem die 6. septembris sub ritu totius duplicis, prout iampridem a capitulis generalibus concessum est.

Pro congregatione ss. Sacramenti.

Confirmamus omnes laudabiles consuetudines huius congregationis.

Pro congregatione s. Ludovici Bertrandi in Polonia.

1. Confirmamus erectionem huius congregationis sicut et gratias atque privilegia eidem a rmis magistris ordinis concessa.

2. Lectores, qui sexennio in studio formali Varsaviensi legerint s. theologiam, et illi qui ibidem, sexennio continuato, laudabiliter atque fructuose praedicaverint, habeant vocem in dieta.

Pro monasterio Pruliensi.

Confirmamus ordinationes a p. Vincentio Crest, tunc commissario et visitatore a rmo p. fr. Thoma Ripoll magistro ordinis delegato, pro

bono regimine huius monasterii factas die 12. februarii et ab eodem rm̃o magistro ordinis confirmatas die 19. martii 1733, duabus tamen exceptis, quarum una spectat medicum, altera silentii tempus, quas prudentiae p. prioris pro tempore existentis permittimus.

Suffragia pro vivis.

Pro ss. d. n. Benedicto pp. XIV. et pro felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro augustissimo imperatore electo Francisco I. eiusque augustissima coniuge ac serenissima prole q. s. u. m.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XV. ac serenissima coniuge regiaque prole q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Ferdinando VI. ac serenissima coniuge q. s. u. m.

Pro serenissimo rege Lusitaniae Iohanne V. eiusque serenissima familia q. s. u. m.

Pro em̃o ac rm̃o d. cardinali Nereo Corsini, ordinis nostri protectore, q. s. u. m.

Pro universo sacro collegio ee. ac rr. dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro bono totius ordinis eiusque capite rm̃o p. magistro generali ac sociis assistentibus et collaborantibus q. s. u. m.

Pro pace totius orbis christiani q. s. u. m.

Ubi sacerdotibus missa, clericis litaniae omnium sanctorum, conversis vero tertia pars ss. rosarii imponitur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima ss. d. n. Benedicti pp. XIII., ordinis nostri, q. s. u. m.

Pro anima em̃i et rm̃i dd. fr. Augustini Pipia, exgeneralis ordinis nostri, q. s. u. m.

Pro animabus em̃orum et rm̃orum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro adsumptorum, qui perpetuam eleemosynam capitulis nostris generalibus ex testamento legarunt, q. s. u. m.

Pro anima em̃i ac rm̃i d. cardinalis Casanate q. s. u. m.

Pro singulis animabus em̃orum ac rm̃orum dd. cardinalium fr. Gregorii Selleri, fr. Vincentii Ludovici Gotti, fr. Vincentii Ferrerii, fr. Aloysii Lucini, ordinis nostri, qui post ultimum capitulum generale obierunt, q. s. u. m.

Pro anima rm̃i p. fr. Thomae Ripoll, ordinis nostri generalis magistri, q. s. u. m.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot ab ultimo capitulo generali obierunt, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis vero tertia pars sanctissimi rosarii imponitur.

Damus rm̃o p. magistro generali omnem prorsus auctoritatem nostram circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare valeat, quae declaranda videbuntur; iustis de causis dispensare ac denique omnia facere, quae nos ipsi ac capitulum facere posset.

Denique universis et singulis provinciarum et congregationum seu vicariatuum praesidentibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae necnon sub formali praecepto mandamus, ut haec acta, cum primum ad eorum manus pervenerint, iubeant publicari, eorumque observationem urgeant; volentes, quod exemplaribus rm̃i magistri ordinis manu subscriptis et sigillo munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Antoninus Bremond, magister ordinis.

Loco † sigilli.

Fr. Emericus Langenwalter, provincialis Daciae, magister et socius.
Fr. Tomas Augustinus Ricchinius, magister, theologus collegii Casanatensis et prosocius.
Fr. Vincentius Maria de Francisco, magister et socius.

Elogia nonnullorum fratrum et sororum, qui ab ultimo capitulo generali aliqua opinione et fama virtutum in Domino obierunt.

Protestatio.

Apostolicae sedis decretis humiliter obsequentes, sancte religioseque praemonemus haec elogia ita a nobis proponi, ut nolimus a lectoribus accipi tanquam ab eadem sancta sede examinata et approbata, sed veluti historica monumenta, quae humanae dumtaxat fidei pondus obtineant.

In provincia Hispaniae.

1. Ill̃mus ac rm̃us p. fr. Franciscus Lasso de la Vega et Corduba, ex nobilissima comitum de Puerteollana familia genitus, in nostram adolescens cooptatus est. Positis religionis rudimentis, animum non tam scientiarum quam virtutum studiis excoluit; utrisque vero ita profecit, ut pietas cum ingenio et doctrina cum sanctitate in ipso certarent. Emenso in cathedris egregia cum laude studiorum cursu, et magisterii laurea insignitus, ad hominum salutem procurandam se se omnino convertit, eoque in munere tam sancte ac fervide versatus est, ut emendicato victu, eoque tenuissimo, contentus vicos et castella pedes circumiret, evangelizans pauperibus incredibili zelo et pari animarum emolumento. Magna erat in Deiparam Virginem observantia ac pietate, nulla ut de re frequentius ac iucundius

verba faceret, quam de illa rosarii precibus colenda, eademque pietate caeteros vehementer accendebat. Multis coenobiis praefuit summa cum prudentia et charitatis laude ac regularis disciplinae incremento. Cum vero eius nominis virtutumque fama pateret latissime, praedicator regius institutus, ad Septensem primum, mox ad Placentinam ecclesiam promotus est. Magnus plane vir in utroque episcopatu, in quo eum vitae cursum, quem in ordine inierat, continenter retinuit, addito earum virtutum splendorem, quae absolutissimum pastorem efficiunt. Disciplinam ecclesiasticam acerrime tenuit, utque omnes, quibus praeerat, ex ea viverent, verbo et exemplo magnopere laboravit. Sed magni in primis aestimata est eius in pauperes et divinum cultum liberalitas; nam subductis post eius mortem rationibus, largior etiam inventa est, quam amplissimi episcopatus Placentini census ferrent. Praeter multa restaurata templa et sacra supellectili instructa, Castroiuliense ordinis coenobium pene a fundamentis excitavit, magnifico templo, novis cathedris ac redditibus auxit, alia pleraque in montibus et saltibus construxit, proventibusque ad alendos ministros dotavit, ut agrestibus et gregum custodibus facilis ad res divinas pateret accessus. Puellarum etiam, viduarum, pupillorum aliorumque inopum egestati effusa prorsus largitate prospexit. Inter haec charitatis officia et episcopalis vigilantiae labores incredibili pauperum luctu et magno omnium desiderio ad superna praemia evocatus est anno 1739, immortali virtutum fama post se relicta.

2. In conventu Dominae nostrae de la Torre de Mombeltran anno 1743 sancto fine quievit illm̃us ac rm̃us p. fr. Petrus de Ayala, episcopus quondam Abulensis, catholico regi a consiliis, et fel. rec. Clementis pp. XII. in Hispaniarum regnis nuntius apostolicus cum facultate legati a latere, ac iurium s. sedis collector generalis. Vir fuit omnium virtutum gloria cumulatus; amore in Deum et proximos flagrante et actuoso pietatis ac religionis studio ardentissimo, animi magnitudine, scientia et prudentia singulari, intenta in omnes partes vigilantia, aliisque tam multis tam eximiis animi dotibus instructus, ut pares suo aevo habuerit paucos, superiorem vero neminem. Ecclesiae Abulensi praepositus, adeo veterum ecclesiae pastorum vestigia pressit et sanctitatem aemulatus est, ut iisdem omnium iudicio par vulgo haberetur. Privatae religiosaeque vitae studio ac tanti oneris deponendi cupiditate incensus, episcopatu se abdicare constituit, quod, ne permitteretur, dato ad regem catholicum supplici libello, omnium ordinum Abulenses summis votis enixe postularunt. Ille tamen propositi tenax ad priorem religiosae vitae consuetudinem regressus in sacris exercitationibus, iugique rerum aeternarum contemplatione reliquum tempus consumpsit, vitamque sic religiosissime obitam mors comparatissima excepit, quam consecuta ferunt supra naturae ordinem signa viri

sanctitatem omnium sensu commendatam probantia. Eius vitae gesta iam typis pervulgata circumferuntur.

3. In conventu s. Thomae Matritensi claruit p. m. fr. Stephanus Rodriguez, pietate ac religione magis quam sanguinis nobilitate illustris. Ordinem ingressus, dum in studia et literas incumberet, nihil praetermisit eorum, quae ad accuratiorem disciplinae regularis custodiam pertinent; quae etiam ut in coenobio Complutensi et altero Valverdensi, quibus praefuit, reflosceret, plurimum laboravit. Erat enim cum eximia charitate praeditus tum ardenti zelo in desidibus corripiendis caeterisque in officio continendis. Inquisitionis officium annuente rege catholico suscepit ac strenue obivit magno religionis commodo et incremento. Quibus aliisque rebus, etsi magnopere occupatus erat, multum tamen temporis in orationibus aliisque piis religiosisque exercitationibus impendebat, in quibus ad mortem usque perseveravit, quae exactae vitae rationibus non absimilis magnam ei virtutum opinionem conciliavit.

4. In monasterio Visitationis s. Mariae Methimnae a Campo mira enituit sanctimonia et asperitate vitae soror Francisca a Spiritu sancto, conversa. Nam praeter legum nostrarum accuratissimam observationem corpus in singulas noctes cruentis tundebat flagellationibus, asperoque cilicio et catena ferrea, necnon cruce aculeorum plena divexatum brevi admodum somno nudae tabulae commendatum curabat. Cibi parcissima illum saepe pane et frigida definiebat, saepe dies impasta traducebat, carnibus vero et lacticiniis utebatur nunquam. Arctioris paupertatis, obedientiae summae, sui ipsius contemptus et abnegationis, charitatis in omnes effusae aliarumque virtutum studiosissima fuit; sed enituit in primis eximia eius cum divina voluntate conformatio, qua diuturnos acerrimosque cruciatus hilari invictoque animo toleravit; inter quos tandem Crucifixi imaginem cupidissime complexa, ad eiusque amorem se se excitans, sanctissime decessit annos nata tres supra triginta.

5. In monasterio regali s. Dominici Toletani claruit soror Maria Guttierrez de Velasco, magnae patientiae et constantiae exemplum; nam corruptorum ossium acerbissimos dolores tam fortiter tolerabat, ut ne tum quidem cum ferro et igne vulnera contrectarentur, ullam ederet doloris significationem. Ita se ad superiorum arbitrium nutusque finxerat, ut ne alimentum quidem nisi ex obedientia sumere vellet. Illud saepe coram Christi crucifixi imagine repetebat, nihil vehementius cupere quam mori aut pati pro eius voluntate. Voti compos effecta, et diu forti animo passa est, et mortem laetissima aspexit, a qua vultus illi pulchrior ac serenior illuxit, quam viventi fuerat, caro vivida et tractabilis, ut omnes raperet in admirationem.

In provincia Lombardiae.

1. Benedictus XIII. P. M., antea fr. Vincentius Maria Ursinus, nobilissimae Gravinae ducum familiae primogenitus, posthabito amplissimo principatu, Venetiis in conventu s. Dominici ordini nomen dedit, ibique sacris votis obstrictus est. Annum agens vigesimum tertium philosophiae lector Brixiae designatus ac Bononiae agens S. R. E. cardinalem a Clemente X. se renuntiatum intelligens, lacrymis, precibus, fuga eminentissimum honoris gradum a se deprecatus est. At interposito generalis magistri ordinis praecepto humiliter paruit, ac Romam profectus Cesenae episcopus, mox Sipontinae ac demum Beneventanae ecclesiae archiepiscopus designatus, regularis vitae consuetudinem cum amplissima dignitate ita coniunxit, ut legum nostrarum observationem ad mortem usque constantissime retinuerit. Anno 1724, effusa catholici orbis gratulatione ad apostolicae sedis fastigium evectus partes omnes implevit pontificis sanctissimi et cum veteribus facile comparandi. Nihil in eo non eximium, non religiosum, non sanctum, quod vel ipsi admirarentur haeretici ac summis ubique laudibus praedicarent. Humilitate tamen eximia et caritate incomparabili virtutes caeteras, quibus omnium oculos in se converterat, vicit prorsus ac superavit. Ad immortalem vitam, quam sibi innocentissimis moribus comparaverat, revocatus est 9. kal. martii anno 1730, aetatis suae 82. Eius sanctitatis fama per omnium ora latissime pervagata est ac plurimis signis ita declarata, ut super eiusdem vita ac virtutibus iam parentur ecclesiae ritu institutoque processus, ingenti sane spe sanctorum ordinis fastos ipsius nomine augendos, qui, dum viveret, eidem ordini decus addidit sempiternum.

2. P. fr. Dominicus Maria Ricci Caesenas, conventus s. Catharinae apud Formellum Neapoli alumnus, vitam suam ad s. p. Dominici exemplar plane componere visus est. Legum omnium diligentissimus custos, carnes ne infirmus quidem absque superioris praecepto comedit. Loquendi parcus, secessus ac solitudinis amator, orationi iugiter deditus, in se ipsum severissimus fuit. Ter singulis noctibus, quas in ecclesia fere ducebat insomnes, se flagellationibus cruentabat, catena ferrea asperoque cilicio semper praecinctus, ac storea pro lecto usus. Sui despicientissimus vilissimis sese ministeriis crebro exercebat. In adversis tolerandis patientiae incomparabilis, in proximos praesertim aegrotantes charitatis effusae. Animarum zelo vehementer accensus earum saluti procurandae se se modis omnibus impendebat. Quapropter peractis fervore summo in urbe Abellinensi sacris missionibus anno 1733, laboribus fractus, septuagenario maior, obdormivit in Domino, relicta ingenti virtutum fama, quibus commendata viri sanctitas nonnullos permovit, ut ad eius opera confugerent, qua multa a Deo impetrasse affirmarunt.

3. Forolivii in monasterio s. Catharinae claruit eximia virtutum et sanctitatis laude soror Maria Innocentia Aloysia ex praenobili Ursellorum familia, ex qua etiam prodiit ven. p. fr. Franciscus Urselli, ordinis nostri, vitae sanctimonia ita praeclarus, ut eius corpus in ecclesia nostra Foroliviensi conditum, sacrae Rituum congregationis decreto prope sepulchrum b. Iacobi Salomonii translatum sit atque elevatum. Illa agnati sui institutum professa, virtutesque aemulata, brevi innocentissimae vitae cursu explevit virtutum usu tempora multa. In ipso religiosae vitae tyrocinio perfectionis apicem attigisse visa est, heroica sui ipsius abnegatione, obedientia summa, acerrima carnis per cilicia, verbera, inediam, vigilias castigatione et tanta sui despicientia, ut se omnium vilissimam non haberet solum ac praedicaret, sed prorsus horreret. Iugi atque altissima in Deum contemplatione defixa eius amore impensissime aestuabat, illud continenter usurpans: Cor Iesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui. Gravissimis tentationibus ac diuturna spiritus desolatione probata, ac non tantum oppressa tulit incredibili constantia cruciatus animae omni agone duriores. Pro sua in proximos flagrantissima charitate, dum aegrotantium sororum ministerio sese totam devovisset, epidemico ac lethali morbo correpta ad agni nuptias evocata est anno 1737, aetatis suae 25., professionis 8. Eius mortem gratia curationum aliaque signa consecuta sunt. Quare ordinarii auctoritate eius vitae gesta in publicas tabulas relata sunt, eiusdemque decreto vigesimo ab obitu mense eius corpus in nobiliorem locum translatum. Vitae historia typis Foroliviensibus edita ac pervulgata est anno 1741.

4. P. fr. Antonius Maria Tacchetti, coenobii Veronensis alumnus, severioris disciplinae cultor, apostolico zelo a primis annis accensus, vix presbyterio initiatus, sacrae praedicationi admotus est, cui operam dedit per insigniores Italiae urbes annis fere 40 copiosa animarum fruge. In earum salutem intentissimus, nullam iis opitulandi occasionem elabi patiebatur. Sermonibus, consiliis, confessionibus, epistolis, omni demum charitatis opere sese illis impendebat. Cum ea proximorum cura oppido sollicita orationis studium ita coniunxit, ut assidua Dei praesentia et consuetudine frui videretur. Magno affectu in Deiparam Virginem fuit, nulla ut de re iucundius verba faceret, eratque in eius laudibus ita disertus, ut ad eius cultum omnes vehementer accenderet. Quo vero suae erga tantam reginam observantiae ac pietati indulgeret uberius, apud Lauretanam ipsius aedem hospitii nostri vicarium egit annis pluribus, quotidianus virginis cultor ac praedicator eximius. Carnem suam, etsi senio confectam et laboribus attritam, iugi maceratione exercebat. Paupertatis studium ita coluit, ut pro communi cibo, veluti qui stipem accepisset, gratias superiori et apponentibus humillimas redderet; obedientia ita emi-

nuit, ut superiorum imperia tam prompte capesseret, tam integre constanterque adimpleret, acsi Dei loquentis iussa accepisset. Modestia, temperantia, contemptu et abnegatione sui ita praestitit, ut in earum virtutum exemplar caeteris proponeretur. Invictae demum patientiae cum alias saepe tum in supremo vitae morbo argumentum eximium dedit, toleratis incredibili aequitate acerbis cruciatibus ex viroso ulcere in sinistro pede, cui cum iugi carnis praefectione occurrendum foret, nihil eius vultu animoque tranquillius, non aliis unquam editis doloris significationibus, quam iis verbis: Deus meus, misericordia mea. Mortis demum nuntio laetissime accepto ac sacris omnibus religiose procuratus, anno 1741 ita decessit, ut qui semper vixerit ad moriendum paratus. Vulgato eiusdem obitu conferta atque ardens Veronensium multitudo certatim in feretrum irrumpentium cum vix humando corpori locum daret, clam festinare noctu sepulturam coegit, eius reliquias expetentibus cunctis, ac viri sanctimoniam effuse praedicantibus.

5. Neapoli in conventu s. Catharinae apud Formellum pie sancteque decessit anno 1746 r. fr. Dominicus Venticenti, Panormitanus coenobii s. Citae alumnus. Humanis divinisque literis apprime excultus usque adeo pietati ac severiori virtuti operam dedit, ut praeter diligentissimam legum nostrarum custodiam corpus alioqui viribus parum firmum omni adflictationum genere divexaret, multisque ieiuniis, flagellationibus ac vigiliis subacto et attrito vix paululum quietis super nudis indulgeret asseribus. His ille praesidiis iugique orationis studio eximiam vitae innocentiam illibatumque castitatis nitorem est assecutus. In proximorum utilitatem incitatissimus non valetudini, non tempori, non labori parcebat, quo iis operam omnem impenderet. Quare in excipiendis confessionibus, in erudiendis christiana catechesi imperitis, et quo plurimum valuit, in dirigendis informandisque christiana perfectione animis continenter occupabatur. Octo annos in praefato Neapolitano conventu summa omnium commendatione versatus est, ubi cum integram noctem, quae sextam maioris hebdomadae feriam praevertit, orando in ecclesia transegisset, in febrim incidit, qua brevi extinctus est. Itaque in lecto, contra ac sueverat, iacere coactus, in dolorum Christi contemplationem defixus, bonae spei plenus mortem laetissime aspexit. Funus magna frequentia celebratum est, utque erat apud omnes eximia sanctitatis opinione, eius quisque reliquias ad viri memoriam et venerationem avidissime expetebat.

In provincia Romana.

1. Soror Maria Columba de Tondis Balneariae, quod est agri Viterbiensis oppidum, honestis parentibus orta, a septimo usque aetatis anno ardentissimo dominicani instituti desiderio flagrans, post susceptum gestumque in paterna domo per quinquennium tertii ordinis habitum, Vi-

terbii in monasterium s. Dominici admissa solemnem professionem emisit. Angelica vitae puritate et innocentia, altissimae contemplationis dono aliisque supernis charismatibus plena, virtutum omnium exemplar in eo vixit mensibus circiter viginti. Diuturna ac gravi a Deo infirmitate probata ad sponsum evolavit die 26. novembris 1731, aetatis suae 25. Eius funus episcopi et capituli Viterbiensis praesentia atque incredibili aliorum concursu honestatum est, mirantibus cunctis, eius cadaver omni ex parte flexibile suavissime olens faciemque eius venustissima specie subridenti similem vividoque colore distinctam. Miraculorum, quae post eius mortem plurima circumferuntur, vitaeque ac virtutum ipsius ab ordinario inquisitio instituta ac rite absoluta est.

2. Soror Maria Paula de Tentis, tertiaria, crucis Christi amantissima, diuturnis persecutionibus ac longa infirmitate probata, mirabilis patientiae, humilitatis et obedientiae specimen praebuit, atque ibidem cum opinione virtutis decessit anno 1747, aetatis suae 67.

3. Soror Maria Geltrudes Salandra, Romae honestis parentibus orta, in Viterbiensi s. Catharinae virginis et martyris monasterio ordinis professa, ob eximiam, quam sibi comparaverat prudentiae et sanctitatis opinionem, ad erigendum novum ordinis monasterium Valentani, quod est dioecesis Montisfalisci oppidum, sacrae congregationis Episcoporum ac Regularium decreto translata est. Gravissimis laboribus ac persecutionibus in ea erectione per annos septemdecim conflictata, Deo benedicente, opus feliciter perfecit, et sacras virgines sub eius institutione positas, ad omnem sanctioris vitae perfectionem verbo et exemplo formavit. Summo in pretio a principibus cum seculi tum ecclesiae viris habita, omnibus eius opem consiliumque poscentibus cum voce tum literis caelesti sapientia plenis praesto erat. Opinio est donis supernaturalibus collustratam, multa arcana Deo revelante cognovisse. Demum post diuturnam infirmitatem patientissime toleratam, ea verba proferens « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est », placidissime obiit anno 1748, aetatis suae 57. Eius corpus, quo populorum ad illud accurrentium devotioni fieret satis biduo insepultum remansit, atque in Valentani monasterio religiose servatur, ad Viterbiense s. Catharinae monasterium, quemadmodum illa adhuc vivens superiorum decreto constituerat, aliquando transferendum.

In provincia Regni.

1. P. fr. Ludovicus Fiorillo, regalis conventus s. Dominici Neapoli filius, primum saecularis sacerdos, annos natus 38 ordinem nostrum in Salernitano conventu professus est. Mox ab episcopo s. Agathae Gothorum seminarii sui clericorum institutioni praefectus, deinde a cardinali Caracciolo, Aversae episcopo, arcessitus, utramque dioecesim egregiis laboribus illustravit. Vir eximiae puritatis, patientiae ac morum suavitatis,

vere mitis et humilis corde. Flagrantissima in Deum ac proximum charitate animarum saluti se se totum devovit. Morum scientia in paucis excellens, conscientiarumque moderator et arbiter prudentissimus vulgo habebatur. Ad eum consilii causa e remotis etiam regionibus gravissimi viri atque ecclesiarum praesules confugiebant, eiusque consilia veluti oracula excipiebantur. Ut in Neapolitano regno missiones perpetuo haberentur, annuos redditus ex fidelium oblationibus constituendos curavit. Ipse vero accitis variis ex ordine nostro sociis, eas pluribus in locis incredibili animarum fructu peregit. At dum apostolico muneri in civitate Abellini operam sane fervidam daret, laboribus fractus, febribus ac doloribus consumptus, quod a Deo iugiter postulaverat, ut eo in munere spiritum redderet, laetus obtinuit anno 1737, aetatis suae 67. Summa cleri populique frequentia eius corpus ibidem in ecclesia ordinis tumulatum est, eius vestium reliquiis ab omnibus requisitis, quibus insignes curationes aliaque in dies beneficia obtineri perhibentur.

2. P. fr. Thomas Oliverius, Campanus, conventus s. Dominici Caietae alumnus, per annos 42 novitiorum institutioni praefuit in conventu s. Birgittae Pausilippi prope Neapolim, quos verbo et exemplo ad s. p. Dominici leges et mores egregie formavit. Amore in Deum ferventissimo fuit. In proximos suavissimus effusaeque miserationis atque pietatis. In se ipsum severus, immitis et asper, solis fere vivebat oleribus, ieiunia nec relaxabat infirmus, cruentis flagellationibus in se quotidie saeviebat. Rigidioris paupertatis cultor tum maxime laetus, cum sibi vel necessaria deficerent. Somni parcissimus, semper indutus, solis ac nudis cubabat asseribus. Choro et nocturnis vigiliis, a quibus abfuit nunquam, cum in extrema infirmitate interesse vetaretur, media nocte e somno excitatus, per novitiorum manus in commune dormitorium ferebatur, ut b. virgini, quam tenerrime venerabatur, laudes persolveret. Optatissimam sibi diem vitae supremam adventantem prospiciens in communi capitulo sterni voluit, ac sensibus integer in crucifixi imaginem immotis luminibus fixus sancto fine quievit anno 1740, aetatis suae 77. Eius corpus fidelium devotioni ad illud confluentium per dies aliquot expositum est, mox arca lignea inclusum ac tumulatum consignata literis eius virtutum memoria in benedictione semper futura.

3. P. fr. Vincentius Pisapia, conventus ss. Rosarii alumnus, magna vir morum innocentia atque evangelicae simplicitatis, severioris disciplinae tenax in conventu Atripaldae vitam egit pluribus annis absconditam cum Christo in Deo. Cum rusticis, simplicibus ac parvulis ibidem conversatio eius. Eos rudimentis fidei imbuere, verbo et exemplo ad pietatem efformare, eorum confessiones excipere omni sollertia et charitate solebat. Ad conventum ss. Rosarii a superioribus translatus, exactissimae observantiae,

orationis assiduae, patientiae singularis, profundissimae humilitatis virtutumque omnium exemplar caeteris fuit. Octogenario maior nuntio mortis, quam triduo ante sibi praenuntiaverat, iucundissime excepto, signo crucis se muniens ac veluti in extasim raptus, placidissime excessit anno 1741. Eius corpus post triduum adhuc flexibile ingenti populorum concursu, eiusdem reliquias expetentium, seorsim humatum est, ac plura in dies impetrata eius ope beneficia narrantur.

4. Soror Maria Rosa Giannini, tertiaria ordinis nostri, magna cum opinione virtutum decessit Neapoli anno 1741. Diuturnis et variis simul conflictata morbis tredecim omnino annos in lectulo egit incredibili patientia et constantia. Persecutionibus aliisque cum internis tum externis probata poenis et adversitatibus crucifixo sponso conformis fieri meruit. Supernis ab ipso cumulata donis sanctitatis famam post se reliquit, super qua ordinarii auctoritate processus instituti sunt apostolicae sedis iudicio subiiciendi.

In provincia Aragoniae.

1. P. fr. Sebastianus Chasco, Caesaraugustani s. Ildephonsi conventus alumnus, ad coenobium Turoli translatus, tam eximia et splendida ibi protulit exempla virtutum, ut iis permoti dd. Michael Andres et uxor eius novum ibi ex parvo hospitio amplumque coenobium s. Raymundo sacrum sumptibus suis aedificandum eidem commiserint. Eo ad exitum feliciter perducto, severiorem in ipsum disciplinam invexit, quam verbo et exemplo ita promovit, ut Deo benedicente in dies firmetur et augeatur. Obiit ibidem virtutum fama praeclarus anno 1731.

2. Caesaraugustae in conventu s. Ildephonsi eximia nominis celebritate decessit anno 1734 p. m. fr. Iacobus Baron sanctissimae Inquisitionis consultor, cuius singulari doctrinae par vitae sanctitas et modestia. Cum in omni theologiae parte egregie versatus tum in mysticae et asceticae studiis prorsus excelluit, ediditque utriusque argumenti plura volumina non minus pietate quam eruditione referta. Tantam sibi vivens sanctitatis famam comparaverat, ut ad mortui cadaver ingens hominum concursus fuerit, manus et pedes osculis vel a gravissimis viris venerationis causa petiti et funus magna virtutum eius commendatione celebratum.

3. Illmus ac rmus d. fr. Iacobus Arimbela, Caesaraugustani conventus alumnus, fidei propagandae studio ad insulas Philippinas trangressus, multis ibi apostolicis functus laboribus, episcopus Sanctae Crucis de la Sierra in regno Peruano designatus est. Ad sedem deinde Truxillensis urbis translatus, pastoris vigilantissimi partes omnes naviter adeo implevit, ut magnam cum apud suos tum apud aulam regiam sanctitatis famam sit consecutus. Regularis vitae observantiam ad mortem usque accuratis-

sime tenuit atque eximia, uti vixerat, pietate obdormivit in Domino anno 1737, ingenti luctu suique desiderio post se relicto.

4. In monasterio Caesaraugustano monialium Sanctae Fidei claruit singulari virtutum fama soror Geltrudes de Oloriz et Arbiol, charitatis, poenitentiae, humilitatis altissimaeque contemplationis donis insigniter ornata, cuius vitam absconditam cum Christo in Deo, quod fuit eius latendi studium, et divinis charismatibus plenam literis consignavit praelaudatus p. m. Baron, eiusdem spiritus moderator. Annos nata 75, semper sui humilis, evolavit ad sponsum anno 1747, aucta post mortem sanctitatis eius existimatione.

5. In monasterio Corporis Christi Villae Regalis floruit soror Maria de Rosario religiosioris observantiae cultrix absolutissima. Monialibus non semel praeposita, at semper invita, regularem disciplinam mirifice fovit et auxit. Cum omni virtutum genere tum patientia maxime enituit. Nam diris ulceribus totum corpus affecta longos acerrimosque cruciatus incredibili patientia tulit, ac demum, quae summa eius modestia fuit, mori maluit, quam curationis causa se se medicis inspiciendam permittere. Decem ab funere mensibus eius cadaver, etsi loco plane aquoso repositum, rectum omnino stans intactisque vestibus incorruptum repertum est.

6. In monasterio Albarracinensi ss. Stephani et Brunonis decessit cum opinione virtutum soror conversa Lucia Staya, mirae abstinentiae, humilitatis et corporis macerationis. Orationi impense addicta totas fere noctes in ea vigilabat, tantoque in Deum ferebatur ardore, ut extra se rapta saepissime videretur. Divinis revelationibus collustratam ferunt. Mortem, quam sibi futuram die s. p. n. Dominici praenuntiavit, laetissima aspexit. Accensas ad eius feretrum faces nulla prorsus consumptione ac diminutione ad horas plures arsisse memoratur.

7. In eodem monasterio soror Ludovica Martinez Ruvio eximiae generis nobilitati humilem praetulit conversae sororis conditionem. Eo in munere omnium se se virtutum exercitatione perfecit. Legum nostrarum ad apicem servantissima carnium esu semper abstinuit. Corpus mira austeritate subegit. Gravissimas daemonum impugnationes divinitus superavit ac fregit. Labores omnes summa alacritate et contentione obibat. Debilitata ex ipsis manus ad caetera fere impotens, si quid ex obedientia agendum foret, apta prorsus et expedita videbatur. Diuturnis vexata morbis ac per triennium acerrimis conflictata doloribus, id unum in ore habebat, se cum sponso suo crucifixam velle libenter vivere, libenter mori. In extremo vitae posita nulli unquam lethali culpae se obnoxiam fuisse, confessario aperuit. Eius cadaver cum longa aegritudine tum laboribus et afflictationibus attritum ac deformatum, dum viveret, venustissima ab

obitu specie vividum, molle, flexile ac suavissime olens apparuit, ut anteceptam beatae immortalitatis speciem exhibere videretur.

In provincia Saxoniae.

In monasterio s. Catharinae virginis et martyris prope Diessenhofen, dioecesis Constantiensis, claruit eximiae sanctitatis et donorum fama soror Maria Dominica Iosepha a Rottemberg. In ipso instituti nostri tyrocinio ad religiosae perfectionis apicem non tam contendere quam evolare visa est. Asperis cruentisque flagellationibus ad horas quotidie productis, ferrea catena lumbis iniecta et sera obsignata, cuius clavim a se proiecerat, ut eam ad mortem usque ponendi spem omnem praecideret. Iesu nomine pectori inciso et coalescentibus literis nova incisione insculptis, aliisque a se ingeniose inventis poenarum generibus, virgineum corpus plane crucifixit. Abstinentia rara, pane absynthio consperso, aqua exigua, qua nec sitis extingueretur, oleribusque victitans, vino et carnibus perpetuo abstinuit. Somni parcissima, vel duris cubans asseribus vel congestis lapidibus vel nodosis fustibus in crucem efformatis, vix paululum quieti indulgebat. Deiparam virginem, cuius ope ter amissum ingenti lacrymarum vi oculorum lumen receperat, atque a desperatis morbis repente convaluerat, tenerrimo ac filiali pietatis sensu prosequebatur. Flagrantissimo erga divinum eucharistiae sacramentum aestuabat affectu. Noctes integras iugi oratione ante illud effusa, tota in Deum rapiebatur, sublimis in aera non semel elata. Supernis donis et charismatibus ubertim perfusa, sola sibi vilescebat, charitate in dies ardentior atque humilitate abiectior. Severioris disciplinae amantissima, quam ipsa diligentissime servavit et coluit, in monasterio, cui per annos viginti quinque sanctissime praefuit, mirifice promovit atque constabilivit. In alia quoque monasteria extra ordinem constituta, eandem feliciter propagavit. Nam precibus rmi principis abbatis Sangallensis iussuque Benedicti XIII. P. M. in monasterium Wyllanum, ordinis s. Benedicti, tum Roschacense, Neherseggianum et sanctae Mariae instituti capuccinarum s. Francisci summo zelo et prudentia vitae communis et perfectioris disciplinae observationem invexit, quae adhuc in illis summa cum laude fervet ac viget. Acto demum innocentissimae ac plane angelicae vitae anno 61, cumulata meritis atque laboribus, religiosissimo exitu migravit ad sponsum die 30. ianuarii anno 1737. Eius vitae gesta latinis literis consignavit r. p. Maximilianus Dufrene soc. Iesu, augustissimae imperatricis viduae Mariae Amaliae a confessionibus.

In provincia Trinacriae.

1. Panormi in conventu s. Citae claruit p. mag. fr. Thomas Innocentius Strada, instituti nostri servantissimus, doctrina eximius et charitate praestantior. Nam ea impellente, quo evangelii lumen Americanis infer-

ret, ultro se abdicavit docendi munere, quod iam in spem magisterii exercebat, atque in Americam proficisci constituit. Interceptus in itinere ab Anglis, eorum haereses tam strenue confutavit, proque orthodoxa religione naviter adeo disputavit, ut eosdem errore liberaverit. Eximia fuit erga proximos misericordia maximeque erga infirmos. Gravissima sibi ab apostolica sede in Siciliae regno munia commissa obivit intrepide, nullo fractus aut territus periculo. Diuturnis et magnis doloribus mira constantia toleratis, religiosissime decessit anno 1733, sanctimoniae laude conspicuus.

2. Floruit in eodem coenobio p. fr. Albertus Maltese, Panormitanus, magna sapientiae et religionis laude. Dum studiis sacrarum literarum operam daret, nihil antiquius habuit, quam ut disceret suam ad Dei voluntatem accommodare, atque animum ab omni caducarum rerum cupiditate longe avocare. Magna fuit erga proximum charitate; nam moerentes amantissime consolabatur, infirmis iugiter assidebat, omni ope et consilio egentes iuvabat, nulli, ne tum quidem cum iniuriam faceret, irascebatur. Contigit autem divino consilio, ut baccalaurei ordinarii munus tum Messanae obiret, cum saevissima lues in ea civitate grassaretur; quo tempore diligentius ad omnia charitatis officia se se paratum exhibuit. In ea igitur calamitate non solum ecclesiae sacramentis aliisque christianis subsidiis lue infectos recreabat, sed ministrantium officia praeveniens, curabat corpora et quamcumque posset opem afferre, satagebat. Cum vero nullam sui, dum omnibus opitularetur, rationem haberet, contactus et ipse pestilentia, animam suam posuit pro fratribus suis anno 1743.

3. P. fr. Petrus Martyr Mililli seu Cicala, Siculus Montucensis, sacrae theologiae magister, non minus doctrinae laude quam vitae sanctimonia praeclarus fuit. Regularis disciplinae acerrimus cultor eam, dum praeesset coenobiis et provinciae universae, promovit naviter, perfectamque rerum communitatem zelo plane virili constabilire curavit. Vitae illi cultus neglectus et asper, mores tamen suavissimi, ut nihil in eo fuerit, quod non gratissimum innocentiae, humilitatis ac modestiae spiraret odorem. Paupertatem summo habebat in pretio, elucebatque in rebus omnibus eius usui necessariis. In proximorum salute procuranda multus erat ac praesentissimus. Eorum praesertim commiseratio illum coeperat, quos mali daemones obsidebant, nullisque temperabat curis et laboribus, quominus per legitimas evocationes dirasque ab eorum corporibus facesserent. Valebat in eo munere praecipua quadam vi ac potestate sibi a Deo tributa, ut eo rite declamante atque imprecante solutae, quam saepissime fuerint eiusmodi obsidiones. Nonagenario maior obdormivit in Domino anno 1744, ea sanctitatis existimatione, ut triduo eius corpus insepultum iacuerit ob confluentium vim certatim nitentium manus illi exosculari, rosaria admo-

vere, vestium particulas et quidquid aliud poterant divellere atque ad venerationem servare.

4. In regio conventu s. Dominici Panormi singularis eruditionis laude, nec minore vitae innocentia enituit p. bac. fr. Benedictus Castronius. Is maior natu in illustri et perantiqua familia, abdicato amplissimo patrimonio institutum nostrum amplexus est, cuius leges, ne vel minimum violaret, in omni vita diligentissime cavit. Carnibus nunquam vescebatur, immo ea abstinentia fuit, ut pluribus vitae suae annis extremis crebra ieiunia pane et aqua definiret. Nihil erat in vestitu, nihil in supellectili, quod religiosam paupertatem haud redoleret. Precandi studio, rerum aeternarum contemplatione et lectione divinorum librorum cum esset semper magnopere delectatus, tum vero totus in iis fuit, cum coepit paralysi et coecitate laborare; quas duas calamitates cum diu forti erectoque animo tolerasset, pio sanctoque fine quievit XI. kal. iunii an. 1748, aetatis suae 79. Ad eruditionem eius, quod attinet, id temporis quod a sacris exercitationibus vacuum ei fuerat cum in aliis studiis, tum diligentius in excolendis mathematicis disciplinis impendere consuevit; quarum adeo peritus fuit, ut plura, quae in lucem edidit, eius facultatis volumina viris doctissimis probata sint, atque in publicis eruditorum actis magnopere commendata; quae vero inedita supersunt eius ingenii monumenta, si aliquando vulgentur, non minoris facienda arbitramur.

In provincia Apuliae.

1. Barrii, quae est Apuliae Peucetiae Metropolis, floruit soror Magdalena Dominica a s. Vincentio, tertiaria ordinis nostri, rarae innocentiae ac puritatis virgo, amore in Deum sic aestuans, ut conceptae charitatis flammas cohibere vix posset, in proximos sic affecta, ut aliorum aerumnas suas facere videretur. E peccatorum coeno multos eduxisse fertur, plures etiam in perfectionis semitam direxisse. Abstinentiae singularis, pane exiguo et viliore, oleribus victitans carnes nunquam comedit. Per annos undeviginti plagis, intensisque doloribus toto corpore afflictata fere immota ac lectulo velut cruci affixa, incredibilis patientiae specimen exhibuit. Iugi in Deum contemplatione rapta ac supernis donis insignita, quo iis cumulatior, eo humilior apparebat. Praenuntiata mortis die, sacramentis devotissime susceptis, brevi agone migravit ad sponsum anno 1746, aetatis suae 49. Incredibili pompa atque omnium ordinum frequentia eius funus decoratum est, celebrata ab omnibus eius sanctitatis memoria, quam consecuta, ut ferunt, ad eius mortem signa confirmarunt.

In provincia Calabriae.

1. P. fr. Dominicus Longo Cosentinus, lector et praedicator generalis, vir plane apostolicus, animarum salutis sitientissimus, iis ad Deum revocandis nullis unquam incommodis territus, nullis parcens laboribus,

missionarii munus ad annos plures zelo ardentissimo exercuit. Per asperrimos montes et lucos nudis vel media hyeme ibat pedibus, nuda recubans humo, nihil omnino petens, nihil a quocumque recipiens, modico pane aqua emollito semel in triduo reficiebatur. Rudibus monticolis atque sylvicolis interdiu noctuque catechizandis ac poenitentia expiandis se se iugiter impendebat. Corpus ciliciis, ferreis laminis, vigiliis, flagellationibus omnique asperitatum genere ita afflictabat, ut carnem suam plane odisse videretur. Divino amore exaestuans de Deo aeternisque rebus verba identidem faciens, audientium corda prorsus rapiebat, peccatorum plurimis a perditionis via revocatis. In adversis constans et hilaris, in ferendis iniuriis patientissimus, in iuvandis proximis sollertissimus, in omnes pius ac tenerrimus, praesertim infirmos et cum morte luctantes, quibus iugiter amantissimeque opem omnem ferebat. Laboribus et carnis macerationibus fractus, maligna febri correptus, sacramentis omnibus religiosissime susceptis, lectulo adstantes verbis fervidissimis adloquutus, crucifixo, quem manibus apprehenderat, spiritum suum commendans, apostolicae vitae cursum feliciter consummavit die 9. augusti 1745. Innumera eius funus prosequente multitudine certatim eius vestium particulae decerptae sunt, quarum contactu multa in dies visa prodigia pluraque ab ipso, dum viveret, patrata feruntur.

2. P. fr. Thomas Cerzito, conventus s. Dominici Altomontis filius, novitiorum curae et institutioni per annos 35 admotus, se se iis virtutum omnium exemplar vivum exhibuit. Severioris disciplinae cultor, ne transversum quidem unguem e legibus nostris deflexit. Corporis et animi puritate eximia fuit, tenerrima in b. Virginem pietate et divinum altaris sacramentum ardore incomparabili. Paupertatem, cui vel necessaria deessent, impense coluit, asperrimamque sui corporis mortificationem semper exercuit. Proximorum utilitati et saluti amantissime intentus, sui oblitus videbatur, seque ab omnibus despici vehementer optabat. Patientia rara nephriticos dolores, quibus fere quotidie angebatur, per octo annos, ac diuturnam caecitatem hilariter tulit, nulla prorsus querimonia, id unum repetens: « Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum ». Meritis plenus obdormivit in Domino die 9. februarii anno 1739, ea sanctitatis et miraculorum fama, ut eius corpus, vestium particulis a confluente populo decisis, episcopi Cassanensis iussu sub duarum clavium custodia arca lignea obsignatum religiose custodiatur.

In provincia Peruana.

1. P. praesentatus fr. Michael de Pantigoso, dum apostolico zelo in missionibus de Cochambana, cooperantibus sibi p. fr. Nicolao Gonzalez et p. fr. Iohanne Davila, paganorum conversioni operam daret, a barbaris vulgo Chiriguanis ad aras templi, quo se receperat una cum sociis, Christi

victima immolatus est anno 1725. Plurima eorum mortem consecuta miracula, eorumque fama late diffusa maximum iis cultum conciliarunt.

2. Eos proxime ad martyrii palmam sequutus est p. fr. Ambrosius Gomez, eiusdem provinciae alumnus, qui in missionibus de Darien egregie pro fidei propagatione laborans die beatae Virgini ss. Rosarii sacra a barbaris interemptus, sanguine suo apostolicum ministerium consecravit.

3. P. mag. fr. Iohannes de Francia vir fuit singularis doctrinae atque eruditionis amplissimae, tantaeque apud omnes existimationis et famae, ut eius consilia et responsa unde unde expetita oraculi loco exciperentur. Par scientiae vitae sanctimonia. Instituti nostri legum servantissimus, corporis sui castigator acerrimus, in oratione multus ac fervidus, humanarum laudum et sui contemptor eximius, paupertatis arctissimae custos, virtutum denique omnium cultor, patientissime tolerata annis viginti quinque oculorum caecitate, nec intermissis propterea studiis ac laboribus, meritis et annis cumulatus, nonagenario maior sancto fine quievit anno 1735, superstite magna eius virtutum ac nominis celebritate.

4. P. mag. fr. Franciscus Serrano cum plurimum ingenio et doctrina valeret, tum maxime religiosae perfectionis et sanctitatis studio eximius fuit. Nihil in eius moribus ad severiorem disciplinam non exactum atque absolutam legum observationem. Paupertatem impense coluit, eique affinem humilitatem profundiorem. Sensuum custodia ac vigilantia animi motus affectusque suos subegit ac triumphavit. Castimonia vero ita excelluit, ut in extremo vitae constitutus acceptoque sacro ad aeternitatem viatico, a superiore iussus circumstantes fratres pie adloqui, se Deo immortales gratias profiteri dixit, quod eius munere ad eam usque horam virginitatem integerrimam servasset. Caelesti virginum choro adiungendus migravit e vita anno 1739.

In provincia ss. Rosarii Philippinarum.

1. Manilae in conventu nostro s. p. Dominici floruit p. fr. Michael de la Villa, conventus s. Pauli Hispalensis filius, qui diu apud novae Segoviae Indos minister evangelicus eorum linguae peritissimus verbo et scripto iis in salutis semitam dirigendis plurimum laboravit. Omnibus erga eos charitatis officiis eximie perfunctus, magna cum opinione virtutis sexagenario maior obdormivit in Domino anno 1725.

2. In domo s. Pauli de Cabagan provinciae de Cagayan sancto fine quievit p. fr. Vincentius del Riesgo, conventus Legionensis filius, vir austeritate vitae et animarum zelo incomparabilis. Indorum saluti procurandae in laboribus et aerumnis, in periculis et angustiis, in asperrimis longisque itineribus, quae omni viatico destitutus pedes agebat, annos consumpsit fere triginta reportato non modico apostolatus sui fructu. Laboribus consumptus ad fratres suos profectus, inter ipsos, ut praedi-

xerat, moriturus, paullo ante extremum diem e lectulo surgens ad ecclesiam descendit, eucharistiam pro viatico suscepturus, sacra deinde unctione linitus ad vitam transiit immortalem.

3. Manilae anno 1727 ad Deum migravit p. fr. Iohannes a s. Dominico, instituti nostri servantissimus, vere pauper et pauperum amator, placidis et suavissimis moribus, omnibus mitis, officiosus et misericors, sibi soli severus et asper. Deiparae virgini ss. Rosarii addictissimus, ut cum ea iugiter colloqui vulgo crederetur. In proximorum salute promovenda iisque omnibus adiuvandis charitatis eximiae. Tanti apud Manilenses habebatur, ut adhuc vivens sanctus ab omnibus vocaretur. Octogenario maior vitam in patientia habens, ac mortem in desiderio, hanc laetus aspexit ingenti sui nominis et virtutum fama post se relicta.

4. P. fr. Antoninus Perez, conventus Zamorensis filius, in provincia de Zambales primum per annos undecim, mox in provincia de Pangasinan per annos sexdecim evangelii minister egregius ac sedulus, dum superiorum nutu eiusdem nationis Indis circa montium radices pro navium structura ligna caedentibus ministraret, a monticolis infidelibus insidiis interceptus ac sagittis confossus est anno 1729. Eius caput a corpore abscissum atque ab illis asportatum, multos post dies integrum adhuc vividumque repertum cum eius corpore in ecclesia s. Catharinae de Samal tumulatum est.

5. Cantoni in magno Sinarum imperio obiit anno 1733 cum opinione virtutum illmus ac rmus p. fr. Maginus Ventallol, conventus Barcinonensis alumnus. Quadraginta et amplius annis in ea regione versatus, elusis animo infracto persecutionum procellis superatisque immensis laboribus, apostolicum ministerium strenue ac felicissime implevit. Sinensium animos ita sibi conciliaverat ac devinxerat, ut ob egregiam eius animi indolem magni viri nomen ab illis promeruerit. A Clemente XI. P. M. vicarius apostolicus atque episcopus Caristensis renuntiatus, humilis vitae conditionem honori ac dignitati praeferens induci haud potuit, ut consecrationem reciperet. Laboribus, meritis et annis plenus, octogenario maior ad aeterna praemia evocatus est.

6. Macai in conventu nostro ss. Rosarii decessit anno 1737 p. fr. Franciscus Saez, vir modestia, pietate, patientia et charitate erga pauperes ac infirmos prorsus singulari. In missionem de Chaucheu Sinarum imperii a superioribus designatus pro fide catholica in oppido de Aupua a gentilibus in carcerem detrusus, catenis onustus, arcta custodia ac rigida inedia diu maceratus est. Fidem Christi imperterritus et constans coram iudice palam professus post diras vexationes, angustias et labores in metropolim de Focheu ad proregem missus, eius sententia Macaum exilio relegatus est, ubi vitae et virtutis cursum feliciter consummavit.

7. Manilae claruit soror Anna de s. Rosa, tertiaria, ieiuniis, vigiliis, et carnis mortificationi continenter addicta. In oratione constans et assidua, quanquam mali daemonis artibus et insultibus diu vexata, caelestibus non semel recreata deliciis atque illustrationibus perfusa, semper humilior apparebat. Eximia in proximos charitate omnium ministerio, praesertim infirmorum se se impendebat. Pro anima parentis sui e purgatorii poenis eximenda se se ultro cruciandam Deo exhibens, variis subinde per annos plures, iisque gravissimis est conflictata doloribus, quibus alacriter et patientissime toleratis, tandem caelo matura suique obitus longe ante praemonita, sexagenario maior mortem ridens aspexit, relicta singulari opinione virtutis.

8. Ibidem anno 1742 supremum diem feliciter clausit p. fr. Ioseph de Rosario, ex provincia Aragoniae, annum agens 73, morum innocentia, vitae austeritate ac regulari observantia insignis. Eximia fuit in B. V. ss. Rosarii pietate, atque ea devotione promovenda sedulitate. Infirma licet valetudine dirisque ulceribus afflictatus, a choro, dum divina officia celebrarentur, nunquam abfuit, corporis sui macerationes non relaxavit, aut a divinorum meditatione, cui quotidie plures horas tribuebat, unquam vacavit. Omnibus omnia factus, opera, consilio et orationibus cunctis ipsum adeuntibus praesto erat. Prophetiae dono et miraculis adhuc vivens claruisse fertur. In eius obitu iam antea a se praenuntiato universam perhibent Manilensem urbem commotam, omnibus viri sanctitatem ubique praedicantibus.

9. P. fr. Franciscus Egidius de Federicis, Barcinonensis coenobii alumnus, in regno Tunkinensi missionarius, saeviente ibidem adversus catholicos ac praesertim evangelii ministros gravissima persecutione diu latitans, et clam sui muneris partes sollertissime obiens, Sinensis sacrificuli fraude deprehensus atque ad regiam Tunkini curiam delatus, arcto carceri addictus, fame, paedore aliisque molestiis et vexationibus diu tentatus fuit. E carcere ad tribunal productus, alacri constantique animo fidei suae atque a se promulgati evangelii rationem reddidit, ac ne sacrae imagines in ipso tribunali eidem exhibitae a prophanis conculcarentur, fustis ictibus a gentilibus in eas vibratis, totum corpus obiecit ingenti eorum admiratione. Lata in ipsum capitali sententia, ob gliscentium in eo regno bellorum civilium tumultus ad annos octo dilata est; quo tempore in ipso carcere missionem aperiens, sacra identidem faciens, baptismum et sacramenta pluribus ministrans, animarum fructum uberrimum coepit. Illuxit demum optatissima dies, qua capitalis sententiae executio eidem denuntiata est. Quare ad extremam luctam religiosissime comparatus, gaudio superabundans ad supplicium raptus anno 1746, die 21. ianuarii obtruncato capite martyrium consummavit.

10. Eidem in passione socius adiunctus est p. fr. Matthaeus Leziniana, qui anno 1743 in pago Lucthuy, dum missae sacrificium clam perageret, a Sinensibus militibus violenter adeo captus est, ut hostiam iam consecratam vix consummare potuerit, effuso ab iis sacro calice ex ipsius manibus per vim erepto. Vinctus ac seminudus fustibus percussus ac lancea in capite vulneratus, in terram saepe deiectus, ac modis omnibus indigne habitus, in regiam Tunkini curiam abreptus est, arctoque carceri ferreis innexus, compedibus supremi tribunalis iussu mancipatus, quater in ius raptus, ob Christi fidem strenue constanterque coram iudice assertam capitali primum sententia, mox ea mitigata, perpetuo carcere damnatus. Ibi cum laudato p. Francisco de Federicis orationibus et ministerio iugiter vacans, qua die ad supplicium alter rapi debuerat, is eundem comitari impetravit. Ubi ad regiam curiam ventum est, socii sui felicitati plane invidens clara voce ac multis precibus vel hunc absolvi vel pari intercedente causa se quoque eodem supplicio affici debere contendit. Voti compos effectus, mortis tulit responsum; quo accepto inenarrabili gaudio perfusus adiit supplicii locum et gladio caesus gloriosi pro Christo testimonii palmam cum socio simul accepit. Eorum martyrii acta ab episcopo Coricensi descripta typis vulgata sunt, ac super iisdem ordinarii processus quamprimum instituentur.

Illm̃i ac rm̃i d. fr. Petri Martyris Sans, episcopi Mauricastrensis ordinis nostri, ex provincia Aragoniae Philippinarum provinciae alumni, pretiosam pro Christo mortem in adloquutione consistoriali ss. d. n. Benedicti pp. XIV. luculenter nuntiatam atque descriptam superius exhibuimus.

In congregatione s. Mariae Sanitatis.

1. P. fr. Petrus Martyr Iride, in Campania natus, conventus s. Mariae Sanitatis alumnus, sacrarum legum exactissimus custos, altissimae paupertatis cultor, ut praeter omnino necessaria ad vitam sibi a coenobio suppeditata, ea omnia semper respueret, quae caeteris ad religiosum commodum in eadem congregatione praestantur. Itinera, etsi longa et aspera semper pedes agebat, nihil secum ferens in via. Humilitatis causa gradus omnes, qui in ordine et eadem congregatione emeritis professoribus conferri solent, recusavit, post exactum per annos 24 summa cum laude philosophiae et theologiae munus, quo tempore a choro nunquam abstinuit. Studio, orationi piisque exercitationibus iugiter vacans e cella et conventu nonnisi necessitate aut charitate urgente egrediebatur. Erga sacramentum altaris religiosissimus, tametsi in ultima senectute coecus, missae sacrificium ex dispensatione apostolica semper celebravit. Regularem disciplinam, quam ad mortem usque acerrime tenuit, superior institutus omni nisu propagari curavit. Obiit Neapoli in praefato conventu anno 1727,

ea sanctitatis fama, ut ipsius vestium particulae certatim a populo et optimatibus decerperentur ac servarentur.

2. In collegio Montis Dei Neapoli annos natus 87, die, quam ipse praedixerat, 27. martii 1731, quae erat feria VI. in Parasceve, decessit p. fr. Antonius Muscato de Serino, eiusdem collegii alumnus, qui post omnes scholasticos cursus theologiae lauream adeptus per plures annos coenobiis et monasteriis sanctissime praefuit. Sacrarum constitutionum observantissimus, rerum omnium temporalium contemptor, pietate in Deum, charitate in proximos fervidus, solitudinis, studii et orationis amantissimus, virtutum famam post se reliquit singularem.

In congregatione s. Marci Florentiae.

Illmus ac rmus p. fr. Ludovicus Maggi, episcopus Barianensis, incredibili fidei propagandae studio accensus, cum Romae versaretur anno 1726, a Benedicto XIII. P. M. iugiter flagitavit, ac demum anno 1731 a sacra congregatione obtinuit, ut ad praedicandum evangelium in Sinensi imperio mitteretur. Cantonum profectus decreta illi Succuensis provincia, quo illius episcopo et vicario apostolico opitularetur, id quod egregie praestitit, sex annorum spatio indefesso labore summoque animarum emolumento. Eidem episcopo adiutor ac successor designatus est anno 1738, consecratus vero anno 1740. Aucti deinceps cum dignitate, quam aegre atque ex obedientia susceperat, apostolicae curae et labores, quibus pepercit nunquam, et si valetudine minus firma uteretur, quare nec periculis nec aerumnis, nec siti nec fame, neque naufragiis, a quibus saepe est divinitus liberatus, diem sibi eripi passus est, quo ministerio suo non vacaret zelo ac diligentia incomparabili. Multa hominum millia a superstitione ad christianam religionem traduxisse fertur. Gloriosis demum laboribus functus, meritis et virtutibus plenus, longe praeviso supremo die naturae cessit anno 1744, aetatis suae 45, maximo sui desiderio ac nominis celebritate relictis.

In provincia s. Vincentii de Chiapa et Guathemala.

In conventu de Guathemala singulari opinione virtutum decessit p. fr. Dominicus Glaguno, qui in ipso vitae religiosae tyrocinio maturae exhibuit argumenta perfectionis. Solitudinis et silentii studiosissimus uni sibi et Deo vacabat. Arctissimam coluit paupertatem, corpus durissime exercuit mulctavitque ieiuniis, vigiliis, macerationibus ac perenni carnium abstinentia. Ab oratione divelli vix poterat. In proximorum tamen salute procuranda totus erat, plurimis ardentissimo zelo atque innocentissimae vitae exemplis in salutis viam revocatis. Gravissimis in suprema aegritudine, incredibili alacritate toleratis doloribus, ad laborum praemia evocatus, reliquit eximiae sanctitatis famam, qua ingens ad eius funus fuit hominum studium, manus pedesque exosculantium, rosaria admoventium ac reliquias carpentium.

In congregatione Veneta b. Iacobi Salomonii.

1. P. fr. Ioseph a Motta, Rhaetus, coenobii Traguriensis in provincia Dalmatiae alumnus, severioris disciplinae studio in Venetam congregationem transgressus, totus in exactissimam legum nostrarum observationem et religiosae perfectionis assecutionem per annos fere viginti diligentissime incubuit. Contigit ipsum, dum Naupliae in Peloponeso sub invasionis Turcicae tempus superiorum iussu moraretur, in barbaricam servitutem abduci, Tunnetumque in Africa deportari; quam calamitatem innumerasque consequutas aerumnas adeo aequanimiter decem mensibus toleravit, ut neque eleemosynis sibi erogatis uti vellet, sed eas ad concaptivorum commodum et solamen dispertiret. Recepta libertate, redux pristinum auxit poenitentis vitae fervorem, corporis afflictationes fere supra modum intendens, aeternarumque rerum meditationes et sacras preces per insomnes fere noctes traducens. Tandem lethali rheumate oppressus, hilari animo, certaque fiducia ad Christi tribunal se se composuit, piissimeque decessit in conventu s. Mariae de Via iuxta oppidum s. Danielis, dioecesis Aquileiensis, anno 1732, superstite singulari eius sanctimoniae existimatione.

2. In conventu Coneglanensi ss. Martini et Rosae anno 1747 pie obdormivit in Domino p. fr. Antonius Bucco prope octogenarius. Contriverat ille tam longam aetatem sub iugo regularis observantiae ab adolescentia suscepto, cui feliciter adeo studioseque insueverat, ut neque cum vires deficere viderentur, quidpiam relaxari sibi pateretur. Cum caeteris virtutibus tum ea, quae reliquarum est fundamentum, mirifice excelluit; qua enim praestabat humilitate, ad abiectissima domus ministeria se se iugiter demittebat et aequalibus ipsis, quos uti sibi superiores suspiciebat, obsequium, reverentiam et operam prolixe et alacriter deferebat. Tenerrima erga pauperes commiseratione, mendicis eleemosynas, quas mira industria undeunde colligebat, propria manu ad ostium conventus dispertire gestiebat, eorumque rationes apud maiores procurabat eximie, ac non tantum importune. In Deiparam virginem, quam matrem suam appellare solebat, singulari ferebatur cultu et affectu, ut vel eius nomine audito exultare animo et sensu videretur. Annis cumulatus et meritis, pio exitu vitae religiosissime traductae plane consentaneo diem clausit supremum non exigua virtutum opinione.

3. In oppido portus Naonis agri Foroiuliensis claruit soror Angela Perla, tertiaria ordinis nostri. Venetiis edita atque humiliter educata, divinae tamen gratiae donis praeventa visa est ab ipsa pueritia de Deo ultra aetatis et conditionis modum sentire. Tertii ordinis nostri institutum professa, puritate virginali, terrenorum et sui ipsius contemptu, corporis castigatione, orationis assiduitate, amore in Deum et proximum,

invicta in adversis patientia prorsus excelluit. Animarum zelo aestuabat in primis, quarum salutem consiliis, adhortationibus, effusis ad Deum precibus, poenis aut sponte assumptis aut a Deo postulatis, omni demum ope et industria promovere atque in tuto ponere satagebat. Collata sibi a Deo beneficia ac superna charismata confessarii iussu literis consignavit. Vitam innocentissime actam mors apprime congrua excepit pridie kalend. aprilis huius anni 1748, auxitque eius sanctimoniae opinionem.

In congregatione s. Sabinae utriusque Lombardiae.

1. P. fr. Dominicus Amici, Romanus, singularis innocentiae, rarae humilitatis et severissimae poenitentiae vir, corpus ieiuniis, ciliciis, flagellationibus et omni austeritatum genere maceravit. In dominicae Passionis contemplatione assiduus tanto erga Christum patientem excitabatur affectu, ut modo pro Christi gloria sanguinem et vitam profundere vehementissime optaret, modo ad Christi imitationem ab aliis acerbissime flagellari, modo insolita et efficaciore voce clamaret finem nostri ordinis esse amorem et praedicationem Iesu Christi crucifixi. Salutis animarum et martyrii desiderio flagrans pluries ad barbaras nationes se contulisset, nisi divino consilio novitiorum institutioni fuisset praepositus, ut iisdem apostolicos sensus instillaret. A teneris annis pietati deditus, et amplioribus donis a Deo semper ornatus, felicem se putabat, si suorum peccatorum veniam impetrasset et tot inter orationes unicum contritionis actum elicere potuisset. Pati potius, quam mori paratus, praecognito mortis suae die, obiit anno 1727, relictis praeclaris virtutum exemplis, quae Romanis typis posteritatis memoriae consignata sunt.

2. P. fr. Nicolaus Giudici de Matera, regularis observantiae custos tenacissimus ac zelator vigilantissimus, congregationis s. Sabinae pluries vicarius generalis, pedibus itinera conficiebat et prima sui adventus nocte primus omnium, itinere licet fatigatus, nocturnis intererat precibus. Ordinis abstinentiis ad apicem observatis frequentes flagellationes, crebra in pane et aqua ieiunia adiiciebat, atque in gravioribus curis ad orationem confugiens, integras fere noctes ducebat insomnes. Singulari in compassionem B. V. pietatis sensu affectus, hanc ab regina dolorum obtinuit sortem, ut in mortis angustiis « Stabat mater » una cum fratribus caneret, atque ad ultima verba « Quando corpus morietur » animam Deo devotissime redderet anno 1729.

3. P. fr. Thomas Benedictus Viganega, Ianuensis, a nobili ac piissima matre ad omnes christianas virtutes sanctissime institutus, educationis suae vicem multo cum foenore eidem rependit. Nam paternis opibus commodisque posthabitis, ordini nostro nomen dedit, in quo virtutum omnium exercitatione, sed praesertim assiduae orationis et profundioris humilitatis studio scientiam sanctorum ac singularem spirituum discretionem adeptus

est. Matrem capuccinarum collegium erigere molientem Auximum duxit, ubi insigni erecto monasterio, spirituale perfectionis religiosae aedificium cum in matre tum in caeteris mira charitate coepit atque ad fastigium perduxit. Perpetuus illius asceterii confessarius ac moderator institutus, constitutiones monialibus dedit sapientia ac discretione mirabiles apostolicae sedis auctoritate firmatas; quibus nonnullos adiecit instructionum libros sanctorum patrum doctrina ad monasticae perfectionis custodiam et incrementum refertos. Duobus supra viginti annis in eo munere feliciter atque egregie consumptis, ac monialibus ad omnem sanctitatis formam verbo et exemplo institutis, meritis et virtutibus clarus, vivendi finem fecit Auximi anno 1729.

4. Illm̃us et rm̃us p. fr. Barnabas Fedeli, patritius Mediolanensis, ecclesiasticis relictis honoribus semetipsum in conventu s. Sabinae reliquit, propriae voluntatis perpetuus hostis et sui abnegationis sectator assiduus. Prior factus, summam adhibuit curam, ut fratres in propriae voluntatis abnegatione exercerentur, dictitans vitam religiosam in sui abnegatione consistere. Iussu Clementis XI. primum ad Persarum regem nuntius apostolicus, dein Hispahamensis episcopus creatus, ministerium, ad quod iugi mortificationis et orationis studio se comparaverat, invicta laborum tolerantia, incredibili rerum omnium egestate et apostolici pectoris zelo complevit. Obiit anno 1731, pietatis laude insignis.

5. Fr. Hyacinthus Giacchetti, conversus, Aversanus, obedientiae et humilitatis speculum, superiorum et aequalium nutus tam prompta ac caeca demissione exequebatur, ut proprium iudicium exuisse omnino videretur. Contemplationum et lacrymarum donis insignitus magnam diei noctisve partem ante ss. Christi corpus lacrymis perfusus orando transigebat. Vir omnis doctrinae atque eruditionis expers, tam mirifice de divinis rebus loquebatur, ut gravissimi viri, inter quos Benedictus XIII. P. M. et cardinalis Caraccioli, episcopus Aversanus, per longa colloquia et per epistolas cum eo libentissime agerent; divino amore fervens obvios quoscumque hac excipiebat salutatione « Iesum diligamus ». Diuturnas ac molestissimas hilari semper animo ac vultu aegritudines tulit, quibus demum ac decrepita aetate fractus, relicta probata virtutis fama piissime excessit anno 1734.

6. P. fr. Laurentius Virgulti peculiari Dei adflatu ad religionem vocatus, heroica pene virtute tenera adhuc aetate mundo valedixit. Scientiarum studiis addictus, omnem dedit operam, ut eruditionis copia non ipsi inflaret spiritum, sed orationis et humilitatis amorem accenderet. Divini iudicii timore concussus in lacrymas saepe effundebatur, et intimo cordis sensu frequenter repetebat, suo cordi illum psalmi versum esse inscribendum: « Cor eius congregavit iniquitatem sibi ». De se ipso tam de-

misse sentiens, caeteros tanti faciebat, ut neque verbulum ferre posset, quo proximi existimatio vel leviter minueretur. Hebraicae et chaldaicae linguae peritissimus ad Iudaeos, qui degunt in Urbe, convertendos conscriptis libris ac undeviginti in iis erudiendis consumptis annis, zelo potius quam morbo tabescens, obiit in conventu s. Sabinae anno 1735.

7. P. fr. Felicissimus Barberi, Novariensis, cum Ferrariae insignia charitatis et poenitentiae exempla dedisset, apostolico muneri maturus in Persidem profectus est. Septem ibi annos in missionarii ministerio consumpsit, in haereticis atque schismaticis convincendis, in catholicis ad divinae legis observantiam excitandis occupatus. Verum hos inter labores se otiosum existimans et catholicos Bander, Abassi portus in sinu Persico iamdiu ob loci inclementiam sacerdotali cura destitutos miseratus, episcopo Hispahamensi semetipsum pro fratribus suis hostiam obtulit. Confecto igitur 47 dierum itinere, ut deficientem gregem sacramentis et Dei verbo reficeret, in pestiferi aeris portu felicissimae vitae portum invenit anno 1742.

8. P. fr. Petrus Gaja, Galliae Cisalpinae missionarius evangelicus, post longam aetatem in continuo missionum cursu, sine sacculo, sine pera, incredibili labore emensam mundi contemptu, vitae austeritate et apostolici viri fama praeclarus, Tridini in ipso divini verbi ministerio piissime excessit anno 1742.

9. Illm̃us et rm̃us p. fr. Archangelus Feni, Brixiensis, indefessus in Perside evangelii operarius, cum in messe Domini excolenda plurimum desudasset, ob praeclara merita semel atque iterum Naxivanensis archiepiscopus fuit designatus. Oblatum honorem constanti humilitate recusavit vir Dei, eo dignior episcopatu, quo se clamabat indignum et quadraginta sex annos modo persecutionum acerbitate vexatus, modo rerum omnium inopia pressus in apostolico missionarii ministerio consumpsit, suorum laborum, non ab alio, quam a Deo mercedem expectans. Optatum praemium accepit Hispahami anno 1747, pietatis fama illustris.

10. P. fr. Paulinus Sormani, Lucensis, animarum salutem et conversionem ac b. virginis Mariae cultum promovendi studiosissimus, cum in sacris missionibus, quas obibat, identidem flagrantissimo zelo se libenter moriturum profiteretur, voti compos effectus, in Arce Symboli dioecesis Reatinae apostolico vacans ministerio, tanquam Christi miles in acie, maligna febri correptus occubuit anno 1748, magna populorum existimatione, ingenti luctu ac frequentia eius funus prosequentium. Eiusdem corpus trigesimo sexto ab obitu die incorruptum omnino repertum religiose ibidem servatur.

« Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus ». Eccl. XLIV., 7.

ACTA CAPITULI GENERALIS PROVINCIALIUM ET DIFFINITORUM ORDINIS PRAEDICATORUM ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM A DIE III. IULII MDCCLVI.

Sub reverendissimo patre fr. Ioanne Thoma de Boxadors, sacrae theologiae professore eiusdemque ordinis generali magistro, in eodem capitulo electo, diffinientibus rm̃o patre fr. Vincentio Maria Ferretti, ss. d. n. Benedicti pp. XIV. et sedis apostolicae nomine capituli praeside, necnon ordinis procuratore generali, ac reverendis adm. patribus provincialibus et diffinitoribus:

fr. Francisco Higareda mag. provinciali Hispaniae,
fr. Iacobo Bourgez sac. theol. prof. provinciali provinciae Tolosanae,
fr. Iacobo Rochette mag. provinciali Franciae,
fr. Hiacyntho Maria Cattaneo mag. provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Thoma de Luca mag. provinciali provinciae Romanae,
fr. Laurentio Maria Mazzacca mag. provinciali Regni,
fr. Iosepho Riedl mag. provinciali Hungariae,
fr. Petro Brantten mag. provinciali Theutoniae,
fr. Thoma Krolikowski mag. provinciali Poloniae,
fr. Emerico Langenwalter mag. provinciali Daciae,
fr. Vincentio Maria Balsarini mag. provinciali Graeciae,
fr. Iosepho Muñoz mag. provinciali Aragoniae,
fr. Eduardo Gundisalvo Gautier mag. provinciali provinciae Provinciae,
fr. Francisco Renesi mag. provinciali Dalmatiae,
fr. Pancratio Aloysio Zoi mag. provinciali Trinacriae,
fr. Bernardino Membrive mag. provinciali Scotiae,
fr. Ioanne Brito mag. provinciali Baeticae,
fr. Dominico Evrard s. theol. licentiato provinciali Germaniae inferioris,
fr. Vincentio Maria Palumbo mag. provinciali Apuliae,
fr. Antonino Maria Collace mag. provinciali Calabriae,
fr. Guillelmo Hiacyntho Bladviel mag. provinciali Occitaniae,
fr. Eusebio Maria Franzosini provinciali prov. Nexsciovanensis in Armenia,
fr. Hiacyntho Benedetti baccalaureo provinciali provinciae Aprutinae,
fr. Angelo Polikowski mag. provinciali Russiae,
fr. Ludovico Bruyeres mag. provinciali provinciae Parisiensis,
fr. Reginaldo Lenartowicz mag. provinciali Lithuaniae,

fr. Nicolao Barbier mag. provinciali prov. s. Ludovici Regis,
fr. Michaele Sulis mag. provinciali Sardiniae,
fr. Martino Arroyo mag. dif. Hispaniae,
fr. Ioanne Francisco Dazemar sac. theol. prof. dif. Tolosano,
fr. Francisco Pasquier mag. dif. Franciae,
fr. Dominico Maria Torre mag. dif. utriusque Lombardiae,
fr. Raymundo Palombi mag. dif. provinciae Romanae,
fr. Alberto Gavotti mag. dif. Regni,
fr. Iosepho Ozeppig mag. dif. Hungariae,
fr. Thoma Zorn mag. dif. Theutoniae,
fr. Cypriano Rezner mag. dif. Poloniae,
fr. Vincentio Bea mag. dif. Aragoniae,
fr. Iosepho Pomniena mag. dif. Bohemiae,
fr. Hiacyntho Montenard mag. dif. provinciae Provinciae,
fr. Vincentio Jörg mag. dif. Saxoniae,
fr. Antonio Donjercovich mag. dif. Dalmatiae,
fr. Hiacyntho Tristaino mag. dif. Trinacriae,
fr. Ludovico de los Rios mag. dif. Baethicae,
fr. Iosepho Van Peteghem mag. dif. Germaniae inferioris,
fr. Dominico Maria Fontanella mag. dif. Apuliae,
fr. Vincentio Calabrese mag. dif. Calabriae,
fr. Ioanne Chacon mag. dif. provinciae s. Crucis Indiarum,
fr. Carolo O'Kelly mag. dif. Hiberniae,
fr. Nicolao Troncoso mag. dif. provinciae s. Iacobi de Mexico,
fr. Iosepho de Leyba mag. dif. provinciae Peruanae s. Ioannis Baptistae,
fr. Raymundo Garralon mag. dif. Occitaniae,
fr. Ioanne Alberto Chechel mag. dif. provinciae Venetiarum,
fr. Francisco Serrano mag. dif. provinciae ss. Rosarii Philippinarum,
fr. Iacobo Mañalich mag. dif. provinciae s. Hippolyti Martyris de Oaxaca,
fr. Ioanne Dominico Castagneri mag. dif. provinciae s. Petri Martyris,
fr. Dominico Luigi baccalaureo dif. provinciae Aprutinae,
fr. Henrico Russyan mag. dif. Russiae,
fr. Ioanne Bonaventura Durand sac. theol. prof. dif. provinciae Parisiensis,
fr. Gregorio Szymak mag. dif. Lithuaniae,
fr. Hieronymo de Paz mag. dif. Canariarum,
fr. Petro Roberto Rollet sac. theol. prof. dif. provinciae s. Ludovici regis,
fr. Francisco Iosepho Desruelles sac. theol. prof. dif. prov. s. Rosae in Gallo-Belgio,
fr. Vincentio Pinnafadda praesentato dif. Sardiniae.

Secretario capituli

p. m. fr. Iosepho Maria Elena in universitate Bonon. publ. s. theol. prof.

Universis et singulis patribus, fratribus ac sororibus ordinis praedicatorum fr. Ioannes Thomas de Boxadors, sacrae theologiae professor eiusdemque totius ordinis humilis magister generalis et servus, salutem et legum observationem.

Si maiorum plerumque et nostra semper memoria perfectum est, ut cum in aliis plerisque rebus agendis, tum in constituendo magistro ordinis pax omnium firma unanimitasque maneret, erat profecto, cur factum id quoque proximis comitiis fuisse maximo nobis opere gratularemur. Nam et res permultae, ut ne quid non concordissime fieret, exhortabantur, et monebat imprimis maiestas pontificis maximi, qui studio clementiaque in ordinem singulari sua iisdem sese comitiis non adfuturum modo confirmaverat, sed etiam praefuturum. Cuius quidem rei, ut secunde, quod omnibus in optatis erat, evenerit, etsi non dubitamus, factos vos fuisse multorum litteris certiores; tamen existimavimus a nobis quoque nuntium vobis perferri oportere. Nam quum v. nonas iulias ad Minervae Benedictus XIV., sanctissimus pontifex, venisset praesidensque magnifice de instituto praedicatorum dixisset, hortatusque etiam atque etiam patres fuisset, ut, quoniam integra illis potestas erat, eum sibi praeficerent, quem parem huic oneri ferendo esse iudicarent, ut omnes ad unum in eamdem sententiam conspirasse animadvertit, tanto eos dignatus honore est, ut toto pontificatus tempore vix ullum se vidisse testaretur laetiorem diem. Quod ut est elatum, sperare sese plerique omnes dixerunt, rem tanta consensione animorum gestam successus prosperos habituram. Quae sane voces nonnihil fortasse nobis solatii attulissent, nisi eas certus in praedicatorum societatem ex illis praesertim extorsisset amor, qui nos minime novissent. Quod enim patres delato nobis magistratu rebus se omnibus prospexisse putaverint, putarunt illi quidem opinione, quam de nobis forte si non summam, at nonnullam saltem conceperant, sed minus eos longe, quam putaverint, consuluisse et rei ordinis publicae et privatae nostrae, nobis certe perspectum est, qui soli novimus, ut virtute nos sic rerum gerendarum prudentia parum posse. Quamquam non ii sumus, qui hac nostra rei quidem verae confessione demitti vos contrahique animis velimus. Nos enim, etsi viribus destitutos, erigit tamen atque confirmat potestatis misericordiaeque divinae consideratio, qua in hoc dignitatis gradu collocati, plane confidimus, nihil nos umquam, quod ad commodum amplitudinemque ordinis pertineat, praetermissuros. Cumque ad eam rem leges potissimum conferant, ab iis exorsi, quas patres postremis hisce comitiis de colenda religione ac pietate, de disciplina servanda deque moribus studiisque litterarum recte instituendis sive novas sanxerunt sive intermissas restituerunt, libellum ad vos, quo continentur,

mittimus, testem voluntatis sollicitudinisque erga vos nostrae. Facile autem nobis persuademus earum, quibus vos ultro adstrinxistis, observationem vobis non curae solum, sed etiam voluptati fore. Quamobrem dabitis diligentem operam, ut, quemadmodum iisdem est legibus constitutum, cultus apud vos Dei velut in re divina facienda, ita in supplicationibus precibusque habendis vigeat maioremque in modum augeatur. Nihil enim magis expetendum est, quam ut ne quid umquam a nostris publice privatimque in sacris praesertim procurandis fiat, quod domus Dei sanctitatem decere non videatur. Exsistit vero ex studio cultuque religionis charitas, quae cum nos tam arcte conciliet coniungatque Deo, ut eius nos filios et nominari et esse faciat, tum in homines progressa non privatis tantum, sed publicis quoque rebus societatibusque plurimum affert ut firmamenti, ita etiam commodorum. Quare id a vobis secundum Deum maxime postulatur, ut vos invicem diligatis, quod hinc animorum quaedam oriatur ad optima quaeque instituenda atque perficienda consensio. Cumque legibus comparatum sit, ut vestrum alii aliis dignitate auctoritateque praestent, eritis tamen in amore pares atque ad bene merendum potius quam ad reposcendum propensiores. Ac si erit haec inter vos, erit autem, ut cupimus et speramus, perpetua, tam honesta certatio, sic vobis recipimus nostris hominibus non virtutem, non domi forisque gravitatem atque modestiam, non rectam institutionem ac disciplinam, non studium servandarum constitutionum, non denique aliquid eorum, quae ad salutem existimationemque ordinis conferunt, defuturum. Nam dum quisque benevolentiae in se aliorum benevolentia, quae non tam verbis quam factis declaratur, respondere studet, illud sibi imprimis esse cavendum putat, non solum ut ne deserat officium, sed ut ne intermittat quidem. Officiorum autem praeter ea, quae nobis communia cum ceteris christianis sunt, propria esse nostrum perspicitis omnino duo, quorum alterum constitutionum, alterum studiorum litterariorum cultu continetur. Cumque horum alterutro neglecto, praedicatorum ne nomen quidem possit consistere, utrumque omni ope praestetis necesse est. Ac de legibus institutisque nostris, quas partim in constitutionum volumine legistis, partim in hoc, quem vobis nunc damus, legetis libro, nihil attinet scribere. Scribemus autem ad vos, cum tempus postulaverit, copiose. Id volumus, ut qui vestrum hunc ipsum libellum primi omnium sibi paraverint, reliquos moneant, ut ab iis etiam legi queat. De studiis litterarum hoc modo perbreve dicimus, esse vobis satis explorate compertum et cognitum, quem vos in hoc genere sequi auctorem oporteat; nam doctrinae s. Thomae a maioribus, a conciliis, a pontificibus celebratae tanta est tantaque semper fuit existimatio, ut nostris nullo modo liceat ab ea transversum, ut aiunt, unguem discedere. Haec vero non eo scripta a

nobis sunt, quo vos segnes et quasi dormientes excitasse, sed potius, quo currentes incitasse videamur. Illud vos ad extremum et petimus et oramus, ut in his omnibus custodiendis, servandis implendisque rebus ita versemini, ut, qui vos sponte permoveri ad agendum cernunt, iidem vos ipsos non timore poenae agere arbitrentur, sed amore iustitiae desiderioque colendi Dei. Id facillime facietis, si eum, cui semper uni magis quam ulli alteri placere voluistis, vobiscum semper esse cogitabitis, omnibusque iis rebus, quas quisque vestrum dicet ac faciet, interesse. Valete.

Acta capituli generalis provincialium et diffinitorum Romae celebrati in conventu s. Mariae super Minervam a die 3. iulii 1756 sub rm̃o patre fr. Ioanne Thoma de Boxadors, ordinis praedicatorum generali magistro, ea die in eodem capitulo electo.

In nomine ss. et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti necnon b. Mariae semper virginis et beati Dominici p. n. atque omnium sanctorum.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, ss. d. n. Benedictum pp. XIV., ut suae consuleret valetudini, quemadmodum utilitas christianae reipublicae postulabat simulque honore, quem animo proposuerat, ordinem nostrum augeret, capitulum generale, quod ad diem 5. mensis iunii fuerat indictum, ad diem 3. iulii distulisse suamque de ea re voluntatem vicario generali ordinis hisce litteris significasse, quas etiam latinas factas subiicimus.

Dilecto filio patri magistro Vincentio Maria Ferretti, vicario generali ordinis praedicatorum.

Benedictus pp. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Come ella ben sa, la prima nostra volontà rispetto al capitolo generale della sua religione era, che si facesse, come tante altre volte si è praticato, in Bologna, e che ella ne fosse il presidente. Ma avendo poi considerato, che avevamo prestata la nostra assistenza ad altri capitoli generali, e specialmente a quelli della religione francescana, credemmo ben fatto, che il capitolo si tenesse in Roma, volendo noi personalmente assistervi e presedervi, per dare que-

Quod notum tibi probe est, ita nobis primum de generalibus comitiis tui ordinis fuerat constitutum, ut ea Bononiae, quod factum tam saepe alias fuerat, haberentur, utque iis tute praesideres. Verum ubi deinde cogitavimus, aliis nos generalibus comitiis, praesertim ordinis franciscani, adfuisse, opportunum fore iudicavimus, uti ea comitia Romae fierent, quod iis nos ipsi adesse ac praesidere vellemus, hanc publice daturi significationem, non

sto pubblico contrassegno, non diremo dell'affetto, ma della sincera venerazione, che professiamo alla sua religione domenicana.

Quando fu fissato questo sistema, a tenore del quale fu anche fatta la convocatoria de' capitolari, non avemmo presente ciò, che si legge nelle costituzioni dell' ordine, che il capitolo si faccia nella vigilia di Pentecoste, e molto meno, che nell' anno presente la vigilia della Pentecoste cade nel giorno 5. di Giugno, dal che poi sarebbe derivato, che, essendo noi soliti d'andare a prendere un poco d'aria in Castel Gandolfo, sperando colla passata esperienza di poter col benefizio d'essa ricuperare il moto spedito delle gambe, che ci resta impedito dalla podagra, sarebbe stata troppo corta la nostra villeggiatura, dovendo noi ritrovarci in Roma nell' antivigilia di s. Pietro, che vuol dire nel giorno 27. dello stesso mese di giugno; e non avendo avute presenti le predette cose, per non privarci della consolazione di assistere e presedere al capitolo, ci è convenuto di pensare ad un altro espediente.

E l'espediente, a cui abbiamo pensato e che abbiamo abbracciato, è il seguente, non già di anticipare il capitolo, ma di posticiparlo e di fissarlo pel giorno 3. di luglio, giorno di sabbato, non potendo ciò recare verun pregiudizio all' elezione, nè agli elettori: non all' elezione, perchè se essa non si fa nel giorno stabilito dalle costituzioni, si fa d'or-

benevolentiae dicimus, sed sincerae, qua tuum praedicatorum ordinem prosequimur, venerationis.

Quum haec ita constitueremus, secundum quae scriptae etiam fuerunt de comitiis cogendis litterae, non animadvertimus, id esse in constitutionibus ordinis, ut comitia in pervigilio Pentecostes habeantur, multoque etiam minus hoc anno pervigilium Pentecostes incidere in diem 5. iunii; ex quo futurum fuisset, ut, quum soliti simus ad castrum Gandulphi, salubrioris aeris ducendi caussa, divertere, quod pro superioris temporis experimento confidamus, eius beneficio expeditum pedum motum nos posse recuperare, quem podagra impeditum habemus, nimium brevis ea nobis esset rusticatio, propterea quod Romae adfuturi simus pridie pervigilii diei festi s. Petri, hoc est die 27. eiusdem iunii mensis; ad quae quum animum non advertissemus, ne careremus eo fructu voluptatis, quem eramus capturi, si adfuissemus praesedissemusque comitiis, commodiorem aliam rationem ineundam nobis esse iudicavimus.

Atque est ratio, quam excogitavimus quamque sequuti sumus, haec scilicet non ut praevertatur quidem comitiorum tempus, sed ut differatur indicaturque ad diem 3. iulii, quae dies erit sabbati, quod neque electioni neque electoribus incommodum inferre ullum potest; non electioni quidem, quoniam ea, etsi non fiat die constitutionibus statuto,

dine nostro e colla nostra autorità in un altro giorno; non agli elettori, perchè quando ancora l'elezione si fosse fatta nel giorno 5. di giugno, vigilia della Pentecoste, come prescrivono le costituzioni, non vi sarebbe stato forse veruno degli elettori, che non si fosse trattenuto in Roma per la festa di s. Pietro, che cade nel giorno 29. dello stesso mese.

Aggiungiamo, non esser nuovo il caso della posticipazione del capitolo ancor dopo la costituzione, che fissa il giorno nella vigilia di Pentecoste, avendo noi osservato, che il capitolo tenuto l'anno 1484, che doveva tenersi nella vigilia di Pentecoste secondo l'intimazione, per imbarazzi nati fu tenuto quattro mesi dopo, cioè nel giorno 10. d'ottobre dell'anno stesso. Il capitolo generale celebrato in Venezia l'anno 1486 non fu tenuto nella vigilia della Pentecoste, ma nel giorno di san Pietro, così avendo creduto opportuno gli elettori. Nel 1507 fu tenuto il capitolo generale in Pavia, ma non nella vigilia di Pentecoste, ma nel giorno 6. di giugno, in cui quell'anno cadeva la domenica fra l'ottava del Corpusdomini, il che dall'Echard viene attribuito alle guerre, che erano in quel tempo in quelle contrade.

Ecco quanto abbiamo risoluto. Ecco le ragioni ed i motivi, ai quali s'appoggia la nostra risoluzione, che, come ella ben vede, non è senza esempio. Sarà sua cura il notificarla e regolare il tutto, acciò sia eseguita. Ed intanto con pienezza

iussu tamen nostro nostraque auctoritate alio fit die; neque vero electoribus, quandoquidem etiamsi electio celebrata fuisset die 5. iunii in pervigilio Pentecostes, ut constitutionibus praescriptum est, nemo unus fortasse electorum futurus fuisset, qui non constitisset Romae ad diem festum s. Petri, qui in diem incidit 29. eiusdem mensis.

Addimus non id novum accidere, ut tempus comitiorum differatur etiam post constitutionem, quae est de iis habendis die pervigilio Pentecostes, quum observaverimus, comitia anno 1484 habita, quae in pervigilio Pentecostes celebranda erant, quem ad diem fuerant indicta, interpositis difficultatibus, quarto post mense fuisse habita, idest die 10. octobris eiusdem anni. Comitia generalia habita Venetiis anno 1486, non in pervigilio Pentecostes, sed die festo s. Petri fuerunt facta, quod ita electoribus visum esset opportunum. Anno 1507 celebrata sunt comitia generalia Papiae, neque vero in pervigilio Pentecostes, sed die 6. iunii, in quam incidit eo anno dominica infra octavam Corporis Christi, quam rem Echardus bellis tribuit, quae tum iis locis erant.

En quod decrevimus. En rationes atque causas, quibus susceptum a nobis consilium nititur, quod, ut probe intelligis, non caret exemplo. Tuae erit curae de eo tuis significare atque omnia ita componere, ut illud reipsa perficiatur. Interea te

di cuore abbracciandola, diamo a lei ed al suo ordine l' apostolica benedizione.

quam amantissime complectentes tibi tuoque ordini apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam maiorem die 14. aprilis 1756, pontificatus nostri anno decimosexto.

2. Denuntiamus, eumdem ss. d. n. vicepraesidem capituli ad singulas actiones cum eas, quae electionem praecedere, tum eas, quae eamdem consequi deberent, suo sanctaeque sedis nomine instituisse rm̃um p. fr. Vincentium Mariam Ferretti, Anconitanum, procuratorem generalem ordinis.

3. Denuntiamus, ad constitutam diem 3. iulii ss. d. n. summa, qua in nos est, benignitate, ut electioni magistri ordinis praeesset eamque ornaret praesentia sua, mane ad hoc coenobium venisse aulamque ingressum, quae habendae electioni erat designata, ibi ex pontificio throno gravi elegantique sermone patres omnes, imprimisque vocales fuisse alloquutum. Ecquam porro eiusmodi alloquutione caritatem benevolentiamque in ordinem universum ostenderit, nemo facile intelligere potest, nisi qui eamdem alloquutionem vel audierit vel perlegerit. Quamobrem, ut omnibus optimi principis parentisque egregia in praedicatores voluntas sit manifesta, utque aliquam gratiam, licet imparem, accepti saltem beneficii testificatione benemerentissimo pontifici referamus, ipsam eius orationem hic ad sempiternam posterorum recordationem describimus.

Benedicti pp. XIV. allocutio, habita in comitiis generalibus ordinis fratrum praedicatorum in conventu s. Mariae super Minervam, celebratis v. nonas iulii 1756.

Magna res agitur in hoc conventu vestro, dilecti filii, cui hodierna die praesidemus; nec modo pro familiae vestrae rationibus gravissima, sed etiam pro totius ecclesiae statu non leve pondus habitura; cui perficiendae incredibili cum gaudio nos interesse profitemur, ut omnibus manifestum faciamus gratum memoremque animum nostrum erga ordinem vestrum, quem summo ipsius merito iamdudum et amamus et colimus.

Verum, quanta sit agendae rei magnitudo, silentio praetermittemus, cum nemo vestrum ignoret, cuius momenti sit, magistrum generalem ordinis vestri deligere, cui semel delatum regimen, perpetuum, dum vixerit, futurum erit; cumque unusquisque ex eo splendoris loco, quem dominicana familia in ecclesia Christi obtinet, facile intelligat, illius rectoris electionem non ad solam eiusdem familiae utilitatem et administrationem referri, sed etiam ad universam christianam rempublicam ratione aliqua pertinere. Itaque sermonem nostrum redigemus ad ea, quae nos ordini vestro debere cognoscimus, quaeque nos ita iampridem affe-

cerunt, ut eumdem et amare et colere semper professi simus et adhuc profiteamur; eaque de causa praesentem diem felicissimum nobis existimemus et inter paucos illos adnumerandum, quos sexdecim hisce calamitosi pontificatus nostri annis cum aliqua animi voluptate transegimus.

Et sane, post absoluta leviorum artium studia, cum sacrae theologiae operam dederimus, non magnos in ea progressus nos quidem fecisse intelligimus, sed, si quid profecimus, id omne acceptum referre debemus bonae memoriae cardinali Thomae Ferrario, clarissimo ordinis vestri theologo, qui rectam nobis nobilissimae disciplinae viam aperuit suaque institutione atque opera ad incoeptum iter persequendum adiuvit; immo cum palatii apostolici magisterio fungeretur, theologicae laureae honorem ipse nobis detulit, eaque occasione monumentum scripto exaratum reliquit, quo de propensa nostra erga sanctiores disciplinas voluntate honorifice testabatur maioraque a nobis expectari posse declarabat, si, quemadmodum animati tunc videbamur, in instituto curriculo persisteremus.

Amplam hanc aulam, in qua nunc considemus, nos ipsi a fundamentis excitari olim vidimus, mox omnigena litteraria supellectile ornari, ita ut inter insigniores universi orbis bibliothecas merito accenseatur, eamdemque postquam studiosorum commodo patefieri conspeximus, cum primis adire certavimus et frequentare numquam destitimus, donec impositae nobis alterius generis curae nos alio avocarunt.

Longiori autem vitae nostrae cursu, quem, paucis detractis annis, in Urbe egimus, nemo ex sodalibus vestris fuit vel dignitate vel sapientia et doctrina excellens, fuerunt autem excellentes permulti, qui nos omni officiorum genere et praecipua quadam amicitiae necessitudine complexus non fuerit. Sed reliqua multa omittentes, hoc unum commemorabimus, sublimem cardinalatus dignitatem, quam immerentes adepti fuimus, eximiae erga nos liberalitati sanctae memoriae Benedicti XIII., pontificis maximi et ordinis vestri olim alumni, unice a nobis deberi.

Regressi deinde Bononiam patriam nostram, vigentem in ea invenimus memoriam rerum a sancto Dominico, patriarcha vestro, in ea gestarum, tum scilicet insignium peccatorum, qui assiduis iliius concionibus permoti a semita iniquitatis ad viam salutis revocati fuerunt (1), tum virorum doctrina et sanctitate illustrium, qui in ea urbe sodalitati vestrae nomen dederunt (2), tum etiam generalium comitiorum, quae prima omnium ordinis vestri ibidem habita fuerunt, in quibus ipsius ordinis praefectura

(1) Flaminius in vita S. Dominici lib. 2. fol. 47 et tom. I. Annalium Ordinis Praedicatorum ad annum 1219 num. 37.

(2) Fr. Iordanus in vita s. Dominici n. 35. Flaminius l. c. Malvenda in Annalib. Sacri Ord. Praedicatorum ad annum 1219. atque eod. tom. I. Annal. Ord. Praed. l. c.

eidem s. Dominico fundatori communibus suffragiis delata fuit (1), denique cives nostros cum incredibili animi nostri laetitia perpetuo vidimus obsequiis et votis celebrare sepulchrum patriarchae vestri, qui Bononiae ex hac vita decedens (2), pretiosum ei civitati reliquit corporis sui thesaurum, quod quidem augusto mausoleo conditum ibidem summa cum religione asservatur. In ipsa vero administratione archiepiscopalis officii, quod ibi pluribus annis gessimus, oculos saepe convertimus ad praeclara gesta Iacobi Boncambii, qui ex ordine vestro ad Bononiensem ecclesiam regendam assumptus, tanta in verbi Dei praedicatione famae celebritate floruit, ut finitimarum civitatum populi, quemadmodum historiae nostrae testantur (3), ad illum audiendum percipiendamque ex illius ore salutis scientiam certatim confluxerint.

Postquam vero, nihil tale promeriti, ad supremum pontificatus apicem devenimus, propensa nostra erga dominicanam familiam amoris et cultus affectio, supra quam dici potest, excrevit. Apostolicam enim beati Petri cathedram trophaeis suis exornant tredecim ex alumnis vestris, qui a Romanis pontificibus post accuratissimum rerum omnium examen in sanctorum numerum relati fuerunt, inter quos s. Pius V., praedecessor noster, pro cuius canonizatione, dum in minoribus constituti, advocati consistorialis munere fungeremur, operam laboresque nostros impendisse gloriamur; et s. Catharina de Ricciis, quam nosmetipsi sanctarum virginum catalogo adscripsimus (4). Praeterea novemdecim e vestris sodalibus eiusdem apostolicae sedis decreto in beatorum numerum rite cooptatos invenimus; ex his vero decem vel nobis, dum promotoris fidei munus sustineremus, studia nostra conferentibus, vel nobis ipsis e pontificio throno decernentibus, is honor delatus fuit. Hunc ipsum apostolicum thronum quatuor ex ordine vestro pontifices ante nos tenuerunt, videlicet Innocentius V., quem s. Antoninus insigni laudis praeconio commendavit (5), Benedictus XI. ex beatorum, quos innuimus, et Pius V. ex sanctorum, de quibus diximus, numero, ac denique Benedictus XIII., cuius virtutum et recte factorum testes nos ipsi fuimus. Quod, si forte reliqua familiae vestrae ornamenta et in ecclesiam catholicam promerita ex animo nostro excidere umquam potuissent, hoc tamen profitemur, nullo umquam tempore evenire potuisse, ut e memoria nostra dilaberetur theologorum prin-

---

(1) Die 17. Maii 1220. cit. tom. 1. Annal. Ord. Praedicat. ad an. 1220. n. 39.
(2) Die 6. Augusti 1221. cit. tom. 1. Annal. Ord. Praedicat. ad annum 1221. num. 25. in fine.
(3) Sigonius lib. 2. de Episcopis Bononiensibus ad annum 1244.
(4) Die 29. iunii 1746.
(5) III. parte chronicorum tit. 20. cap. 3.

ceps, scholarum angelus, ecclesiae doctor, praeclarum ordinis vestri sydus, s. Thomas Aquinas, cuius doctrinae complures Romani pontifices praedecessores nostri perhonorifica dederunt testimonia (1), quemadmodum etiam nos ipsi in libris, quos de variis argumentis conscripsimus, postquam angelici doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus, candide profitentes, siquid boni in iisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto praeceptori totum esse adscribendum.

Hactenus, dilecti filii, de hodierni operis, cui praefuturi sumus, gravitate ac de paterna prorsus benevolentia et singulari existimatione, qua ordinem vestrum iustissimas ob causas superius expressas aliasque his facile adiiciendas prosequimur. Reliquum est, ut de ipsa re, quam hic peracturi convenistis, idest de electione magistri generalis eiusdem ordinis vestri, aliqua attingamus. Verum quid umquam afferre poterimus, quod iam probe non teneatis, quodque unusquisque vestrum ab inclyto, quem proxime laudavimus, praeceptore Thoma Aquinate non didicerit? Si dicemus, huiusmodi magisterium ei deferendum esse, qui omnium optimus inter vos habeatur, si dicemus, non eum esse omnium optimum, qui sola vitae sanctimonia ceteris antecellat, sed qui praeter morum probitatem, quae quidem necessaria est, aliis quoque virtutibus atque animi dotibus ad recte regendam familiam idoneis instructus comperiatur, nihil porro dicemus, quod in operibus angelici doctoris egregie constabilitum et a vobis iampridem lectum atque animadversum non fuerit (2). Si dicemus, suffragia vestra, sepositis peculiaribus affectionibus et propriae utilitatis respectu, nil aliud intueri debere, quam eorum virtutes et merita, quorum electio vobis animo obversatur, nihil dicemus, quod non egregius praeceptor vester tradiderit (3). Itaque nil aliud nobis dicendum superest, nisi ut id agatis, quod vos praeceptor ille vester agendum docuit, utque tales vos exhibeatis, quales, dum alias electiones ab aliis celebrari audistis, eos se praestare oportere dicebatis, qui in eis suffragium laturi erant. Quibus maxime rebus ordo vester indigeat, vobis potissimum debet compertum esse. Quis huic sustinendo muneri idoneus, qui supra ceteros ad id aptus et bene regendi capax videatur, cognoscere vos arbitramur. Ne autem in errorem vos labi forte contingat, supplices iterum, ut antea vos saepe fecisse putamus, ad Deum patrem luminum preces effundite,

---

(1) Tom. 8. Bullarii Ord. FF. Praedicatorum in tractatu de consensu Bullarum tit. 6. quaest. 2. per tot.

(2) S. Thomas Quodlibet. 8. art. 6. et Quodlibet. 4. art. 23. ad 12. et Quodlibet. 6. art. 9. et Quodlibet. 4. art. 15. et II.a II.ae qu. 63. art. 2. in corpore.

(3) Locis citatis.

ac patrocinium et opem s. Dominici patriarchae vestri aliorumque sodalium vestrorum cum Christo regnantium, quique inter beatos vel sanctos ab ecclesia coluntur, vobis deposcite, dum nos interea, qui vestris comitiis non alio fine interfuimus, quam ut vestram in ferendis suffragiis libertatem salvam et incolumem praestemus, novi magistri generalis electionem, a vobis iamiam perficiendam, apostolica benedictione nostra prosequimur et in antecessum amantissime complectimur.

Hanc humanitatis amorisque plenam orationem gratissimo, ut decuit, animo exceperunt patres universi, atque in hanc sententiam omnium nomine, peracta electione, gratias summo pontifici egit rm̃us p. procurator generalis:

Gratias acturus maximas sanctitati vestrae, beatissime pater, pro amplissimo atque immortali beneficio, quo universus ordo praedicatorum hodierna luce a sanctitate vestra honestatus est, etiamsi nullam existere tantam posse ingenii ubertatem tantamque dicendi copiam aut tam incredibile dicendi genus, intelligo, quo quisquam possit summa tua, beatissime pater, in nos promerita non modo orando complecti, sed percensere numerando; hoc tamen unum tanti esse sentio, ut nihil aut maius aut liberalius excogitari posse videatur. Ecquae enim aut nostra aut ordinis nostri tanta fuit dignitas, ut comitia nostra pontificiae maiestatis adventu ac praesentia, hoc etiam tam splendido ac nobili comitatu illustrarentur? Ac quod sanctitas vestra pontifices maximos praedecessores suos, sanctaeque Romanae ecclesiae cardinales ex ordine praedicatorum ad amplissimos illos honorum gradus evectos, ipsumque ordinem eiusque alumnos, praesertim vero angelici magistri nostri sancti Thomae Aquinatis doctrinam tot tamque insignibus laudibus extulerit, nos quidem omnes non solum incredibili voluptatis fructu, tanta ista benevolentiae significatione complevit, sed traduxit etiam in maximam admirationem sapientiae, doctrinae atque eruditionis sanctitatis vestrae incredibilis ac plane singularis. Quamobrem, quae nobis antea familiae nostrae ornamenta iucunda semper fuerunt ipsa per se, erunt profecto deinceps propter insigne sanctitatis vestrae praeconium et laudationem multo iucundiora, horumque adeo comitiorum huiusque et diei et loci memoria nulla umquam oblivione delebitur, sed vigebit semper ad praedicationem totius ordinis sempiternam. Interea Deum optimum maximum, cuius scilicet voluntati faustam fortunatamque huius diei laetitiam acceptam referimus, oramus obtestamurque, ut sanctitatem vestram ad communem totius christianorum reipublicae atque ad singularem nostri ordinis felicitatem sospitem quamdiutissime atque incolumem conservet.

4. Denuntiamus, eadem die 3. iulii, vacante totius ordinis magisterio

ob mortem fel. rec. rmi p. fr. Antonini Bremond, servatis omnibus ad canonicam magistri ordinis electionem pertinentibus, praesente ac praesidente eodem ss. d. n. Benedicto pp. XIV., omnium animorum consensione, cunctisque suffragiis electum fuisse in rmum ordinis magistrum p. fr. Ioannem Thomam de Boxadors, Barcinonensem, Barcinonensis sanctae Catharinae virginis et martyris coenobii alumnum, qui cum matura iam aetate rerumque usu exercitata, ex principum aula, in qua propter nobilitatem generis, gratiam animique dotes in publicarum rerum administratione ostensas cum optima spe versabatur, subito praeter omnium expectationem profectus in ordinem nostrum venisset, continenti studio exquisita facultate theologicarum disciplinarum comparata, easdem cum in scholis ordinis tum in Casanatensi collegio cathedraticus primum, deinde theologus magna cum laude professus est, praesertim quod esset pulcherrimis artibus doctrinisque eruditus, quas diu ante coluerat, ac denique post Aragoniam provinciam bene ac sapienter administratam, ab eodem rmo magistro ordinis fr. Antonino Bremond socius pro Hispaniarum provinciis adscitus ac titulo provincialis Terrae Sanctae auctus, operam suam singulari fide prudentiaque eidem assidue praestitit, atque adeo dignissimus habitus est, qui universo ordini regendo praeficeretur. Quem continuo atque electus fuit, idem ss. d. n. ad pedum beatorum oscula clementissime admisit et eximiis benevolentiae significationibus, summa patrum gratulatione, complexus est.

5. Denuntiamus, feria tertia electionem proxime consequuta magistrum ordinis electum omnesque vocales a sanctitate sua in palatio Quirinali ad pedum sanctissimorum oscula fuisse admissos, ibique sanctitatem suam paucis, sed tanto pontifice dignis verbis patres, quod dignum magisterio virum tanta concordia elegissent, collaudasse ac nova caritatis significatione varias tum ipsis, tum affinibus consanguineisque eorum, nec non fratribus coenobiorum, ad quae singuli vocalium pertinebant, indulgentias concessisse, et coram omnibus confirmasse universo ordini, quod s. mem. Benedictus XIII. iampridem concesserat, ut nimirum privilegium pro liberandis a purgatorio fidelium defunctorum animabus ad quoscumque sacerdotes ordinis praedicatorum et ad omnia ecclesiarum eiusdem ordinis altaria pertineat, in suffragium animarum omnium in purgatorio existentium, idque etiamsi missae non sint defunctorum, sive sint ex obligatione sive ex devotione, quotiescumque missa defunctorum celebrari non possit.

6. Denuntiamus literas apostolicas ss. d. n. Benedicti pp. XIV., quibus anno Domini 1749, die 22. decembris privilegium a fel. rec. Clemente pp. XI. bibliothecae Casanatensi concessum ad alias ordinis nostri bibliothecas extendens statuit, ut in bibliothecis praecipuorum coenobiorum a

magistro ordinis designandis quoscumque prohibitos libros retinere, reponere et custodire liceat, praescriptis certis quibusdam conditionibus. Sic autem habet:

Benedictus pp. XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

Quemadmodum laudabilis et permaxime necessaria in catholica ecclesia consuetudo a primis usque temporibus ducta semper servata in eo posita est, ut haeresiarcharum, haereticorum aliorumque pessimae notae quorumvis hominum opera sive manuscripta sive typis impressa nedum reprobentur ac prohibeantur, verum flammis etiam interdum publice tradantur, hinc factum fuit, ut Romani pontifices praedecessores nostri pro viribus adlaboraverint, quo sibi opera tam probatorum quam damnatorum auctorum sive manuscripta sive in lucem edita undique conquirerent atque compararent atque in apostolicam in hac alma Urbe bibliothecam inferrent. Postquam vero supremum in tota republica christiana universalis inquisitionis adversus haereticam pravitatem tribunal ad eum, in quo de praesenti reperitur, statum redactum proprias aedes perpetuasque habere coepit, opera quaecumque reprobata praesertim in ipsius tribunalis aedibus sub securiori custodia adservanda praeceperunt. Quoniam autem inclyto praedicatorum ordini de catholica ecclesia meritissimo ab eius origine, quod aliis non contigit, sanctae inquisitionis officium demandatum fuit, ac concredito muneri illius alumni strenue adhuc non sine memoratorum praedecessorum nostrorum gratia nostraque laude ubique satisfacere adnituntur, par ac aequum, immo necessarium hac praesertim ratione ducimus, ut in omnibus et singulis conventuum dicti ordinis bibliothecis, non ignobilibus tamen, retineantur, reponantur et custodiantur quaecumque haeresiarcharum, haereticorum aliorumque reprobatorum auctorum opera, volumina, libri ac manuscripta, quae undecumque provenire possint, sive pecuniis comparata sive ratione officii sacrae inquisitionis huiusmodi, quod fere ubique dicti ordinis professores exercere pergunt. Eapropter nos, qui supradictum ordinem ob regularis disciplinae observantiam, ob sacrarum doctrinarum studia, ob perennem in procuranda aeterna christifidelium salute sedulitatem ac ob assidua erga catholicam sedem obsequia ac concreditum memorato ordini sacrae inquisitionis officium plurimi facimus magnoque in honore habemus, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine quasdam fel. rec. Clementis pp. XI., itidem praedecessoris nostri, litteras die 12. februarii 1701 pro bibliotheca Casanatensi in conventu dicti ordinis in ecclesia s. Mariae super Minervam pro similium librorum manuscriptorumque retentione et custodia expeditas, sub eisdem prorsus modo et forma ad bibliothecas principaliorum eiusdem ordinis conventuum a dilecto filio Antonino Bremond, magistro generali memo-

rati ordinis, iuxta datam sibi a Domino prudentiam et iuxta locorum qualitates et necessitates designandas extendimus et ampliamus, seu motu, scientia et potestate similibus concedimus et impertimur, ut in bibliothecis conventuum eiusdem ordinis sic a memorato Antonino magistro generali eligendis et nominandis quorumvis haereticorum et haeresiarcharum aliorumque reprobatorum auctorum cuiuscumque sectae et classis, etiam primae, et ex quacumque causa etiam ob falsi dogmatis suspicionem a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus ac etiam in quibusvis conciliis generalibus et a nobis et sede apostolica ac a quocumque alio iudice ecclesiastico quacumque auctoritate, facultate ex officio fungente et functuro quomodolibet prohibiti et damnati et a nobis successoribusque nostris Romanis pontificibus et dicta sede et ab aliis quacumque auctoritate, facultate, praeeminentia, dignitate et officio, ut praefertur, fungente et functuro in futurum forsan prohibendi et damnandi libri, manuscripta et opera tam hactenus in lucem edita quam in posterum edenda seu scribenda quaecumque, etiamsi ex professo et in capite de religione et fide catholica seu contra religionem et fidem eamdem tractent, in ipsis bibliothecis sic, ut praemittitur, eligendis et nominandis collocati et collocata et in futurum quomodolibet collocandi et collocanda retineri, haberi et asservari tantum libere, licite et impune ac absque ullo conscientiae scrupulo et quarumcumque ecclesiasticarum sententiarum et censurarum vel aliarum poenarum, etiam irregularitatis, infamiae aut inhabilitatis incursu possint et valeant, quin a quibusvis patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac generalibus inquisitoribus aliisque officialibus et ministris quocumque nomine nuncupatis, ac quacumque auctoritate, superioritate, praeeminentia, facultate et officio fungentibus et suffultis, etiamsi de illis vel illa specialis, individua et expressa facienda sit mentio, superiores seu priores aliique dicti ordinis professores super his tum extra tum intra ordinem praedictum perturbari, aut ulla illis molestia affici possint; ita tamen ut libri, manuscripta et opera huiusmodi separata et sub clavi, ne ad aliorum manus deveniant, retineantur, et nonnisi ab iis, qui opportunam super eorum lectione licentiam sibi canonice concessam esse bibliothecariis pro tempore in eisdem bibliothecis deputatis et deputandis ostenderint, legi permittatur. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in universalibus provincialibusque conciliis editis et edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon prohibitionibus desuper factis et in posterum quomodolibet faciendis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda

foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 12. decembris 1749, pontificatus nostri anno decimo.

D. card. Passioneus.

Loco † sigilli.

7. Anno Domini 1750, die 9. maii, b. Marcolini Foroliviensis ordinis praedicatorum cultum a sacra Rituum congregatione probatum apostolica auctoritate confirmat. Est autem decretum hoc:

Decretum. Forolivien.

Canonizationis b. Marcolini a Forolivio, sacerdotis professi ordinis praedicatorum.

Admissa a sacra Rituum congregatione sub die 16. septembris 1747 ad relationem emi ac rmi d. cardinalis de Gentilibus commissione reassumptionis causae b. Marcolini praedicti et a ss. d. n. Benedicto pp. XIV. postmodum signata, cum modo ad tenorem praefatae commissionis ex dispensatione apostolica propositum fuerit ab eodem emo ponente atque in dicta sacra congregatione discussum infrascriptum dubium: An constet de casu excepto a decretis s. mem. Urbani VIII., seu de cultu publico ab immemorabili tempore eidem beato praestito in casu et ad effectum, de quo agitur, sacra eadem congregatio, audito r. p. d. Ludovico de Valentibus, qui voce et scripto suam sententiam exposuit, rescribendum censuit: Affirmative, si ss. d. n. visum fuerit. Hac die 2. maii 1750.

Factaque deinde per me secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 9. maii 1705.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

T. patriarcha Hierosolymitanus secr.

Die 3. augusti eiusdem anni facultatem concedit recitandi officium et missam de eodem b. Marcolino de communi confessoris non pontificis

cum oratione et lectionibus secundi nocturni propriis in toto ordine et in dioecesi Foroliviensi.

Eadem die orationem item et lectiones secundi nocturni proprias concedit de b. Matthaeo Carrerio ordinis nostri pro universo ordine et pro dioecesibus Mantuana et Viglevanensi.

Anno 1751, die 27. ianuarii, probat lectiones secundi nocturni proprias de b. Alberto a Bergomo, tertii ordinis praedicatorum, recitandas in universo ordine et in Bergomensi ac Cremonensi dioecesibus.

8. Die 29. martii eiusdem anni 1751 approbat et confirmat decretum a sacra congregatione negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita die 5. martii anno 1751 latum, quo decernitur, ius instituendi priorem coenobii nostri s. Mariae Portus Salutis civitatis Vallettae in insula Melitensi ad magistrum generalem ordinis pertinere, simulque eiusdem coenobii fratribus perpetuum de hac causa silentium indicit. Ac sunt apostolicae litterae huiusmodi:

Benedictus pp. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Maria Ferretti, procurator generalis ordinis praedicatorum, quod alias tunc existentes fratres conventus Portus Salutis oppidi civitatis nuncupatae Vallettae Meliten. dioecesis dicti ordinis, quemadmodum antiquitus in eodem conventu propter electionem prioris quamplurimae confusiones ac inordinationes oriebantur, quae maximum tum rebus spiritualibus tum temporalibus damnum et detrimentum afferebant; ita ad salutare eisdem avertendis remedium opportune adhibendum, data occasione, quod illuc tamquam totius provinciae Siculae memorati ordinis visitator accessit tunc in humanis agens Gregorius Arostegui et Arelyza, frater expresse professus memorati ordinis, die 7. augusti 1651 capitulariter congregati proprio iuri eligendi priorem dicti conventus renuntiarunt, illudque in tunc existentem magistrum generalem dicti ordinis sua vita naturali dumtaxat, non autem in illius successores, nisi talis renuntiatio per novum consilium fratrum eiusmodi conventus ratificaretur, transtulerunt, ea tamen declaratione adiecta, ut prior sic a dicto tunc existente magistro generali eligendus simul exerceret munus vicarii trium conventuum supradicti ordinis in insula Melitensi existentium per patentes litteras a dicto magistro generali expediendas. Huiusmodi autem renuntiationem non solum capitulum generale memorati ordinis approbavit, verum etiam fel. rec. Alexander pp. VII., praedecessor noster, per quasdam suas in simili forma brevis die 3. octobris 1656 expeditas litteras confirmavit, ipsamque facultatem eligendi priorem huiusmodi, defuncto dicto magistro generali, apostolica haec sancta sedes magistro generali eiusdem ordinis de novo electo de decennio in decennium concedere et prorogare perrexit. Porro fratres conventus prae-

fati, cognita utilitate, quam ipse conventus tum in spiritualibus tum in temporalibus ex electionibus priorum a magistro generali pro tempore factis percipiebat, anno 1698 ius nominandi priorem praedictum in perpetuum tunc existenti magistro generali reliquerunt, atque ab anno praedicto usque ad praesens magistri generales praedicti ordinis dictum priorem simul in vicarium praedictorum trium conventuum nominarunt et elegerunt. Nuper vero nonnulli ipsius conventus filii, ceteris autem minime consentientibus, ius praefatum alias dimissum acquirere contendentes, ad congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum recursum habuerunt; ipsa vero cardinalium congregatio, auditis prius eiusdem Vincentii Mariae, procuratoris generalis, memoratis cardinalibus facta ac ven. fratris Pauli archiepiscopi, episcopi Meliten. relationibus ad illos transmissa, die 5. currentis mensis martii suum edidit decretum tenoris sequentis, videlicet: In causa Melevitana iuris eligendi, vertente inter patres conventus s. Mariae Portus Salutis ordinis praedicatorum, civitatis Vallettae, instantes pro declaratione, quod electio prioris spectet ad vocales eiusdem conventus, ex una et patres totius provinciae Trinacriae eiusdem ordinis petentes declarari, quod electio spectet ad patrem magistrum generalem, ex altera partibus, sacra congregatio emorum et rmorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, referente emo Columna de Sciarra ponente, partibus auditis ac re mature perpensa, decrevit et declaravit: Electionem spectare ad patrem generalem. Romae 5. martii 1751. C. A. card. Cavalchini. Ioseph Maria archiep. Damascenus secret. Loco † sigilli. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Vincentius Maria, procurator generalis, vereatur, ne fratres praefati decreto huiusmodi acquiescant novamque audientiam experiantur magno cum provinciae et conventus dispendio, ac propterea ut lites et expensae de medio auferantur, non solum decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, verum etiam perpetuum causae huiusmodi silentium per nos imponi summopere desideret; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Vincentium Mariam, procuratorem generalem, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus inclinati, praeinsertum dictae congregationis cardinalium decretum aucto-

ritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac modernis et pro tempore existentibus dicti conventus Portus Salutis fratribus seu filiis in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, auctoritate et tenore praesentium mandamus, praecipimus et inhibemus, ne sub quovis praetextu, quaesito colore, causa, ratione ingeniove ea de causa ad memoratam vel aliam almae Urbis nostrae congregationem vel tribunalia recurrere et recursum habere audeant seu praesumant, et quatenus recurrere et recursum habere audeant seu praesumant, preces illorum minime recipiantur, illisque perpetuum silentium omnino imponatur, prout per praesentes huiusmodi causae silentium imponimus. Ac decernentes, ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et sedis apostolicae nuntios aliosque dictae sedis officiales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, provinciae et conventus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 29. martii 1751, pontificatus nostri anno undecimo.

D. card. Passioneus.

Loco † sigilli.

9. Denuntiamus, eumdem ss. d. n. anno 1752, die 24. ianuarii in consistorio secreto ad S. R. E. cardinales gravissimam habuisse alloquutionem de pretiosa morte illm̃i ac rm̃i d. fr. Francisci Serrani, Tipasitanorum episcopi designati et rr. pp. ff. Ioannis Alcoberi, Ioachimi Royi et Francisci Diazii, clarissimorum virorum nostri ordinis, qui Fo-chei in

Fo-kiena Sinarum provincia pro Christi religione martyrio perfuncti sunt. Quam quidem alloquutionem litteris a rm̃o tum magistro ordinis p. fr. Antonino Bremond ad universum ordinem scriptis vulgatam atque una cum eorumdem martyrum actis italice primum, tum latine eiusdem olim rm̃i iussu editis, semel atque iterum typis impressam hoc rursus loco describimus, quo crebriori commemoratione et martyrum virtus et illustre de eorum virtute pontificis maximi testimonium magis magisque celebretur, ipsas etiam rm̃i Bremond litteras addentes, quas modo diximus.

Allocutio ss. d. n. Benedicti pp. XIV., habita in consistorio secreto feria 2. die 24. ianuarii 1752 de pretiosa morte Francisci Serrani, ex ordine praedicatorum episcopi Tipasitani, vicarii apostolici provinciae Fokiensis in regno Sinensi, Ioachim Royo, Ioannis Alcober et Francisci Diaz, eiusdem ordinis Dominicani sacerdotum.

Venerabiles fratres.

Tertius iam annus est, ex quo nos hoc ipso in loco pretiosam mortem Petri Martyris, dominicanae familiae, Mauricastrensis episcopi et apostolici provinciae Fokiensis. in imperio Sinarum vicarii vobis exposuimus (1); quo quidem tempore certiores vos etiam facere non praetermisimus, quatuor alios dominicanae eiusdem familiae religiosos viros esse, qui in carcere detinebantur quique non longe ab eo erant, ut eamdem damnationis sententiam subirent et pro christiana religione vitam amitterent. Ibi autem cum nos antiquam ecclesiasticam loquendi rationem secuti (2) illos martyres designatos nominaverimus, nunc mortis eorumdem et feralis executionis atrocis sententiae nuntio accepto, martyres consummatos eosdem appellandos iudicamus, quo etiam nomine Mauricastrensis episcopus a nobis fuerat appellatus, illud successoribus nostris integrum reservantes, ut martyres vindicatos illos pronuntient, postquam probationum examen institutum atque peractum fuerit, et quae de illorum gestis relata huc transmissa sunt, a veridicis licet fontibus profecta, authenticis documentis fuerint comprobata; et postquam Dei optimi maximi benignitas signis ac miraculis manifestare dignata fuerit, quantopere horum servorum suorum holocaustum divinae maiestati suae fuerit acceptum, cum sanctae huic apostolicae sedi hoc in more positum et constanti lege firmatum sit (3), ut ad veri martyrii approbationem minime procedat, nisi supernaturalia signa atque prodigia pariter accesserint.

(1) In allocutione habita in consistorio secreto die 16. septembris 1748. Cfr. supra pag. 128.

(2) Ibidem pag. 129.

(3) Lib. III. nostri operis de Canonizatione cap. 27. num. 8. et cap. 29. a num. 6. ad ult.

Horum, qui nuperrime pretiosam mortem obierunt, nomina sunt: Franciscus Serranus, Ioachim Royo, Ioannes Alcober et Franciscus Diaz. Etsi autem probe nobis compertum illud est, « martyrem non facere poenam, sed causam » (1), minime tamen plura nobis hoc loco persequenda existimamus, ut vobis enarremus, illud ex iis, quae huc ad nos pervenerunt, monumentis colligi, quatuor hosce sacerdotes necatos tyranni iussu fuisse propter infensum animum, quem ipse contra christianam fidem gerebat, in cuius praedicatione ipsi sacerdotes assidua atque indefessa cura se exercebant, atque ab ipsis mortem christiana aequanimitate ac fortitudine exceptam fuisse, eiusdem sanctae religionis causa, cuius asserendae miro amore flagrabant; cum de hac re ab hinc supra triennium pluribus nos egerimus, cum ex hoc ipso loco Mauricastrensis episcopi mortem vobis annuntiavimus. Persecutio enim, quae contra ipsos hosce sacerdotes desaeviit, eadem ipsa est, quae in fidei odium contra Mauricastrensem episcopum excitata fuit, et tam illius, quam horum, causa communis est. Illud hic nobis adiungendum est, religiosos hos viros non modo lubenti animo mortem subiisse immanesque cruciatus, qui a tyranno ipsi morti additi sunt, tolerasse, verum et ante gravissimis aerumnis atrocibusque contumeliis in ipso carcere duorum fere annorum spatio constitutos fuisse, ut satis apposite de illis dici possit, quod « in omnibus exhibuerunt semetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis » (2).

Nostrae huic allocutioni finem hic ponere propositum nobis fuerat. Verum cum in percurrendis schedis per viros fide dignos nobis traditis atque transmissis insigniora quaedam ac praecipua deprehenderimus, minime grave vobis esse cupimus, si in iisdem exponendis paululum vos etiam detineamus.

P. Franciscus Serranus aetatis annum agebat quinquagesimum secundum, annos autem novemdecim in sancta Sinensi missione impenderat. P. Ioachim Royo aetatis erat annorum sex et quinquaginta, quorum tres supra triginta apostolicum munus in Sinensi item missione exercuerat. P. Ioannes Alcober annos habebat quadraginta duos, horum vero duodeviginti in obeunda sancta eadem missione exegerat. P. Franciscus Diaz tertium supra trigesimum numerabat annum, spatio autem annorum novem divini verbi praeco ibidem fuerat. De laboribus eorum, de fervent asserendae christianae religionis studio ipsarumque missionum fructu in tabulariis congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae plurima

(1) S. Augustinus epist. 204. num. 4. (MIGNE Pat. Lat. XXXIII, 940).
(2) II. Cor. VI, 4, 5.

extant monumenta, quorum opportuno tempore erit, ut debita ratio habeatur, quoniam, licet pro martyrio satis sit mors in christianae fidei odium illata, eademque pro Christi ipsius amore sancte obita ac tolerata, non inficiandum tamen est, diuturnam christianarum virtutum seriem in anteacto vitae cursu heroice exercitarum ad veram martyrii declarationem permultum conferre (1).

Neminem autem, nisi ecclesiasticae historiae admodum imperitum, ignorare arbitramur, tyrannorum morem fuisse, ut enormis cuiuspiam delicti nota martyres infamarent, ad odium contra ipsos concitandum, ut scilicet illam, quae inde redundabat, invidiam effugerent, quod propter solum christianae religionis exercitium ac professionem eosdem interficiendos mandarent (2).

Idem etiam in quatuor horum sacerdotum martyrio evenisse comperimus, eo tamen discrimine, quod cum alii tyranni in eorum calumnia obstinate usque perstiterint eademque fulti mortis sententiam pronuntiaverint, hic contra ethnici iudices et idololatrae minime veriti sunt sacerdotes nostros innocentes declarare, quoad ea pertinebat, quae de enormibus vitiis falso ipsis obiecta fuerant, quibus rebus tyrannus minime deterritus et contra Christi fidem infensior effectus, laqueo eosdem interimendos crudeliter mandavit.

Cum inter sententiae pronuntiationem eiusdemque executionem aliquod temporis spatium intercessisset, ex quo Sinensis imperator illam suspendi mandaverat, fama non inanis percrebuit, et quae ad piorum usque sacerdotum, qui in vinculis detinebantur, aures pervenit, fore ut capitalis poena in exilium a regni finibus commutaretur. Magna autem in hoc nuntio vis inerat, ut de eorumdem animo ac proposito vere diiudicari posset. Nam si ipsi huiusmodi nuntio laetati forent, id quodammodo minoris roboris ac fortitudinis indicium esse potuisset et cuiusdam affectionis, qua temporali vitae adhaererent; quae omnia heroicae martyris fortitudini opposita sunt; contra vero, si contristati essent, suspicio quaedam exoriri inde poterat vanae cuiusdam gloriae, quam in morte fortiter oppetenda iidem sibi proposuissent (3); qua vana profecto gloria pseudomartyrum haereticorum mortes inquinatae sunt. Verum eorumdem acta descripta atque huc transmissa, dum leguntur, heroica in quatuor hisce religiosis viris ad divinam voluntatem conformatio elucescit, paratus aeque ac promptus sive ad exilium sive ad mortem animus, prout divinae voluntati complacitum foret, cui vitam suam mortemque pariter consecraverant.

---

(1) Lib. I. cit. operis de Canonizatione cap. 27. num. 2. et cap. 29. num. 1. et 2.
(2) Lib. III. eiusdem operis cap. 13. num. 7. et seq. et num. 12.
(3) Cit. lib. III. cap. 20. num. 12. et seq.

Postremo autem nemo vestrum procul dubio est, cui illa ignota sint, quae celebri Fischerio, Rofensi episcopo, acciderunt. Hic Henrici VIII., Angliae regis, iussu in angusto carcere cum detineretur, quod legi illi adhaerere recusasset, qua rex supremum se Anglicanae ecclesiae caput constituerat, purpureus eidem galerus a pontifice Paulo III. per idem tempus transmissus fuit (1). Nos p. Franciscum Serranum iam carcere in odium christianae religionis conclusum, datis apostolicis litteris episcopum Tipasitanum constituimus et provinciae Fokiensis apostolicum vicarium designavimus, addita declaratione coadiutoris cum futura successione in locum antistitis Mauricastrensis. Pontifici Paulo III. Rofensis vincula nota erant, ignotum vero nobis erat, Serranum item vinctum teneri. Hoc dumtaxat discriminis inter unum atque alium intercedit. Ceterum utriusque idem finis fuit, cum, quemadmodum cardinalitia insignia nihil aliud Rofensi tribuerunt, nisi ut profundae humilitatis actum exerceret et praeclarum testimonium acciperet, quanta virtutis illius ratio apud pontificem esset, sic ex nostris apostolicis litteris nihil aliud Serrano tributum est, nisi argumentum, quanti etiam nos illum merito faceremus; quae quidem nostra de illo aestimatio praeclaris humilitatis praecipuae testimoniis aucta est et obsequiosae obedientiae suae, quam nobis per idem tempus exhibuit. Et quemadmodum cardinalitius galerus a Paulo III. Rofensi transmissus vitam illi incolumem minime praestitit, quam idem paulo post pro sancta religione libenter devovit, sic neque episcopalis ac vicariatus apostolici dignitas Serrano a nobis collata gloriosae eumdem martyrii palmae expertem fecit.

Haec sunt praecipua, venerabiles fratres, quae de strenuis hisce quatuor Iesu Christi athletis vobis exponenda esse censuimus. Ceterum eam nos quaestionem in medio relinquendam existimamus, uter duorum ordinum, dominicanus an franciscanus, primus fuerit, qui sanctas in Sinensi imperio missiones perageret. Illud quidem certe affirmabimus, ad haec usque tempora decem ex dominicana familia viros numerari (2), qui in Sinensi missione mortem pro Christi fide per inaudita tormenta opperierunt; quorum quidem causae in sacrorum Rituum congregatione aliae iam introductae, aliae vero proximae sunt, ut introducantur. Quamobrem, venerabiles fratres, quoniam nemini vestrum ignotus est infelix status, quo propter atroces persecutiones sancta illa missio in praesens redacta est, restat iam, ut ferventes pro illa coniunctis votis divinae maiestati preces porrigamus, magna spe freti, ut eadem de excelso gloriae suae

(1) L. c. cap. 33. num. 8.

(2) Sex memorantur in citata nostra allocutione habita die 16. septembris 1748. § Vulgata et communis (cf. supra pag. 132. l. 15.); quatuor alii sunt, qui in hac allocutione recensentur.

solio nobis benigne annuat, quoniam Abrahamo interroganti: « Quid si inventi ibi fuerint decem », respondit: « non delebo propter decem » (1).

In Dei filio sibi dilectis universis patribus ac fratribus ordinis praedicatorum fr. Antoninus Bremond, s. theol. professor eiusdemque ordinis humilis magister generalis et servus, salutem et fidei propagandae zelum.

Cum eximio atque immortali Dei optimi maximi beneficio contigisse arbitremur, ut regiminis nostri primordia ab illustri et gloriosa fratrum nostrorum pro Christi fide confessione auspicaremur, id unum ad faustissimi ominis laetitiaeque nostrae cumulum fore reliquum videbatur, ut sanguine partam ab illmo et rmo d. fr. Petro Martyre Sans, episcopo Mauricastrensi, ecclesiae ac familiae nostrae gloriam ceteri eiusdem apostolatus socii proprio implerent atque amplificarent martyrio, « ut quos vinculum confessionis et hospitium carceris simul iunxerat, iungeret etiam consummatio virtutis et gloriae caelestis » (2).

Quo apostolicae caritatis aestu, qua votorum constantia, qua exercitatione virtutum ad supremum agonem beataeque mortis complexum martyres iam designati sese componerent, ex litteris illmi ac rmi d. fr. Francisci Serrano, episcopi Tipasitani ac provicarii apostolici, cumulate intelleximus. Ex ipso carcere, quo cum aliis ad nécem servabatur, episcopi Mauricastrensis passionem et exitum ad nos scripsit diligentissime, tum apostolicis sensibus, quo mortem pro Christo obeundi cum sociis flagrabat, desiderium luculenter adeo expressit, ut in eius verbis cor ipsum loqui videretur. Parati iam sibi optatissimi martyrii expectatione suspensus et anxius propriis culpis, quae eius modestia fuit, iniectam passionis moram dilatamque sibi, ut videbatur, nondum satis parato coronam deputabat, patienter interea expectans beatam spem et adventum gloriae magni Dei, quo se prorsus indignum praedicabat. Quae dum obortis prae gaudio lacrimis legeremus, videbatur nobis veterum ecclesiae martyrum fidem, constantiam, flagrantissimam caritatem beataeque immortalitatis firmissimam spem intueri, « nec invenimus, quid in eo praedicare plus deberemus gloriam vulnerum, an verecundiam morum, quod honore virtutis insignis esset, an quod pudoris admiratione laudabilis, ita et dignitate excelsus erat et humilitate sublimis » (3).

Interea destinatorum cum ipso martyrum in tam illustri agone certantium diu noctuque obversabatur menti nostrae imago et praesentia ac beatissimo eorum carcere, si non corpore et vinculis, animo certe votis-

(1) Gen. XVIII, 32.
(2) S. Cyprianus lib. 2. ep. 6. (Migne Pat. Lat. IV, 254).
(3) L. c. ep. 55. (Ed. Erasmi).

que conclusi Deum iugiter precabamur, « ut initiis ad summa pergentibus, quos fecerat confiteri, faceret coronari » (1). Favit meritis et precibus suorum militum et confessorum, favit expectationi nostrae divina clementia et praeconceptam ex praeclarissimo episcopi Mauricastrensis triumpho exultationem, eiusdem sociorum palmis cumulavit. Recentioribus quippe litteris certisque nuntiis accepimus, praelaudatum illmum ac rmum d. fr. Franciscum Serrano, episcopum Tipasitanum, rr. pp. ff. Ioannem de Alcober, Ioachimum Royo et Franciscum Diaz, Hispanos, Philippinarum provinciae alumnos, post diuturni carceris pressuras, eo nobilius, quo longius certamen passionis vitaeque cursum feliciter consummasse ac plaudentibus angelis ad amantissimi fratris episcopi Mauricastrensis complexum evolasse. Universam eorum martyrii seriem neque aptius neque luculentius exhiberi posse arbitramur, quam gravissimis atque amplissimis verbis, quibus eam ss. d. n. Benedictus pp. XIV. emis patribus in consistorio secreto die 24. huius mensis nuntiavit. Sapientissimi pontificis orationem apostolicae eius eloquentiae atque eruditioni incomparabili parem, inter pretiosiora familiae nostrae monumenta perenniter adservandam oculis vestris subiicimus.

Iamvero intelligitis, fratres, quas divinae erga nos largitati gratias debeamus, quod ex dominicanis alumnis hac etiam aetate suscitaverit atque elegerit sibi homines divites in virtute, dominantes in potestatibus, nuntiantes in prophetis, fortes in bello, contemptores vitae, mortis triumphatores (2), quos ludibria et verbera expertos, insuper et vincula et carceres (3), nec tribulatio et angustia, nec fames ac nuditas, nec persecutio, nec gladius separare potuerunt a charitate Dei (4), sed in omnibus superaverunt propter eum, qui dilexit nos. Est profecto cur iis, cur nobis ipsis gratulemur, quod illorum nomina iam in caelis descripta novum aeternumque decus fastis nostris attulerint ac nova adiecerint nobis incitamenta virtutis. Quis enim praeclaris adeo non excitetur triumphis, et quasi admotis stimulis sese impelli non sentiat ad eam ineundam apostolicam viam, quam suo sanguine impressam gloriosissimi fratres signarunt? Nonne cor nostrum, dum haec audimus, ardet in nobis, ut fidei zelo succensi « eamus et nos et moriamur cum illis » (5)? Haec sunt, dilectissimi, apostolicorum hominum vota, haec eorum merces magna nimis, haec instituti, quod profitemur, gloria, a maioribus nostris parta, ab

---

(1) L. c. lib. 4. ep. 1. (MIGNE l. c. 441).
(2) Eccli. XLIV, 3.
(3) Heb. XI, 36.
(4) Rom. VIII, 35.
(5) Ioh. XI, 16.

aequalibus aucta ac novissime ad aemulandum nobis proposita. Ergo « non efficiamur segnes, sed imitatores eorum, qui fide et patientia haereditaverunt promissiones » (1). Ad propositum nobis certamen curramus, « assumentes galeam salutis et gladium spiritus, succincti lumbos in veritate, induti loricam iustitiae et calceati pedes in praeparationem evangelii pacis » (2).

Quod si fortissimos Christi athletas per vincula et mortem sequi non possumus, eorum saltem sectatores simus in fide et charitate, in scientia et longanimitate, « servantes in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, in defendenda veritate constantiam, in disciplina severitatem, ne aliquid ad recte factorum exemplum desit in nobis, sed luceat lux nostra coram hominibus et glorificent patrem nostrum, qui in caelis est » (3). Haec sunt enim vestigia, quae illi revertentes in patriam nobis reliquerunt, ut illorum semitis inhaerentes sequeremur et in gaudia. Ad ea nos amantissime invitant, ibi nos cupidissime expectant « iam de sua immortalitate securi et adhuc de nostra incolumitate solliciti » (4). Ad eorum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune erit laetitia! « Remissas itaque manus et soluta genua erigamus, tantaeque expectatione mercedis forti animo simus, alacriter subeuntes » (5) « momentaneum et leve tribulationis nostrae, quae aeternum gloriae pondus operabitur in nobis » (6). « Si compatimur et conregnabimus, quod praemium non iis tantum paratum est, qui pro nomine Domini impiorum saevitia sunt perempti, quoniam universitas Deo servientium, sicut in Christo est crucifixa, ita in Christo est coronanda ». (7). Valete, nostri sociorumque memores, in sacrificiis et precationibus vestris.

Datum Romae ex nostris aedibus Minervitanis die 20. septembris 1748.

Fr. Antoninus Bremond
magister ordinis.

10. Denuntiamus eiusdem ss. d. n. apostolicas litteras, quibus eodem anno 1752, die 6. maii decernit, ut quemadmodum magister ordinis pro tempore existens duos provincialium desolatarum provinciarum titulos sociis suis, arbitrio suo, nulla praecedente electione, iamdudum deferre

(1) Heb. VI, 12.
(2) Ep. VI, 14 sqq.
(3) Ven. Beda serm. XI de SS.
(4) S. Cyprianus de mortalitate (Migne l. c. IV, 624).
(5) Heb. XII, 12.
(6) II. Cor. IV, 17.
(7) S. Leo Magnus serm. 67. cap. 5. (Migne l. c. LIV, 379).

consuevit, ita duos etiam reliquos aliarum desolatarum provinciarum titulos, quos antea fratres non socii magistri ordinis obtinuerunt, quum primum vacaverint, ac deinceps porro sociis item suis eodem modo eademque ratione deferre possit. Sic autem habet.

Benedictus pp. XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet pontificem votis illis praestare assensum, per quae personarum ecclesiasticarum, praesertim sub suavi religionis iugo famulantium, honorificentiae decorique valeat salubriter provideri. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Maria Ferretti, procurator generalis ordinis fratrum praedicatorum, quod cum tunc in humanis agens Thomas de Vio Caietanus magister generalis dicti ordinis esset, adhuc bini dumtaxat socii magistris generalibus eiusdem ordinis de more aderant, quorum unus prior provincialis Terrae sanctae esse seu titulo prioris provincialis Terrae sanctae praefatae uti solebat et fruebatur, iuxta antiquam ac iamdudum in ordine praedicto observatam approbatamque consuetudinem. Fel. record. Iulius pp. III., praedecessor noster, per suas in simili forma brevis die 15. septembris 1553 expeditas litteras tunc itidem in humanis agenti Stephano Ususmaris magistro generali ac pro tempore existentibus magistris generalibus memorati ordinis concessit, ut unum ex ipsis sociis, nulla praecedente electione, titulo provincialis Terrae sanctae vel Angliae vel alicuius alterius malitia temporum desolatae provinciae ipsius ordinis, auctoritate apostolica insignire valeret, dictusque socius sic electus voce, loco aliisque gratiis, privilegiis et dignitatibus, quibus ceteri provinciales in dicto ordine tam in capitulis generalibus quam extra illa iuxta instituta ipsius ordinis gaudere consueverunt, gauderet et potiretur, et si contingeret electum socium a dicta societate magistri generalis huiusmodi recedere, illum a praefato provincialatus gradu et titulo absolvere seu deponere, et alium, quem in locum ipsius eligere contigisset, ad eumdem provincialatus gradum assumere toties, quoties opus foret, libere valeret, et alias, prout in dictis memorati Iulii praedecessoris litteris plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Vincentius Maria procurator generalis, ut asserit, aliquot supersunt tituli priorum provincialium illarum provinciarum, quas desolatas esse accidit, quos professores praedicti ordinis, qui magistri generalis huiusmodi socii minime sunt, consequuntur ac de praesenti obtinent, numerus vero sociorum magistri generalis auctus de praesenti reperiatur, quorum aliqui nec titulo nec privilegiis priorum provincialium insigniti sunt aut fruuntur, propterea facultatem moderno et pro tempore existenti magistro generali dicti ordinis suos socios in priores provinciales titulares declarandi per nos concedi, plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis

opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Vincentium Mariam procuratorem generalem, nec non dilectum etiam filium Antoninum Bremond, magistrum generalem memorati ordinis, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Antonino moderno ac pro tempore existenti magistro generali ordinis praedicti, ut statim ac primum quomodolibet vacare contingat duos alios titulos priorum provincialium desolatarum dicti ordinis provinciarum, quos duo eiusdem ordinis professores magistri generalis huiusmodi socii minime existentes de praesenti obtinent, titulum ac titulos dictarum duarum desolatarum provinciarum pro tempore, sicut praemittitur, primo vacaturos aliis duobus sociis suis concedere et assignare, illos titulo prioris provincialis desolatarum provinciarum huiusmodi, nulla praecedente electione, insignire, dictique socii sic a memorato Antonino moderno et pro tempore existenti magistro generali praedicto titulo prioris provincialis huiusmodi insigniti, donec et quousque officium socii praefati expleverint, voce, loco, gratiis aliisque privilegiis et exemptionibus, quibus priores provinciales actuales dicti ordinis utuntur, fruuntur et gaudent, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant respective, liceatque eidem Antonino moderno et pro tempore existenti magistro generali dicti ordinis quatuor ex suis sociis, durante illorum officio, titulum prioris provincialis concedere, servata tamen forma eiusdem Iulii praedecessoris litterarum, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore perman-

suris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 6. maii 1752, pontificatus nostri anno duodecimo.

D. card. Passioneus.

Loco † sigilli.

11. Die 24. iulii praefecto apostolico et missionariis ordinis ff. praedicatorum insularum Martinicae, Guadalupae et Granatae ac aliarum christianissimo Galliarum regi subiectarum pro tempore existentibus potestatem facit sacramenti Confirmationis certa ratione conferendi. De qua re litterae apostolicae in forma brevis scriptae habent hoc modo:

Benedictus pp. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Immensa Iesu Christi, cuius supremas in terris vices plane immerentes gerimus, caritas, quemadmodum quidem facit, ut nos de aeterna animarum pretioso sanguine quasi agni immaculati redemptarum salute solliciti maximopere laetemur, cum audimus, barbaros infidelesque utriusque sexus homines ab ipsa Europa longissime remotos accepisse verbum Dei et per sacrum regenerationis lavacrum in Christo renatos viam mandatorum Dei currere, ita urget nos etiam, ut minime patiamur opportuna apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae commoda ab ipsis catholicam fidem amplexis desiderari, quibus et ad eamdem fidem strenue profitendam et ad pugnam contra potestatem tenebrarum fortiter sustinendam per Spiritus sancti plenitudinem sacramento Confirmationis collatam magis magisque roborentur et confirmentur. Quoniam autem dilectus filius Ludovicus Bernard, ordinis praedicatorum frater expresse professus, et praefectus apostolicus missionis in insulis Americanis Martinica, Guadalupa, Granata aliisque carissimo in Christo filio nostro Francorum regi christianissimo subiectis per eiusdem ordinis fratrum praedicatorum alumnos peragendae constitutus, nobis humiliter exponi fecit, et dilectus itidem filius Antoninus Bremond, laudati ordinis praedicatorum magister generalis, fusius explicavit confirmavitque, in memoratis nimirum insulis Americanis Gallicae ditioni subiectis nullum adhuc antistitem constitutum esse, a quo neophiti sacramento Confirmationis hactenus insigniri potuerint, unde fere omnes sacro Baptismatis lavacro dumtaxat abluti aliisque muniti sacramentis viam universae carnis ingrediantur. Eapropter supplices uterque addidit preces, ut hac in parte de apostolica benignitate et auctoritate, ut infra, providere et indulgere dignaremur. Nos itaque, a quibus supremo pastorum principi Iesu Christo aeterno iudici, ipsius in terris vices gerentibus gravissima omnium animarum suo sanguine redemptarum ratio reddenda est, summas tot populorum angustias, ae-

rumnas ac tantam infelicitatem ex animo commiserantes, atque eosdem missionarios, qui suam pro lucrandis fratribus suis animam ponunt, apostolicis laudibus commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsumque Ludovicum Bernard necnon ceteros inibi missionarios dicti ordinis praedicatorum de catholica ecclesia et aeterna christifidelium salute in primis commendatissimi amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, attentis praemissis et insignibus eiusdem Antonini, magistri generalis, religiosis virtutibus et meritis, atque filiali sua erga nos et apostolicam hanc sanctam sedem observantia et obedientia, auctoritate apostolica tenore praesentium moderno et pro tempore praefecto tantummodo eiusdem missionis Americanarum insularum existenti, ac praefecti huiusmodi munere durante, ut sacramentum Confirmationis sacro chrismate etiam antiquo, si novum haberi non possit, per catholicum antistitem gratiam et communionem sedis apostolicae habentem benedicto, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus illarum dumtaxat paroeciarum, quae reperiuntur sub cura et regimine fratrum praedicatorum eiusdem missionis, iuxta ritualis Romani ritum libere et licite conferre et administrare possit et valeat, ea tamen lege ad viginti dumtaxat annos ab eo tempore, ex quo praesentes nostras in forma brevis litteras acceperit, computandos tribuimus et impertimur, ut, si interea temporis, nempe viginti annorum, contingat in iisdem insulis Americanis Gallicae ditioni subiectis vel residentiales antistites vel apostolicos vicarios episcopali charactere et auctoritate insignitos ab eadem apostolica sede deputari, impertita huiusmodi facultas nulla sit et nullius prorsus roboris ac momenti habeatur, secus vero rata ac firma intelligatur, cum vel residentiales antistites vel apostolici vicarii charactere et auctoritate episcopali insigniti legitimis canonicisque impedimentis detenti, eidem praefecto pro tempore concesserint, ut in iis locis dumtaxat, ad quae ipsi antistites nullo pacto ac tempore accedere valuerint, sacramentum Confirmationis, ne christifideles eodem destitutos ex hac vita migrare contingat, conferre possit. Insuper omnibus et singulis eiusdem missionis missionariis sacerdotibus saepedicti ordinis praedicatorum eamdem conferendi sacramentum confirmationis cuilibet christifideli suarum dumtaxat paroeciarum in periculo vel articulo mortis constituto facultatem tribuimus. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque firma, valida et efficacia intra praescriptum dumtaxat annorum spatium existere et fore, suosque plenarios et integros

effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, S. R. E. cardinales et eorumdem cardinalium congregationes, necnon apostolicae sedis nuntios et alios quoslibet, quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus et, quatenus opus sit, dicti ordinis praedicatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem , ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel manu et sigillo praefecti pro tempore existentis missionis praefatae eiusdem ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Ceterum caelestis praesidii auspicem ipsi Ludovico Bernard praefecto ceterisque missionariis illarum insularum apostolicam benedictionem, quam cum plenariis indulgentiis, peccatorum remissionibus poenarumque relaxationibus coniunctam ab ipso dumtaxat praefecto semel christifidelibus suarum paroeciarum in unum in diversis licet locis convenientibus nostro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 24. iulii 1752, pontificatus nostri anno duodecimo.

Caietanus Amatus.

Loco † sigilli.

12. Die 21. augusti privilegia collegii Dionysiani extra muros Granatae urbis in Hispania positi confirmans et augens, postulantibus collegii curatoribus, in eo s. Thomae doctrinam restitui iubet vetatque sub poena excommunicationis sibi suisque successoribus reservatae, ne cui deinceps in eo collegio fas sit sententias a thomistica doctrina alienas profiteri, quam etiam, ut et angelicum eius auctorem maximis effert laudibus cum illustri testificatione eximiae ac perpetuae suae in eumdem s. Thomam pietatis atque existimationis. Sunt autem apostolicae eius litterae huiusmodi:

Benedictus pp. XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

Saluberrimam aeque ac proficuam in catholica ecclesia seminariorum collegiorumque institutionem a concilio Tridentino plurimi habitam et maxime propositam ac districte venerabilibus fratribus ecclesiarum antistitibus praescriptam, quantum potuimus, dum in minoribus essemus et congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium eiusdem concilii Tridentini interpretum secretarii munus gereremus, semper promovere studuimus. Ad sublimem vero sacrosancti apostolatus speculam, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evectis nihil accidere potest iucundius, quam cum annuentes porrectis precibus supremas apostolicae benignitatis auctoritatisque partes sive ad novi seminarii collegiique fundationem procurandam sive ad seminarii collegiique iam erecti instaurationem incrementumque promovendum, confirmandum adaugendumque conferimus. Quoniam autem, sicut dilecti filii abbas et canonici secularis et collegiatae ecclesiae sub nuncupatione Assumptionis b. virginis Mariae in monte Illipulitano Vallis Paradisi extra civitatem Granatensem una cum collegio s. Dionysii Areopagitae dicto positae nuper nobis humiliter exponi fecerunt, memoratum collegium s. Dionysii a bon. mem. Petro de Castro, dum viveret, archiepiscopo Granatensi, anno 1609 canonice erectum et apostolica auctoritate a fel. rec. Paulo V., Gregorio XV., Urbano VIII., Romanis pontificibus praedecessoribus nostris, per quasdam suas apostolicas sive in simili forma brevis sive sub plumbo expeditas litteras approbatum, confirmatum et privilegiis atque indultis auctum fuit, ac praesertim ab eodem Gregorio XV., praedecessore nostro, cuius litterarum sub plumbo expeditarum tenor est, qui sequitur:

Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dum attentae considerationis indagine perscrutamur, quam pretiosa sit sapientia, merito collegia ad eam docendam instituta privilegiis et gratiis afficienda, ac eorum alumnos et in eis studio sapientiae incumbentes, postquam illam adepti sunt, honorum gradibus decorandos esse censemus, considerantes, quod hac ratione torpentes excitari et sponte sua vigiles, vigilantiores ad eiusdem sapientiae studium propositis honorum gradibus huiusmodi effici possunt. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum abbatis et canonicorum secularis et collegiatae ecclesiae Assumptionis B. M. V., sitae in Monte Vallis Paradisi extra civitatem Granatensem, petitio continebat, quod in dicto monte unum collegium s. Dionysii Areopagitae denominatum, in quo logica, philosophia et theologia docentur, cuiusque regimen ad dictos abbatem et canonicos spectat, canonice institutum existit, et dilecti filii illius collegiales non solum logicae, philosophiae et theologiae huiusmodi studiis

incumbunt, sed etiam dictae ecclesiae ad instar alumnorum seminarii Granatensis inservientium inserviunt. Et licet ii in eodem collegio studio logicae, philosophiae et theologiae praedictarum incumbendo eam doctrinam, capacitatem et sufficientiam possint consequi, quam studendo in universitatibus studiorum generalium consequerentur, tamen gradus litteraturae in eisdem universitatibus conferri solitos, utpote qui solis earum studiosis peracto certo studiorum termino conferri soleant, consequi non possunt. Aequissimum autem est, ut virtuti honos detur et doctrina praemium consequatur, et collegiales praedicti, qui alioquin studiis et collegiatae ecclesiae huiusmodi servitio impediti, ac propter dicti collegii a civitate Granatensi distantiam itineris, quam hyeme propter frigus et pluvias, aestate propter caloris molesti laborem matutinis et vespertinis lectionibus in universitate Granatensi pro gradibus huiusmodi promerendis interesse nequaquam vel nisi magno cum labore et incommoditate possunt, post emensa in eodem collegio studiorum suorum spatia, praemium laborum suorum repetent, et baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii gradibus, secundum suam quisque litteraturam, donentur. Quod si fiat, procul dubio praedicti collegiales deinceps ad studendum excitatiores vigilantioresque reddentur, ipsumque collegium talibus studiis refulgebit. Quare pro parte abbatis et canonicorum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem abbatem et canonicos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, nunc existentibus et pro tempore futuris collegialibus dicti collegii ac canonicis et ministris praedictae collegiatae ecclesiae, qui in eodem collegio praedictis logicae, philosophiae et theologiae seu earum alicui studuerint, finito in eodem collegio studiorum cursu suorum, in eisdem logica, philosophia et theologia baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii gradus, praevio examine, et dummodo ad id reperti fuerint idonei, in quacumque studiorum generalium universitate a personis ab ea ad hoc deputatis suscipere, ipsisque deputatis, ut gradus praedictos collegialibus ac canonicis et ministris huiusmodi conferre libere et licite valeant, perinde ac si collegiales ac canonici et ministri praedicti in universitate huiusmodi descripti seu matriculati in ea cursum studiorum suorum ac alias secundum ipsius universitatis praescripta seu constitutiones peregissent, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus. Decernentes, gradus praedictos, ut praemittitur,

susceptos eisdem collegialibus ac canonicis et ministris tam ad honores, praeeminentias, dignitates quam officia et munera ac alia quaecumque suffragari et censeri debere in omnibus et per omnia, perinde ac si in universitatibus huiusmodi studiis operam dedissent et in eis studiorum cursum absolvissent, ipsosque collegiales ac canonicos et ministros desuper a quocumque, quavis auctoritate, praetextu, colore seu causa molestari, inquietari seu perturbari nullatenus posse nec debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et sedis apostolicae nuntios iudicari debere, nec non irritum et inane, quidquid secus super his a quocumque contigerit attentari; non obstantibus apostolicis ac in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon collegii, collegiatae ecclesiae et universitatum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, usibus et naturis, privilegiis quoque et indultis et litteris apostolicis illis et dilectis filiis capitulo dictae collegiatae ecclesiae et collegii et universitatum huiusmodi rectoribus, magistris, scholaribus et quibusvis aliis eorum superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut per easdem praesentes praedicti rectores et superiores universitatum huiusmodi inviti ad gradus huiusmodi conferendos adstringi nequeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis et indulti ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae 1621, XVII. kal. maii, pontificatus nostri anno primo. M. Brancavalerius. I. Huseus. † sigill. Fran. Causeus.

Quod sane apostolicae benignitatis privilegium sive indultum in praeinsertis litteris contentum, quemadmodum ipsi exponentes asserunt, ab initio ad haec usque tempora ita servatur exacte, ut collegiales dicti collegii s. Dionysii Areopagitae tam in Granatensi quam in Salmantina, Complutensi aliisque publicis regnorum Hispaniarum universitatibus gradus et laureas earum facultatum, quibus in Dionysiano collegio praeclaram

operam dederunt, in dies suscipiant iisque decorentur. Eapropter ipsi exponentes, cum serio cogitassent, quod ad maiorem collegialium eiusdem collegii Dionysiani utilitatem, decus et in studiis profectum conduceret, si in laudato collegio praeter antedictas facultates, in quibus collegiales pro tempore institui pergunt, aliarum etiam facultatum sive doctrinarum sive bonarum artium scholae aut cathedrae erigerentur, die nona mensis iunii proxime elapsi capitulariter de more congregati unanimi consensu statuerunt, ut scholae seu cathedrae de novo erigerentur, in quibus explicarentur ac traderentur tum utrumque ius, pontificium scilicet et civile, tum historia ecclesiastica, tum demum peregrinae linguae, praecipue hebraica, graeca et arabica, quarum linguarum schola seu cathedra ab ipso fundatore intenta et, accitis ex hac alma Urbe nostra viris peritis, erecta diu non sine fructu viguit, sed desuetudine tandem abolita fuit. Praeterea cum saepedictus collegii Dionysiani fundator non aliam in scholis et cathedris eiusdem collegii doctrinam tradi in eaque erudiri collegiales huiusmodi, quam angelici doctoris s. Thomae Aquinatis voluisset, per quamplures quidem annos commendatissima laudati s. doctoris doctrina, exclusis aliis quibuscumque doctrinis, tradita et explicata fuit collegialibus ceterisque scholas et cathedras antedictas frequentantibus, sed deinde ad canonicatus eiusdem collegiatae ecclesiae admissis variis personis, quae aliarum scholarum principiis et doctrinis imbutae erant, atque hisce personis demandata cura scholas sive cathedras philosophiae et theologiae regendi factum est, ut paulatim et sensim introductus fuerit mos docendi tradendique alias a s. Thomae Aquinatis doctrina alienas separatasque opiniones et sententias. Quem profecto morem, ut praemittitur, introductum aegre ferentes iidem exponentes, eadem die atque in eodem capitulo ibidem statutum perpetuum et indelebile ediderunt, quo angelici doctoris doctrina eo modo, quo a magistris thomisticis communiter explicatur, traditur et intelligitur, deinceps in scholis et cathedris dicti collegii Dionysiani praecise explicetur, tradatur atque intelligatur. Demum supplices preces addiderunt, ut sibi in praemissis de benignitate et auctoritate apostolica, ut infra, providere et indulgere et extendere et confirmare dignaremur. Nos itaque mature expensis omnibus praemissis, quae certe ad maiorem collegialium eiusdem collegii aliorumque scholas et cathedras huiusmodi pro tempore frequentantium utilitatem, decus et incitamentum redundatura fore, in Domino existimamus, ipsos exponentes meritis apostolicae praedicationis laudibus cumulantes et amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum prae-

sentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tenore praesentium apostolica auctoritate, primum quidem statutum huiusmodi erectionis scholarum sive cathedrarum utriusque iuris, historiae ecclesiasticae et peregrinarum linguarum, potissimum hebraicae, graecae et arabicae, non solum laudamus, approbamus et confirmamus et inviolabili apostolicae firmitatis robore munimus, atque etiam praecipimus ita, ut, postquam scholae sive cathedrae antedictae erectae fuerint, nullo umquam tempore per quemcumque casum, nisi iustis rationabilibusque de causis ad breve tempus, sine apostolicae huius sanctae sedis licentia vel omnino aboleri vel diutissime intermitti possint, verum etiam ex peculiari gratia omnibus et singulis collegialibus eiusdem collegii aliisque in eo sedulam utroque iuri navantibus operam auctoritate et tenore paribus impertimur atque indulgemus, ut iuxta praeinsertas laudati Gregorii praedecessoris litteras, finito ibidem utriusque iuris studio, in eodem, praevio tamen examine, et dummodo ad utrumque ius profitendum idonei reperti fuerint, in quacumque generalium studiorum universitate a personis ab ea ad hoc deputatis doctoratus lauream suscipere eaque insigniri valeant, ipsisque vicissim deputatis pariter impertimur et indulgemus, ut lauream huiusmodi doctoratus conferre libere et licite possint, perinde ac si collegiales aliique saepedicti in eodem collegio studentes in generalibus universitatibus huiusmodi descripti et matriculati, in eis studiorum suorum cursum et alias secundum uniuscuiusque universitatis praescripta et constitutiones peregerint, ita ut gradus sive laurea eiusmodi ab ipsis collegialibus ceterisque, ut praemittitur, suscepta tam ad honores, praeeminentias, dignitates, quam ad officia et munera etiam iusdicendi et decreta condendi et alia quaecumque suffragari in omnibus et per omnia possint et debeant eodem prorsus modo, ac si in generalibus universitatibus studio utriusque iuris operam dederint, iuxta praeinsertas Gregorii praedecessoris litteras, quas sub iisdem modo et forma, sub quibus editae fuerunt, pro gradibus et laureis philosophiae et sacrae theologiae, ad gradum quoque et lauream doctoratus utriusque iuris auctoritate et tenore paribus extendimus et concedimus. Deinde vero statutum alterum, quod, ut invectis abusibus alias scilicet tradendi, docendi et explicandi a doctrina sententiaque angelici doctoris s. Thomae Aquinatis ab ipso fundatore intenta ac diu tradita et explicata alienas opiniones sententiasque in scholis cathedrisve eiusdem collegii Dionysiani opportunum remedium afferretur, consultissime conditum fuit, paternae charitati nostrae pergratum ac periucundum accidit. Doctrinae enim s. Thomae Aquinatis divinae voluntatis interpretis, vitae sanctitate et miraculis clari, tantum fuit tributum, ut christianae eruditionis suae divinum etiam illud habeat testimonium, sicut pie testatur

historia: « Bene de me, Thoma, scripsisti », atque eiusdem quidem doctrinae testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit; in quibus conscribendis interdum sanctos apostolos Petrum et Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit, et quos deinde conscriptos expressa Christi voce comprobatos audivit. Quandoquidem omnipotentis Dei providentia factum est, ut angelici doctoris vi ac veritate doctrinae non solum innumerae, quae vel ipsius aetate vel antea grassatae sunt, sed multae etiam, quae deinceps exortae sunt, haereses confusae et convictae dissiparentur. Eapropter cum tanti doctoris opera sole clariora sine ullo prorsus errore conscripta, quibus ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, inoffenso pede decurri possint, nos, qui peculiari pietate ac veneratione eumdem angelicum doctorem semper prosecuti sumus, quemadmodum Romani pontifices praedecessores nostri magno etiam in honore ipsius doctrinam habentes, meritis quoque laudibus cumularunt, nostris itidem apostolicis vocibus collaudantes, statutum eiusmodi approbamus et confirmamus, necnon apostolici praesidii munimine roboramus, ita ut deinceps nemo ex magistris sive lectoribus eiusdem collegii Dionysiani aliam doctrinam ac praesertim in rebus theologicis praeter unicam s. Thomae Aquinatis doctrinam in scholis et cathedris dicti collegii auditoribus legere, tradere et explicare umquam possit. Praeterea iisdem magistris et lectoribus in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris ecclesiasticis, nobis et Romano pontifici pro tempore existenti reservatis, a quibus a nemine, praeterquam in mortis articulo, absolvi quisquam valeat, districte praecipimus et mandamus, ut omnes et singulas opiniones in rebus praesertim theologicis a commendatissima s. Thomae doctrina alienas legere, docere, tradere et explicare omnino abstineant. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, nec non sedis apostolicae nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus iis omnibus et singulis, quae laudatus Gregorius praedecessor noster in prae-

insertis suis litteris voluit non obstare, ac praesertim collegii collegiatae ecclesiae huiusmodi et quarumcumque universitatum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 21. augusti 1752, pontificatus nostri anno decimotertio.

Duplicatum.

Caietanus Amatus.

Loco † sigilli

13. Die 2. decembris priori provinciali ceterisque praedicatoribus provinciae ss. Rosarii Philippinarum exquisitissimas scribit litteras, quibus litteris de Sinensium martyrum fortitudine eis magnopere gratulatur eosque paterna benignitate collaudans hortatur, ut extremis patiendis calamitatibus egregiam suam operam ecclesiae universae strenue navare pergant. Eas vero litteras rev. p. fr. Francisco Serrano, eiusdem provinciae Philippinarum procuratori, Matritum in Hispaniam mittit, ut in Philippinas insulas perferendas curet honorificam etiam rm̃i tunc magistri ordinis fr. Antonini Bremond mentionem benignissime iniiciens. Quarum utrarumque exempla subiicimus.

Dilectis filiis priori provinciali et ceteris religiosis viris ordinis fratrum praedicatorum professoribus provinciae ss. Rosarii nuncupatae in insulis Philippinis.

Benedictus pp. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Quibus potuimus apostolicae praedicationis praeconiis in consistorio nostro secreto cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus bis habito prosecuti sumus debitas laudes et res in perennem catholicae fidei confessionem praeclare gestas a venerabilibus fratribus antistitibus et dilectis filiis religiosis viris apostolicis missionariis istius provinciae vestrae inclyti praedicatorum ordinis alumnis, qui in excolenda vinea Dei Sabbaoth atque adducendis ad Iesu Christi ovile hominibus sedentibus in tenebris et in umbra mortis ambulantibus adlaborantes, maiorem charitatem non habuerunt, quam ut ponerent animas suas, quemadmodum reipsa per diversa

tormentorum ab inimicis crucis Christi illatorum genera mortem oppetivere. Postquam vero insignem invictissimorum orthodoxae fidei heroum, quorum nomina in benedictione sunt, memoriam ad maiorem militantis ecclesiae aedificationem et decus commendare studuimus, minime omittendum esse existimavimus, nimirum ut quae in secretis consistoriis protuleramus christianae fortitudinis ad mortem usque certantis encomia, typis etiam impressa, publicique iuris facta ad manus omnium christifidelium pervenirent, qui tam illustria exempla perlegentes et invicem in Domino gestientes, ad illa imitanda excitarentur. Interim ingenti cum paterni cordis nostri laetitia effusaque exultatione a dilecto filio Antonino Bremond, laudati ordinis vestri fratre et generali magistro, paternae caritati nostrae propter religiosas virtutes eximiamque doctrinam in primis grato et accepto, deque familia sibi commissa in omnibus ac praesertim ob litterarios labores optime merito accepimus, quod sane charissimus etiam in Christo filius noster Ferdinandus Hispaniarum rex catholicus, in cuius ditionibus provincia vestra in insulis Philippinis sita reperitur, de assiduis catholicae fidei incrementis, gravissimis incommodis et angustiis atque gloriosis per indefessos vestrae provinciae missionarios reportatis triumphis plenissime edoctus, vobis per regiam suam humanissimam epistolam significaverit, perceptam eapropter voluptatem ac meritas pro singulari zelo vestro egerit gratias. Etsi autem vestra vestrorumque missionariorum rebus ipsis probata virtus satis declarat, vos nec apostolicis laudibus nec novis stimulis indigere, quibus ad divinissimum opus, salutem scilicet animarum, alacrius constantiusque curandum et urgendum magis magisque incitemini; probe enim scimus vos a supremo pastorum principe Iesu Christo et laudationem et coronam in caelis repositam praestolari. Nos tamen, qui illius in terris vices plane immerentes gerimus, facere non debemus, quin de commendatissimis facinoribus vobiscum praecipue ex animo gratulemur, et consentanea apostolicae nostrae procurationis officia a vobis desiderari patiamur. Itaque partam in primis vobis ab initio ac novissime non leves apud veros catholicae ecclesiae filios christianae sollicitudinis, zeli constantiaeque commendationem impense quidem efferimus verbis, sed magis apud omnipotentem Deum precibus obsecrationibusque deferimus, ut qui dives est in misericordia, et cuius laus est nova virtute et gloria induere ex alto, ipse vobis gratificetur, ipse vos pro meritis collaudet, ipse confirmet et cumulet caelesti benedictione. Deinde eadem, quae christifideles sub tyrannorum persecutionibus gementes, alacres infidelibus occinebant, vobis, dilecti filii, in memoriam revocamus. Haec est victoria nostra, vincimus, cum occidimur, evadimus, cum obducimur, obtinemus, cum expellimur, multiplicamur, cum morimur. Hic est habitus victoriae nostrae, haec palmata vestis, tali curru triumphamus.

Plures efficimur, cum a vobis metimur. Sanguis martyrum est semen christianorum. Nec aliter, quam sanguine, fundatam esse Christi ecclesiam confitemur et sanguine crevisse scimus et sanguine usque in finem seculorum florentem fore permansuram non dubitamus. Bono itaque animo, dilecti filii, vos esse iubemus, certate bonum certamen, nolite amittere confidentiam et constantiam fidei nostrae, quam praedicandam suscepistis; laborate, sicut hactenus fecistis, usque ad vincula, carceres et mortem ipsam ad Christum ducem et sibi crucem baiulantem, atque e caelo spectantem et suppetias ferentem respicite, qui iustus remunerator et iudex iam pro laboribus praemia dispensat. Confortamini invicem et confirmamini cum patientia praestolantes salutare Dei, ut, cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriae coronam. Nos interea dum bonorum omnium largitorem Deum supplices poscimus, ut vos uberrima caelestium charismatum copia adaugeat et cumulet, apostolicam benedictionem propensae studiosaeque nostrae ad vobis opportune gratificandum voluntatis testem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. Datum Romae die 11. decembris 1752, pontificatus nostri anno decimotertio.

Duplicatum.

Caietanus Amatus.

Loco † sigilli.

Dilecto filio Francisco Serrano, religioso viro ordinis fratrum praedicatorum professori, provinciae ss. Rosarii nuncupatae insularum Philippinarum procuratori.

Benedictus pp. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Ea, qua erga inclytum praedicatorum ordinem in catholica ecclesia commendatissimum affecti sumus, paternae charitatis propensione excepimus epistolam tuam luculentis filialis erga nos et apostolicam hanc sanctam sedem observantiae obedientiaeque significationibus, et gratiarum praesertim actionibus insignem ex eo, quod nos in consistoriis nostris secretis, quoad nobis integrum fuit, meritis laudibus celebraverimus gloriosam memoriam nonnullorum venerabilium fratrum antistitum ac dilectorum filiorum eiusdem ordinis provinciae ss. Rosarii nuncupatae in insulis Philippinis, in catholicae fidei odium interfectorum. Quod autem per eamdem epistolam supplex a nobis rogas et exposcis, ut nimirum ad dilectos filios priorem provincialem et ceteros religiosos viros laudatae provinciae et ordinis litteras paternae benignitatis et gratulationis et laudationis et exhortationis testes et incitamentum daremus, alacri libentique animo praestamus per alias nostras in simili forma brevis literas hac ipsa die datas, quas cum

adiuncto earumdem exemplo coniunctas tibi reddendas curabit dilectus filius Antoninus Bremond, celeberrimi ordinis tui frater et generalis magister, qui omnium virtutum, doctrinarum disciplinarumque splendore conspicuus non solum pontificiam nostram, sed cunctorum etiam ordinum huius almae Urbis nostrae gratiam benevolentiamque sibi conciliavit. Tuum igitur erit, dilecte fili, ut ipsas literas nostras tuto quantocius ad eiusdem provinciae religiosos viros perferri satagas et adnitaris. Nos interim tibi apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 11. decembris 1752, pontificatus nostri anno decimotertio.

Duplicatum.

Caietanus Amatus.

Loco † sigilli.

14. Anno 1753, die 25. aprilis approbat cultum b. Ioannis Liccii, ordinis nostri, hoc decreto.

Decretum. Panormitana.

Canonizationis b. Ioannis Liccii, sacerdotis professi ordinis praedicatorum.

Cum a sacra Rituum congregatione ordinaria sub die 29. ianuarii 1752 ad relationem em̃i et rm̃i d. card. Cavalchini admissa fuerit commissio introductionis causae b. Ioannis Liccii, et a ss. d. n. Benedicto pp. XIV. postmodum signata iuxta tenorem praefatae commissionis ad instantiam rm̃i p. fr. Antonini Bremond, magistri generalis ordinis praedicatorum, propositum fuit ab eodem em̃o ponente atque in dicta sacra congregatione absque interventu consultorum ex dispensatione apostolica discussum infrascriptum dubium: An sententia lata per iudices a rm̃o archiepiscopo Panormitano deputatos super cultu ab immemorabili tempore praedicto beato praestito, sive casu excepto a decretis s. mem. Urbani VIII. sit confirmanda in casu, et ad effectum, de quo agitur; et sacra eadem congregatio, audito r. p. d. Ludovico de Valentibus, fidei promotore, qui voce et scripto suam sententiam exposuit, rescribendum censuit « Affirmative », si ss. d. n. visum fuerit. Die 14. aprilis 1753.

Factaque deinde per me secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, S. S. benigne annuit. Die 25. eiusdem mensis et anni 1753.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

M. Marefuscus sac. Rit. cong. secr.

Die 9. maii concedit, ut officium et missam de communi confessoris non pontificis in die eiusdem festo recitare liceat cum oratione propria.

Decretum. Panormitana.

Concessionis officii et missae de communi confessoris non pontificis cum oratione propria b. Ioannis Liccii, sacerdotis professi ordinis praedicatorum.

Oratio: Deus, qui beatum Ioannem confessorem tuum plena sui abnegatione atque eximiae charitatis zelo clarescere voluisti, eius nobis imitatione concede, ut abdicatis terrenis affectibus, in tua dilectione vivamus. Per Dominum etc.

Postquam a sacra Rituum congregatione die 14. aprilis currentis anni, annuente ss. d. n. Benedicto pp. XIV. die 25. eiusdem mensis approbatus fuit casus exceptus a decretis s. mem. Urbani VIII., seu cultus publicus praestitus b. Ioanni Liccio, sacerdoti professo ordinis praedicatorum, rmus p. fr. Antoninus Bremond, magister generalis ordinis praedicatorum, humillime supplicavit eidem ss. d. n. pro concessione officii et missae in memoriam dicti b. Ioannis tam pro universo ordine praedicatorum quam pro civitate et dioecesi Panormi, in qua dictus beatus obdormivit in Domino et sacrum eius corpus requiescit. Et S. S. benigne annuendo eiusmodi instantiae concessit, ut singulis annis die, qua eiusdem beati commemoratio peragitur, in universo ordine praedicatorom et in civitate ac dioecesi Panormi petitum officium et missa praedicti beati de communi confessoris non pontificis sub ritu duplicis minoris cum suprascripta oratione propria ab omnibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari et respective celebrari possit et valeat. Die 9. maii 1753.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

M. Marefuscus sac. Rit. cong. secr.

Die 19. iulii orationem et lectiones secundi nocturni proprias de eodem b. Ioanne Liccio probat.

15. Anno 1754, die 6. aprilis cathedram sacrae theologiae moralis iuxta tutissimam s. Thomae Aquinatis doctrinam in conventu s. Dominici congregationis s. Sabinae ordinis praedicatorum in oppido Lugo, Imolen. dioecesis, pro clericis et presbyteris eiusdem oppidi ab illmo et rmo praesule d. Thoma Antonio Emaldi, eidem ss. d. n. ab epistolis latinis, pro eximia, qua est in s. Thomam pietate inque nostrum ordinem benevolentia, fundatam, legesque et privilegia ac reliqua, quae ad eam pertinent, auctoritate apostolica constituit et confirmat, praecipitque clericis

eiusdem oppidi ac districtus, qui in seminario Imolensi vel in aliis scholis publicis theologiae studio se operam dedisse non demonstraverint, ut cathedram huiusmodi se frequentasse ostendant, alioquin ad sacros ordines minime promoveantur. Sunt autem apostolicae litterae huiusmodi.

Benedictus pp. XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti apostolicae sedis specula, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur et iustitia colatur, ad ea, propter quae litterarum studia huiusmodi ubilibet excitentur, etiam humiles personae eis incumbere desiderantes id efficere possint, libenter intendimus et in iis nostrae sollicitudinis partes propensius impertimur, prout pia christifidelium vota exposcunt, nosque, locorum qualitate pensata, in Domino conspicimus salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus vicarius generalis congregationis utriusque Lombardiae ordinis praedicatorum, quod ipse fundationem erectionemque unius cathedrae s. theologiae moralis tutissimae doctrinae s. Thomae Aquinatis in conventu s. Dominici dictae congregationis in oppido de Lugo, Imolen. dioecesis, a dilecto pariter filio Thoma Antonio Emaldi, intimo cubiculario ac continuo familiari nostro ab epistolis latinis, pro clericorum et presbyterorum dicti oppidi commoditate, qui ad curam animarum dictae dioecesis obeundam parochialesque ecclesias regendas et administrandas habiles et idonei reddantur, propriis sumptibus factam, ipsique congregationi perpetuo donatam et assignatam sub nonnullis conditionibus ab eodem Thoma Antonio praescriptis, admisit; quam quidem cathedram unus dicti collegii alumnus ab usque mense novembri proxime praeterito cum ingenti populorum laetitia et studentium celebritate moderatur. Conditiones vero a dicto Thoma Antonio fundatore praescriptae volitaeque sunt tenoris, qui sequitur, nempe:

Ristretto delle regole e condizioni per lo stabilimento della cattedra teologale eretta dall' illustrissimo e reverendissimo monsignor Emaldi nel convento di san Domenico di Lugo sotto il dì 28. giugno dell' anno 1753. Primo: che il lettore sia sempre un domenicano della congregazione di santa Sabina, e debba eleggersi ad arbitrio del vicario generale dell' istessa congregazione, e sia idoneo a edificare colla dottrina, e coll' esempio i suoi scolari. Nel principio dell' anno farà nella pubblica apertura allo studio un invito generale a' chierici, ed una spezie di preambolo a quelle materie, che dovrà dettare nel decorso dell' anno. Secondo: dovrà il lettore suddetto insegnare la dottrina dell' angelico dottore san Tommaso, e massime quella della seconda, e terza parte della sua somma, e dettarla in iscritto, diffondendosi non già in questioni puramente sco-

lastiche, ma in una previa spiegazione de' santi dogmi, e poi nelle questioni morali. Detterà per lo spazio di una mezz' ora almeno, e per altrettanto farà la spiegazione, doppo la quale per un' altra mezz' ora per lo meno, da qualunque scolare sia interrogato dal maestro, si dovrà fare la ripetizione della lezione antecedente, e poi finire la scuola con il circolo consueto. Terzo: dovrà di più ogni settimana fare ai scolari una particolare conferenza sopra i punti riguardevoli della sacra scrittura, e massime del nuovo testamento, insegnando a' medesimi di fare il catechismo, spiegare il vangelo, e gli altri precetti della cristiana pietà. Quarto: dovrà il suddetto lettore dare una volta l' anno gli esercizi spirituali ai medesimi, e agli altri chierici, che volessero intervenire. Quinto: ogni settimana dovrà farsi la ripetizione da uno de' scolari di quanto è stato insegnato, con tenere il suo circolo ad essa corrispondente. In fine d' ogni mese dovrà tenersi una disputa semipubblica da quello scolare, che sarà destinato dal lettore, e alla fine dell' anno sciegliera il lettore sei scolari dei più diligenti nell' esercizio della pietà, e dello studio, e dovranno questi esporsi ad un pubblico esame nella chiesa, o altrove, sopra alcuni determinati punti delle trattate questioni, i quali dovranno stamparsi, e mandarsi a due canonici, ai reggenti, o lettori delle altre religioni, pregandoli ad intervenirvi, acciocchè interrogando, e argomentando conoscano qual profitto abbiano fatto i scolari in tutto l' anno. Sesto: le vacanze autunnali comincieranno nel principio di settembre, e termineranno a san Martino. Il lettore potrà prendersi un altro mezzo mese a suo commodo. Nella settimana non vi sarà, che un solo giorno feriale, e quando cadesse una o più feste, non vi sarà altra vacanza in quella settimana. Settimo: l' annua rendita, a cui si è obbligato per la fondazione della cattedra suddetta, sarà di scudi Romani quaranta da pagarsi di sei mesi in sei mesi al sindico del convento. Ottavo: si è obbligato di più di pagare altri dieci scudi per un premio da darsi ad uno di quelli tra i sei candidati, che sarà creduto il più meritevole, detratta la spesa de' fogli per l' esame. Nono: il giudizio del più meritevole dovrà farsi per secreto suffraggio dal vicario foraneo, da due canonici, dai lettori, e reggenti delle altre religioni di Lugo, dal p. priore di san Domenico, dai lettori del medesimo convento, che dovranno a questo effetto invitarsi. Decimo: prega di poi il benefattore suddetto il reverendissimo p. generale di san Domenico a suddelegare le sue facoltà al p. priore, e ai due lettori di Lugo di poter concedere la laurea dottorale in teologia a quei scolari, che avranno frequentato per anni quattro la scuola suddetta, dopo però di aver sostenuta una conclusione pubblica, e fatte le altre necessarie prove. La qual grazia è stata già accordata dal p. generale suddetto con suo decreto in data delli 21. luglio 1753. Si prega ancora il molto re-

verendo padre vicario generale della congregazione di santa Sabina di fare accettare nella dieta la erezione della nuova cattedra, e insieme si prega il p. priore del convento a permettere a' scolari di far uso della loro biblioteca, purchè non la demeritino, avendo intenzione l' istitutore della cattedra di lasciare alla medesima tutti quei libri, che si troverà al tempo della sua morte. Finalmente raccomando questa cattedra alla protezione dell' illustrissimo e reverendissimo monsignore vescovo d' Imola, che non solo ha sommamente applaudita una tal fondazione, ma di più si è esibito di voler esiggere dagli ordinandi l' attestato di aver frequentata questa scuola.

Quam quidem fundationem erectionemque non solum ven. fr. Ioannes Carolus episcopus Imolen., verum etiam dilectus quoque filius Antoninus Bremond dicti ordinis magister generalis approbavit et respective confirmavit; insuper dictus Antoninus magister generalis vigore facultatum sibi et pro tempore existenti magistro generali ordinis praedicti a fel. rec. Clemente pp. XII., praedecessore nostro, per quasdam suas litteras sub plumbo expeditas attributarum scholares inibi s. theologiae studio operam navantes, absoluto huiusmodi studii cursu, nonnullis privilegiis decoravit, prout continetur in ipsius Antonini magistri generalis decreto seu patentibus litteris tenoris sequentis, videlicet:

Nos frater Antoninus Bremond, s. theologiae professor ac totius ordinis ff. praedicatorum humilis magister generalis et servus. Cum illm̃us et rm̃us d. Thomas Antonius Emaldi, vir amplissimus ss. d. n. Benedicto XIV. ab epistolis latinis, ut singularem, qua ordinem nostrum prosequitur, benevolentiam praecipuumque, quo purae solidaeque d. Thomae Aquinatis doctrinae tenetur, studium patefaceret, scholam seu cathedram theologiae, qua publico bono patriae consuleret commodisque adolescentium clericorum prospiceret, Lugi in coenobio s. Dominici, congregationis nostrae utriusque Lombardiae, fundare decreverit eamque religiosis viris praedictae congregationis ita addicere, ut perpetuo unus ex iisdem ceu lector illi praesit, qui a vicario generali et idoneus existimetur et deligatur, cuiusque munus sit auditorum animos ad pietatem et sanctitatem, quae christianos clericosque decet, praesertim sacrorum bibliorum praeceptis informare theologicisque disciplinis ita, ut s. Thomae Aquinatis angelici et quinti ecclesiae doctoris decreta postulant, imbuere, iisque prae ceteris instituere, quae vel ad confutandas haereticorum adversus fidem orthodoxam vanas oppositiones, vel ad certiores purioresque ad mores componendos beneque vivendum regulas ab incertis cupiditatique male blandientibus opinionibus distinguendas vindicandasque pertinent. Nos, ut benemerenti nostrique amantissimo viro aliquam grati animi significationem exhibeamus, atque ut alacriores frequentioresque iuvenes, quo ad

nos pertinet, ad eiusmodi institutionem amplectendam spe etiam alicuius praemii reddamus, ii, qui s. theologiae diligentem operam per temporis mox definiendi spatium dederunt, ut doctoratus gradu, insignibus et honore ornentur, constituimus. Quamobrem auctoritate apostolica nobis a Clemente XII. fel. rec. per constitutionem, quae incipit: « Verbo Dei », datam v. kal. septembris anni 1733, demandata et attributa, harum serie facultatem damus r. p. priori pro tempore praedicti coenobii s. Dominici, congregationis nostrae utriusque Lombardiae, ut nomine et vice nostra, una tamen cum p. cathedratico aliisque tribus theologiae professoribus eiusdem coenobii auditores eiusmodi laurea doctoratus s. theologiae decorare possit; at illos tantum volumus eiusmodi ornamento esse donandos, qui bonis compositisque erunt moribus, probatique fama et philosophia fuerint instituti, quae per litteras testimoniales pp. examinatoribus opus erit ut innotescant, quique deinde per quatuor annos s. theologiam audierint, praelectionibus, explicationibus, collationibus, circulis, disputationibus ceterisque scholae exercitationibus, quae ibi haberi consueverint, diligenter interfuerint, quique praeterea theologicas theses pluries privatim publiceque saltem semel propugnaverint, quorum omnium subscriptum a professore sive cathedratico testimonium pp. examinatoribus omnino exhibere tenebuntur, quique tandem privato severeque per spatium saltem unius horae cum dimidio de quinque theologiae tractatibus ex summa d. Thomae et praesertim ex illius secunda et tertia parte a r. p. priore commemorati coenobii depromendis, atque iisdem candidatis una cum positionibus seu capitibus pro lectione et disputatione congruo tempore designandis, instituto examine, a maiori parte secretis suffragiis, adstante publico et apostolico tabellione, fuerint probati; nam qui maiori parte suffragiorum probati non erunt, eos doctoratus honore prorsus arceri decernimus, nisi forte post aliquod temporis intervallum, altero inito experimento, digni, qui approbentur, censeantur; qui vero probati fuerint, eadem die privatim vel, si maluerint, alia die publice, praemissa semper catholicae fidei professione iuxta formulam constitutionis Pii pp. IV., nec non iureiurando adhibito, quo polliceantur, se numquam ab angelici praeceptoris s. Thomae Aquinatis solida doctrina esse recessuros, laurea doctoratus s. theologiae, gratis omnino ipsis impartienda, ad formulam, quae ad calcem constitutionum nostrarum reperitur, adiecta traditione annuli et infulae seu bireti nigri, donabuntur. Quod si publice aliqui, quemadmodum dignitati decorique magis convenire videtur, laurea ornari maluerint, tunc alterum quoque publicum instituendum erit experimentum sive examen, apertis scholae ianuis omnibusque, quibus adesse placuerit, admissis; quo in experimento candidatus, postquam a patre, qui scholae vocatur secretarius, in sede collocatus fuerit ad mensam, in qua sint for-

mulae professionis fidei, evangelium s. Ioannis, annulus et biretum, brevi oratione desiderium lauream assequendi significet, cui cum a patre priore, integro ordinis habitu induto, brevi etiam sermone, qui ad id collimet, ut demonstret, qualem oporteat esse theologum, praesertim doctoris honore auctum, responsum fuerit, tres ex commemoratis pp. examinatoribus a p. priore deligantur, qui de iisdem theologiae capitibus, de quibus privatim disputatum fuit, rursus cum candidato, uno vel altero dumtaxat opposito argumento, concertationem ineant; qua absoluta, adstantibus omnibus, praeter insigniores clarioresque viros, si adfuerint, per patrem quem diximus secretarium, dimissis, iterum a pp. examinatoribus secretis suffragiis, publico et apostolico tabellione praesente, probentur, cumque a p. secretario approbatio renuntiata fuerit, tunc et candidatus et reliqui, qui interfuerant, scholam denuo ingrediantur, illeque solemni ritu, ut supra descriptum est, doctoratus laurea ornetur, paresque cum pp. examinatoribus tum ceteris, qui adfuerint, paucis gratias referat. Iamvero quibus doctoratus honor delatus fuit, iis dandae sunt etiam litterae patentes a p. scholae secretario, atque a commemorato publico apostolico tabellione subscriptae, magnoque sigillo pendente, ut moris est, quod imaginem exprimat s. Thomae Aquinatis, firmatae, quibus litteris declaretur, rite omnia peracta fuisse, atque ea ratione laurea donatum, iisdem prorsus privilegiis, immunitatibus et praeeminentiis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, gratiis, iuribus et dignitatibus frui et potiri debere, quibus alii in academiis Romana, Salmantina, Complutensi, Parisiensi vel alia quacumque universitate doctoratus honore ornati frui et potiri consueverunt. Tandem officii erit p. secretarii, necnon publici tabellionis, ut singuli in singulis libris, quorum is sit dumtaxat usus, laurea ornatorum nomina, cognomina, studia, tractatus, capita pro examine proposita, examinatorum etiam nomina, latum ab his iudicium atque annum, mensem diemque, quo huiusmodi honor unicuique delatus fuerit, summa fide describat. Haec, quae ut diligenter opere perficiantur, optamus atque fore speramus, libentissime constituimus, cum ut egregiae erga nos amplissimi viri voluntati, ut vires ferunt, respondeamus, tum ut in tam praeclarum institutum, ex quo maximae in dies publicae privataeque manabunt utilitates, quod in nobis est, adiumenti conferamus. Ne autem eveniat, ut temporis decursu, quae optime sancita sunt, aut praetermittantur aut violentur, praecipimus r. adm. p. vicario generali nostrae congregationis utriusque Lombardiae pro tempore, ut, dum visitationis munere fungetur loco nostri et successorum nostrorum, diligenter inquirat, an singula, quae ab illmo et clarmo viro decreta sunt, accurate serventur, magistrumque ordinis, qua ratione res gerantur, certiorem faciat, quo inscio etiam nec institutum removeri nec novum institui lectorem volu-

mus. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Non obstantibus etc. In quorum fidem etc. Datum Romae in conventu nostro s. Mariae supra Minervam die 21. iulii 1753. Frater Antoninus Bremond, magister ordinis. Registr. pag. 2. Fr. Thomas Ignatius Maria Natta, magister et socius.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus vicarius generalis, ut fundatio praedicta cathedrae futuris temporibus firmius subsistat praeinsertaeque conditiones serventur exactius ac promptius alacriusque executioni mandentur, opportune in praemissis a nobis provideri et, ut infra, indulgeri plurimum desideret, nos animo perpendentes uberem fructum, qui in animarum salutem redundabit ex angelici doctoris et magistri doctrina, de cuius laudibus tam luculenter atque honorifice prolocuti sunt Romani pontifices praedecessores nostri Alexander IV., Ioannes XXII., Clemens VI., Urbanus V., Nicolaus V., Pius IV., s. Pius V., Xistus V., Clemens VIII., Paulus V., Alexander VII., Innocentius XI., Clemens XI., Innocentius XIII., Benedictus XIII. et Clemens XII. in suis et nos in nostris respective litteris, alias expeditis, ipsum vicarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fundationem erectionemque dictae cathedrae theologiae moralis divi Thomae Aquinatis a memorato Thoma Antonio factam et per ipsum vicarium generalem admissam, praeinsertasque conditiones ab eodem Thoma Antonio fundatore praescriptas volitasque, necnon privilegia ab ipso Antonino magistro generali praefatae cathedrae, ut praefertur, concessa, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet irrepserint, supplemus et sanamus. Ac insuper volumus, praecipimus et mandamus, ut clerici dicti oppidi illiusque districtus ad sacros ordines promovendi, qui nullam attestationem authenticam rectoris pro tempore existentis sive seminarii ecclesiastici civitatis Imolen., sive quarumcumque aliarum publicarum scholarum, in quibus s. theologia huiusmodi publice edocetur, exhibere valeant, se s. theologiae praefatae studiis in illo seu illis incubuisse, ante eorum promotionem ad sacros ordines in cancellaria episcopali attestationem authenticam lectoris pro tempore existentis dictae cathedrae exhibere omnino teneantur, qua declaretur, cathedram huiusmodi frequenter illos adivisse et inibi studiis praedictis operam navasse, alioquin ad

sacros ordines praedictos minime promoveantur. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac congregationis et ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 6. aprilis 1754, pontificatus nostri anno decimoquarto.

D. card. Passioneus.

16. Die 11. septembris b. Ioannae, vulgo Vannae, Urbevetanae, virginis tertii ordinis praedicatorum, cultum a sacra Rituum congregatione probatum confirmat. Decretum est huiusmodi.

Decretum. Urbevetana.

Canonizationis b. Ioannae, vulgo Vannae, de Urbeveteri, monialis tertii ordinis praedicatorum.

Admissa ad relationem celsitudinis regiae em̃i et rm̃i d. cardinalis ducis Eboracensis, ponentis, a sacra Rituum congregatione ordinaria ex dispensatione apostolica absque interventu consultorum, habita die 16. februarii currentis anni commissione introductionis causae canonizationis praedictae b. Ioannae, vulgo Vannae, monialis tertii ordinis s. Dominici, illaque subinde die 13. martii eiusdem anni a ss. d. n. Benedicto pp. XIV. manu propria signata, cum in eius executionem instante rm̃o p. fr. Antonino Bremond, magistro generali ordinis praedicatorum postulatore, propositum fuerit ab eadem celsitudine regia em̃a, ponente, in sacra Rituum congregatione ordinaria, atque discussum dubium: An sententia per iudices a rm̃o episcopo Urbevetano deputatos lata super cultu ab

immemorabili tempore dictae beatae praestito, sive casu excepto a decretis s. mem. Urbani pp. VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum, de quo agitur; sacra eadem congregatio, praevio maturo examine processus informativi super praefato casu excepto in civitate Urbisveteris a rm̃o episcopo eiusdem civitatis constructi, ac audito r. p. d. Ludovico de Valentibus, fidei promotore, qui suam sententiam voce et scripto exposuit, rescribendum censuit « Affirmative », si ss. d. n. visum fuerit. Die 7. septembris 1754.

Factaque deinde per me secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 11. eiusdem mensis et anni 1754.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

M. Marefuscus sac. Rit. cong. secr.

17. Denuntiamus resolutiones sacrae congregationis Concilii de ordinis nostri iurisdictione in monasteria monialium ipsius ordinis curae subiectarum die 28. septembris eodem anno 1754 factas, quae sic habent:

Resolutiones sacrae congregationis Concilii in causa Ferrarien. Iurisdictionis.

Inter alia sanctimonialium monasteria, quae Ferrariae sunt, regularium ordinum, quatuor sunt dominicanae familiae. Duo p. provinciali utriusque Lombardiae, alterum nempe s. Catharinae Martyris, alterum s. Catharinae Senensis; alia duo, alterum s. Rochi, alterum s. Monicae p. vicario generali congregationis s. Sabinae subiecta sunt. In ultima visitatione facta a p. provinciali Lombardiae auditae sunt monialium querelae, omnia nutu arbitrioque syndici regi atque administrari locationes, concessiones, renovationes emphyteuticas sine propositione edictorum, sine beneplacito apostolico, sine assensu, immo cum dissensu monialium, sine interventu praefecti regularis fieri, libros accepti et impensi non intra claustra monasteriorum, sed apud ministros servari. His auditis querelis, optimum esse censuit p. provincialis rationes exigere a ministris eisque indixit, ut libros ederent. Cum hi renuissent libros edere et rationes reddere, adiit p. provincialis em̃um archiepiscopum, ut eos cogeret, sed eum difficilem invenit, quod putaret, regularium auctoritatem versari dumtaxat in directione spirituali monialium, cetera ad episcopos pertinere. Hinc orta est de iurisdictione controversia, quae ad hoc sacrum tribunal delata est, novisque in diem evenientibus dissidiorum causis, tandem post auditum eumdem em̃um archiepiscopum causa omnis xiv. capitibus collecta fuit. A promotore fiscali curiae archiepiscopalis nihil habuimus, a patribus

vero et monialibus brevissimum libellum, qui eadem fere, quae supra scripsimus, continet. Capita sunt:

I. An superioribus regularibus competat ordinaria iurisdictio in spiritualibus et temporalibus super monasteriis ss. Catharinae Martyris et Senensis, necnon ss. Monicae et Rochi, et signanter in procuranda recta administratione bonorum et reddituum dictorum monasteriorum sibi subiectorum, seu potius servanda sit in casibus particularibus praetensa consuetudo in casu etc.

II. An vicarii monasteriorum praefatorum instituti per provincialem Lombardiae et respective per vicarium generalem congregationis s. Sabinae, vel, illis impeditis seu absentibus, confessarii eorumdem monasteriorum possint intervenire quibuscumque contractibus ineundis nomine eorumdem monasteriorum.

III. An iidem vicarii vel, illis absentibus aut impeditis, confessarii possint ac debeant assistere redditioni rationum seu revisioni computorum, ut praetenditur, faciendae de trimestre in trimestre.

IV. An provincialis utriusque Lombardiae et p. vicarius s. Sabinae possint et debeant visitare dicta monasteria circa administrationem bonorum et reddituum, et sic revidere libros introitus et exitus, ac exigere rationum redditionem a ministris aliisque officialibus eorumdem monasteriorum.

V. An em̃us archiepiscopus possit, irrequisito superiore regulari, exigere et recipere rationum redditionem a dictis ministris et officialibus.

VI. An electio cuiuscumque novi ministri et syndici in casu obitus, dimissionis officii vel amotionis, spectet ad priorissam et moniales vel potius ad archiepiscopum.

VII. An dimissio officiorum facienda sit in manibus priorissae vel potius in manibus em̃i archiepiscopi.

VIII. An facultas renovandi dictos officiales et ministros spectet ad priorissam et moniales seu potius ad em̃um archiepiscopum. Et quatenus affirmative ad secundam partem V., VI. et VII. dubii,

IX. An novus minister vel syndicus possit vigore litterarum patentium archiepiscopi contractus inire aliosque administrationis actus gerere sine mandato procurae priorissae et monialium. Et quamvis negative,

X. An priorissa et moniales possint novo syndico tribuere in mandato procurae facultates sibi bene visas ac etiam alios procuratores constituere ad certa negotia.

XI. An quaecumque instrumenta stipulari debeant coram priorissa et monialibus capitulariter congregatis cum interventu superioris regularis.

XII. An quibuslibet instrumentis et scripturis, quibus interveniant superior regularis et syndicus, debeat praenominari et prius subscribere ipse superior regularis seu potius syndicus.

XIII. An archivum cuiusque ex dictis monasteriis retineri debeat intra claustra seu potius extra, idest in collocutorio monialium.

XIV. An omnes libri nuncupati magistrales retineri debeant in archivo et de trimestre in trimestre tradi ministris pro reportandis partitis introitus et exitus in casu etc.

Die 28. septembris 1754 sacra congregatio em̃orum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, utraque parte informante, respondit ad primum Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, tertium et quartum Affirmative. Ad quintum Negative. Ad sextum electionem spectare ad priorissam et moniales cum interventu superioris regularis; ad archiepiscopum vero spectare expeditionem litterarum patentium iuxta solitum. Ad septimum Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad octavum Affirmative quoad primam partem; quoad secundam servetur bulla « Inscrutabilis ». Ad nonum Negative. Ad decimum Affirmative cum interventu superioris regularis. Ad undecimum et decimumquartum Affirmative. Ad duodecimum et decimumtertium Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

M. card. Millini praef.

Loco † sigilli.

I. A. Furiettus secr.

18. Die 28. novembris eiusdem anni 1754 ss. d. n. Benedictus pp. XIV. decernit, ut de b. Ioanna Urbevetana recitetur officium et missa de communi virginis cum lectionibus secundi nocturni et oratione propriis tam in universo ordine praedicatorum quam in civitate et dioecesi Urbevetana.

19. Anno 1755, die 22. ianuarii vetus ordinis privilegium confirmans atque amplificans, publica sacella et privata oratoria in aedibus, praediis ac fundis ad coenobia nostri ordinis pertinentibus posita ab ordinariorum locorum visitatione eximit eaque ab ipsius nostri ordinis visitatoribus obiri ac probari iubet. Litterae sunt huiusmodi:

Benedictus pp. XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Bremond, magister generalis ordinis fratrum praedicatorum, quod inter cetera privilegia a Romanis pontificibus praedecessoribus nostris eidem ordini illiusque superioribus et fratribus concessa fel. rec. Alexander pp. IV. itidem praedecessor noster per suas sub plumbo v. kal. aprilis 1261 expeditas litteras indulsit, ut in locis, in quibus degerent, liceret eis habere oratoria, in quibus cum altari portatili possent missarum solemnia et alia divina officia celebrare. Subinde vero rec. mem. Benedictus pp. XI., etiam praede-

cessor noster, per alias suas sub plumbo IV. idus martii 1304 super exemptione a iurisdictione episcoporum itidem expeditas literas decrevit, ecclesias, oratoria, domos et loca, quae dictus ordo seu illius fratres tenebunt et inhabitabunt in futurum, dum et quoties illa tenere et inhabitare contigisset, exempta prorsus existere nulloque medio sedi apostolicae subesse; quae quidem privilegia ab hac apostolica sede pluries confirmata fuisse memoratur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus ordo quamdam possessionem s. Pastoris nuncupatam in dioecesi Praenestina existentem magistrisque generalibus ordinis huiusmodi assignatam habeat, ad quam tam magistri generales praedicti, quam eorum socii aliique dicti ordinis fratres de illorum licentia rusticationis causa pluries infra annum accedere solent et commorantur, ac sacrosanctum missae sacrificium in quadam publica capella muro extructa sacrisque supellectilibus munita pro eorum spirituali consolatione ac commoditate fratrum laicorum memorati ordinis ad illius custodiam semper existentium agrorumque cultorum et agricolarum aliarumque personarum ad illam adventantium celebrant, et licet ipse Antoninus magister generalis crediderit, capellam huiusmodi vigore praedictorum aliorumque privilegiorum, ut praefertur, ordini praedicto concessorum, numquam ab episcopis Praenestinis visitatam fuisse nec visitari debere, nihilominus transactis mensibus ad suam notitiam pervenerit, laicos inibi ad dictae possessionis custodiam commorantes, absentibus tamen magistris generalibus praedictis seu aliis dicti ordinis superioribus, propter ignorantiam privilegiorum praedictorum per ternas vices visitationem dictae capellae ab episcopis Praenestinis faciendam permisisse, prout ex actis sacrarum visitationum id constare asseritur, cupiatque propterea dictus Antoninus magister generalis eidem ordini in praemissis a nobis provideri. Nos, qui dictum Antoninum, magistrum generalem, paternis complectimur affectibus ipsumque ac dictum ordinem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, dictumque Antoninum, magistrum generalem, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut deinceps in publicis capellis seu privatis oratoriis existentibus in domibus, possessionibus et membris ad conventus ordinis praedicti nunc et pro tempore spectantibus et pertinentibus, quae ab ordinariis locorum iuxta ius visitari et approbari soleant debeantque, licet ab illis nec visitata nec approbata fuerint, nihilominus sacrosanctum missae sacrificium tam per regulares sive eiusdem sive alterius ordinis quam seculares pre-

sbyteros tuto celebrari possit, missamque inibi audientes diebus festivis praecepto ecclesiae hac de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo iurium parochialium praeiudicio, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Insuper dictas capellas publicas et privata oratoria a quacumque ordinarii locorum quacumque auctoritate, superioritate et dignitate fungentis visitatione et subiectione, auctoritate et tenore praedictis eximimus et liberamus ac exempta et libera esse decernimus, volumus et declaramus, ea tamen lege, ut ad eiusmodi effectum, nempe quoad visitationem per locorum ordinarios super illarum et illorum fabrica, ornatu et supellectili sacra faciendam satis sit et sufficiat, quod dicta oratoria, capellae et altaria visitentur et approbentur ac visitari et approbari debeant a patribus visitatoribus dicti ordinis, onerata super his conscientia tam dicti Antonini moderni quam pro tempore existentis eiusdem ordinis magistri generalis. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac quarumcumque ecclesiarum aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 22. ianuarii 1756, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Pro d. card. Passioneo

Ioannes Florius substitutus.

20. Anno 1756, die 10. martii certas indulgentias pro hoc ipso capitulo generali benigne concedit his scriptis litteris.

Benedictus pp. XIV.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus, capitulum generale

universi ordinis fratrum praedicatorum in domo regulari s. Mariae supra Minervam nuncupata eiusdem ordinis de Urbe in festo Pentecostes praesentis anni, benedicente Domino, celebrandum sit, nos, ut christifideles ad ecclesias eiusdem ordinis visitandas et alia opera pia exercenda promptiores reddantur, quo ex hoc dono caelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui in annuntiationis beatae Mariae Virginis Immaculatae ac Pentecostes proxime futuris festivitatibus et singulis in earum octavarum feriis ecclesias, loca et domos fratrum dicti ordinis ubicumque existentes devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam, in festo autem Pentecostes ac singulis actualis praedicti capituli celebrationis diebus ecclesiam s. Mariae supra Minervam huiusmodi etiam devote visitaverint et, ut praefertur, oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in domino concedimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque; praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque praesentium litterarum transumptis, etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 10. martii 1756, pontificatus nostri anno decimosexto.

Pro D. card. Passioneo
Ioannes Florius substitutus.

21. Denuntiamus, rm̃um magistrum ordinis, plaudentibus patribus, indixisse proximum capitulum generale, quod erit provincialium, anno 1759 celebrandum; locum autem ad eiusmodi capitulum habendum designasse ultra montes Barcinonem, claram Hispaniae urbem, cuius ipse urbis coenobii est alumnus.

22. Denuntiamus, praelaudatum rm̃um, quo recta et iusta subordinatio subditorum ad ceteros immediatos superiores servetur, declarasse, assignationes quascumque ab ipso emanandas, non obstituras, quin provinciales, si pro conscientia sua cognoverint bono provinciarum suarum

aliter expedire, possint per novas assignationes de subditis suis disponere, idque ad assignationes, etiam a suis praedecessoribus datas vel confirmatas, voluit omnino extendi.

Declarationes.

1. Declaramus conf. 3. capituli Bononiensis an. 1748, in qua innovantur et confirmantur ordinationes iampridem factae de trino examine subeundo ab iis, qui, studentatus munere expleto, sive actu non legunt sive numquam legerunt, tum etiam ab iis, qui, lecta tantum philosophia, lectiones theologicas per triennium non habuerunt, ita deinceps esse intelligendam, ut, si elapso mense post triennium, quod inter dicta examina in studiis generalibus aut aliis a magistro ordinis pro tempore designandis facienda debet intercedere, aliud examen, nisi obtenta a magistro ordinis prorogatione aut dispensatione, non subierint, non solum voce activa et passiva in electione priorum, sed etiam facultate confessiones audiendi privati ipso facto censeantur. Quam declarationem et ordinationem dumtaxat post sex menses a publicatione actorum capituli vim habere volumus. Committimus autem rm̃o magistro ordinis, ut pro provinciis, in quibus dissita nimis sunt coenobia, ubi examen eiusmodi ponendum est, mensis spatium, quod definitur, pro suo arbitrio et prudentia proroget.

2. Declaramus ord. 4. pro studiis eiusdem capituli Bononiensis, qua in memoriam revocatur ordinatio capituli Romani anno 1656 celebrati, ut studentes, quamdiu scholis addicti fuerint, vocem activam in electionibus non habeant neque ad illas in quocumque conventu aut collegio admitti possint, non solum de studentibus, qui formales vocari, sed etiam de iis, qui materiales appellari consueverunt, nec non de omni electione canonica in posterum intelligi debere.

Confirmationes.

1. Saluberrimum, frequentatissimum facilemque precandi modum, qui ss. Rosarii nomine vocari consuevit, a ss. p. n. Dominico institutum, quam maxime fratres ordinis decet, ut omni opera contentioneque in dies propagare conentur. Quocirca in memoriam reducentes conf. 1. postremi capituli Bononiensis, praecipimus et mandamus coenobiorum omnium praesidibus, ut viros pios idoneosque deligant, qui singulis hebdomadis rosarium in tres partes divisum populo diligenter explicent ab eoque recitari curent.

2. Societatum ss. Nominis Dei propagationem iam alumnis ordinis nostri in conf. 2. capituli eiusdem Bononiensis plurimum commendatam rursus maiorique, si fieri potest, studio commendamus, ut quae societas ad vitium blasphemiae convellendum invecta fuit, ea ad id etiam opera nostra hisce temporibus valeat, ut animi hominum ad idem ss. Nomen, qua par est, religione colendum reverendumque excitentur.

3. Nomen ipsum praedicatorum, quo ordo insignitus est, singulos eiusdem ordinis alumnos admonet, eam potissimam nostri muneris partem esse, ut verbum Dei annuntiantes praedicantesque, ea, quae ad hominum salutem sempiternam pertinent, procuremus. Itaque huc reducentes, quod alias ordinatum est, praecipimus, ut in diffinitorio cuiuscumque capituli provincialis viri scientia, desiderio salutis animarum, moribus convenientique eloquentia praestantes deligantur atque in actis eiusdem capituli nominentur, qui ea solum quaerentes, quae Dei sunt, totos se ad missiones in civitatibus oppidisque obeundas conferant. Quibus etiam, utpote pro viribus instituti officio satisfacientibus, ne aliquid praemii desit, ultro concedimus, ut laborum, quos in missionibus posuerint, in capitulo provinciali exponendorum ea ratio haberi possit, ut pro iis ad praedicaturam generalem promovendis magistro ordinis, cuius erit merita singulorum expendere, a provincia supplicetur.

4. Iamvero, quoniam de praedicando verbo Dei sermo est, confirmantes quae pridem ordinata sunt, rursus ordinamus, ut, qui amplissimo titulo et honore praedicatoris generalis frui volunt, officio vero fungi, ubi et quando opus est, vel a lege est praescriptum, recusant, titulo et voce activa in comitiis provincialibus privati sint, quos etiam a praedicatura generali amotos esse sancimus; atque haec omnia tum quoque obtinere volumus, quando a priore provinciali vel a provinciali capitulo ad praedicationem, necessitate postulante, deputati id muneris renuunt obire.

5. Eadem ratione superiores ordinationes confirmantes decernimus et ordinamus, ut praedicatores generales sub poena amissionis praerogativa et vocis ac praedicaturae generalis teneantur residere in iis conventibus, pro quibus sunt praedicatores generales, nisi aliter postulaverit manifesta utilitas aut necessitas ordinis, ab habente auctoritatem iuxta ordinis ipsius leges cognoscenda.

6. Cum instituto nostro valde consonum sit, ut hominum confessiones excipiamus, quo eorum animos a vitiis revocemus atque ad Dei obsequium, cultum ac amorem reducamus, confirmantes, quae saepius statuta sunt, plurimum commendamus graviterque praecipimus, ut, qui ex fratribus nostris idonei fuerint, tam salutari munere sedulo libenterque fungantur. Magistri vero in theologia aliique, qui prudentia et scientia praediti omnino id ministerii obire recusant, si a prioribus suis moniti desides adhuc in hoc fuerint, poenis etiam privativis, quemadmodum alias etiam praescriptum est, ad arbitrium magistri ordinis coerceantur.

7. Conf. 2. pro bono regimine postremi Bononiensis capituli renovantes, eam hic totidem verbis transcribimus. Cum radicitus nondum convulsus sit exitiosus atque damnabilis ad extraneas personas fratrum re-

cursus pro gratiis ordinis a superioribus non tam obtinendis quam extorquendis, in memoriam revocamus, quae in pluribus capitulis generalibus adversus huiusmodi recurrentes sancita sunt; latas in illos poenas, censuras atque maledictiones innovantes et his actis tamquam expresse inserta volentes, quae in capitulo generali Bononiensi an. 1725 conf. 1. graviter in hac re copioseque statuta ac denuntiata sunt.

8. Tandem confirmamus atque, si opus est, de novo ordinamus, quod in pluribus aliis capitulis generalibus iam praescriptum est, ne scilicet fratres conversi sine speciali rmi magistri ordinis dispensatione admittantur ad annum probationis sive novitiatus, nisi prius saltem per biennium tertiarii fuerint; quod sub poena nullitatis receptionis et probationis eiusdem omnino vetitum esse volumus. Integra vero relinquimus peculiaria provinciarum statuta a magistro ordinis confirmata, quibus maior numerus annorum praescribitur, per quos conversi ante probationem tertiarios agere debeant.

Pro bono regimine.

1. Ut aliqua ratione intolerabilem vagandi licentiam compescamus, innovamus conf. 1. pro bono regimine capituli Bononiensis anno 1748 celebrati, easdemque poenas ab ipso latas decernimus tum in vagos et fugitivos, tum in praesides coenobiorum, qui eos quomodolibet, praeterquam ad carcerem formalem receperint, aut ipsos circa suorum coenobiorum fines scientes impune vagari permiserint. Admonemus vero praesides quoscumque conventuum, ad id munere suo teneri, quemadmodum per plura capitula generalia ordinatum est, ut a fratribus ad se venientibus testimoniales litteras legitimamque licentiam exquirant et diligenter legant. Quod si praestare praetermiserint, eos dignos prorsus, qui severioribus poenis arbitrio magistri ordinis indicendis corripiantur, declaramus.

2. Hac occasione facere non possumus, quin praesides provinciarum, congregationum necnon coenobiorum graviter moneamus iisque praecipiamus, ut, cum aliquis fratrum e coenobio, provincia vel congregatione aufugerit, magistrum ordinis de fuga, de fugae causa, de culpis moribusque fugitivi certiorem faciant, ut, quae ad huiusmodi homines vel coercendos vel ad ordinem reducendos magis accommodata existimaverit, decernere et exsequi possit. Quod sane praescriptum ut a singulis commemoratis praesidibus accurate servetur, plurimum optamus et commendamus.

3. Cum ordinis decus et salus praecipue postulet, ut magna circa recipiendos ad habitum cura habeatur, non solum innovamus, sed etiam de novo ferimus conf. 3. pro bono regimine eiusdem Bononiensis capituli poenasque in ea latas ex integro rursus sancimus, atque inhaerentes iis, quae in constitutionibus nostris habentur dist. 1. cap. XIII. in

decl. text. 2. lit. f., praecipimus, ut nemo deinceps ad habitum ordinis recipiatur, nisi consulto praeside provinciae aut congregationis, diligentique inquisitione, quibus in locis opus fuerit, praemissa atque semoto partium studio peracta, de honestate natalium, aetate, indole, ingenio, scientia moribusque; cuius quidem inquisitionis documenta integre exhibenda sunt patribus a consiliis coenobii, in quo quisque erit recipiendus, a quibus eadem prius datoque convenienti temporis spatio, accurate dispicienda erunt atque probanda, sub poena cum nullitatis receptionis tum suspensionis ab officio, dignitate et iuribus tam a praeside quam a patribus a consiliis ipso facto incurrenda, a qua nonnisi a magistro ordinis absolvi possint.

4. Verum quum id ad incrementum dignitatemque ordinis non sufficiat, nisi postquam recepti sunt adolescentes, optime atque ad regularis vitae praescripta instituantur, quod maxime a magistris novitiorum pendet, hinc sub poenis arbitrio magistri ordinis decernendis omnino iniungimus et praecipimus omnibus, ad quos id pertinet, ut ii dumtaxat ad tanti momenti officium deligantur, qui cum cetera alia habeant, quae requiruntur a constitutionibus, tum ad inferendum in iuvenum animos virtutis religiosique instituti studium coram Deo apti existimentur. Eos autem, qui, cum idonei censeantur, ad id ministerii designati fuerint, si illo fungi recusent, confirmantes poenam in postremo capitulo Bononiensi indictam, inhabiles prorsus ad alia quaecumque officia et gradus esse volumus et declaramus.

5. Ad publicam utilitatem quammaxime necessarium est, ut totius ordinis moderatori ordinis sibi commissi status notus sit atque perspectus. Quare confirmantes denuo, quod iam in eodem capitulo generali Bononiensi conf. 6. pro bono regimine innovatum fuit, iniungimus et mandamus singulis cum prioribus provincialibus tum congregationum vicariis aut visitatoribus, ut catalogum seu indicem omnium fratrum et sororum suae provinciae vel congregationis perficiant, eumque ad magistrum ordinis quantocius transmitti curent. In hoc autem indice meminerint nomini uniuscuiusque fratris subiicere, cuius aetatis sit, quae officia gesserit aut gerat, quaenam illi sint merita, ingenium, indoles, quibusque muneribus exercendis aptior existimetur. Quod quidem ab unoquoque praeside cum provinciarum tum congregationum in fine suae administrationis omnino praestandum erit.

6. Quae salubriter a pluribus aliis capitulis generalibus sancita sunt pro rerum temporalium coenobiorum procuratione, confirmantes et innovantes praecipimus, ut ministri omnes coenobiorum, priusquam sua ministeria dimittant, severam accuratamque praeteritae administrationis rationem reddant, atque legale inventarium rerum omnium ad officia,

quae exercuerunt, pertinentium exhibeant. Cuius inventarii duo volumus fieri exemplaria, quorum alterum in arca depositi communis servetur, alterum iis, qui in eodem officio succedunt, tradatur, ut, absoluto ab iisdem officio, compertum facile fieri possit, quid in rebus singulis commissis desit, quid perierit, quid auctum fuerit, quamque rite et utiliter unusquisque munus suum expleverit.

7. Atque in parvis conventibus, in quibus facilius est, ut in rei familiaris procurationem mala irrepant, graviter prohibemus, ord. 3. postremi capituli Bononiensis sectati, ne priores vel vicarii eorumdem quidquam gravis momenti in rerum temporalium administratione agant sine consensu prioris provincialis aut saltem non adhibito consilio patrum maioris conventus vicinioris. Quod si secus fecerint, nulla et irrita declaramus, quae facta fuerint, prioresque seu vicarios poenis arbitrio magistri ordinis infligendis subiicimus.

8. Ad singulos autem fratres quod attinet, qui cum summo ordinis dedecore magnaque praesidum molestia et incommodo aes alienum sive debita contrahunt, eos, cuiuscumque sint gradus et dignitatis, poenis iam a pluribus capitulis generalibus latis, atque inter eas poenae carceris, prorsus subesse volumus.

9. Ne pessimum detractionis vitium, quo nihil caritati et decori ordinis magis exitiosum excogitari potest, inter homines nostros serpat aut invalescat, in memoriam revocamus poenas omnes cum gravioris culpae tum carceris et a constitutionibus nostris et a pluribus capitulis generalibus in detractores latas, quas omnes hic, ac si ad verbum descriptae essent, innovamus, praecipientes praesidibus sive provinciarum sive coenobiorum, ut quos tam immanis sceleris reos repererint, eos commemoratis poenis, quin ullo ad personas flectantur respectu, puniant ac compescant.

10. Atque hic etiam innovandam et confirmandam duximus ordinationem capituli generalis anno 1589 Romae habiti conf. 8. positam, quae ita habet: Confirmamus etiam ordinationem saepe ac saepius factam, necnon sub praecepto formali et sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, praecipimus, ne frater aliquis, cuiuscumque conditionis vel status existat, litteras criminosas, diffamatorias aut famosos libellos per se vel per alium absque proprii nominis subscriptione adversus quemcumque sive intra sive extra ordinem scribere praesumat; praecipientes omnibus praelatis in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, ut, si quos huiusmodi ordinis destructores repererint, pro tanto flagitio gravissime puniant et excommunicatos declarent.

11. Ne in postulationibus fraudi, iniuriae aut querelae pateat locus, confirmantes, quod saepius ordinatum est, praecipimus sub nullitate po-

stulationum, ut deinceps uniuscuiusque postulati sive ad gradus sive ad praedicaturas generales explicate describatur aetas, professionis tempus et merita; volumusque meminisse diffinitores capituli provincialis, postulandi potestatem non pro illorum privato studio aut arbitrio, sed pro meritis uniuscuiusque esse exercendam.

12. Cum ea quae in capitulis provincialibus decernuntur, nihil ad utilitatem provinciae, nisi innotescant, conducere possint, in memoriam revocantes, quod alias iam praeceptum est, ordinamus, ut singuli priores provinciales capitulorum provincialium acta cum rm̃i magistri ordinis confirmatione sive typis edita sive manuscripta, prout consuetudo est cuiusque provinciae, in omnibus coenobiis quamprimum omnino publicari faciant. Qui autem hoc decretum exequi neglexerint, convenientibus poenis a magistro ordinis corripiantur.

Pro regulari observantia.

Cum a pluribus generalibus capitulis multa sint salubriter constituta, quae ad sanciendam, tutandam augendamque regularem observantiam plurimum valent, ea omnia confirmata esse volumus atque, ut a singulis diligentissime serventur, vehementer optamus et graviter praecipimus.

1. Illud vero inter cetera primum mandamus, in memoriam revocantes, quod saepissime in capitulis generalibus statutum et confirmatum fuit, ut patres priores provinciales statim ac publicata fuerint acta, coenobium designent, ubi vita communis legesque nostrae absque ulla dispensatione plene perfecteque observentur. Ita enim confidimus facile fieri posse, ut hoc exemplo regularis disciplinae studium legumque nostrarum accurata observatio in dies vigeat. Priores autem provinciales, qui in hac potissima sui muneris parte desides fuerint, poenis latis per capitula Bononiensia annis 1706, 1748 celebrata subiectos omnino esse volumus.

2. Neminem profecto latet, quam severe a constitutionibus nostris capitulisque generalibus usus lineorum ad carnem vetitus sit. Quamobrem omnes innovantes poenas, quae hactenus sive a constitutionibus sive a capitulis generalibus latae sunt, sub iisdem poenis praecipimus, ut, ablegata quacumque prava consuetudine, omnes et singuli ordinis nostri professores ad praescriptum nostrarum constitutionum laneis omnino ad carnem vestibus utantur. Qua etiam in re priorum sive provincialium sive conventualium in diem domini conscientiam oneramus, nisi studiose curaverint, ut haec salutaris ac inter praecipuas nostri ordinis connumeranda constitutio re ipsa observetur.

3. Ut corporis habitus is in omnibus sit, qui religiosos viros deceat atque ad tantopere commendatam a legibus nostris conformitatem

tandem accedat, in memoriam revocamus et innovamus, quae saepius de capillorum tonsura a capitulis generalibus sancita sunt, quemadmodum et de uniformitate vestium etiam internarum, quas nimirum, sub poenis ab iisdem capitulis generalibus hactenus indictis, albi coloris omnino esse volumus et praecipimus.

4. Quae a postremo capitulo Bononiensi in memoriam revocata fuit, ordinationem in alio capitulo Bononiensi anno 1706 latam hic iterum ad verbum transcribimus eiusque observationem summo studio commendamus. Vitam communem seu perfectam rerum omnium communitatem statui religioso adeo individuam et necessariam, qua, dum vigeret, effloruit semper religio et tot fere sanctos aluit, quot habuit religiosos, ut in omnes provincias ac conventus revocent priores seu provinciales seu conventuales, iam toties in capitulis generalibus ordinatum, inculcatum et sub interminatione, divini iudicii praeceptum est, ut supervacaneum videri possit illius introducendae nova dare praecepta seu novas condere leges. Nihilominus quia necdum obtineri potuit, ut in omnes omnino conventus introduceretur, mandamus ac districte praecipimus, ut iis in conventibus, in quibus introducta est, custodiatur quam diligentissime, nec rimam admittant superiores, qua e conventibus erumpere possit; ubi vero necdum perfecte introducta est, curent satagantque, ut, si nequeunt aliter, sensim et sensim illam introducant, eas statuendo depositi leges talemque in vestitu et supellectili fratrum praescribendo modum, qualia in variis capitulis generalibus praescripta sunt et statuta, ut, quoad fieri poterit, ad vitam perfecte communem accedant quam proxime. Superiores hac in parte muneris sui potissima negligentes seu indulgentiores a suis officiis volumus amoveri, eosque inhabiles praesenti decreto declaramus ad quaevis ordinis nostri munia; et si quem contingat eligi in priorem conventualem seu provincialem, quem in consilio patrum per vota secreta constiterit non esse vitae communis amantem, districte prohibemus, ne huiusmodi electus confirmetur, sed alius vitae communi seu custodiendae seu introducendae aptior eligatur.

5. Quae de communi deposito fratrum a capitulis generalibus saepius et graviter praescripta, confirmata ac mandata fuerunt, rursus praescribimus, confirmamus ac mandamus, poenisque omnibus hucusque latis eos subesse volumus, qui tam necessariis, ne paupertas e medio tollatur, sanctionibus parere aut neglexerint aut recusaverint.

6. Rerum divinarum meditationem, qua a periturarum rerum amore revocamur evehimurque ad caelestium desiderium, religiosis viris perquam necessariam, omni quo possumus studio, commendamus atque in eam singulos crebro incumbere optamus vehementer. Praecipimus vero, ut bis quotidie ad praescriptum constitutionum nostrarum in choro ha-

beatur; poenamque iam alias constitutam in superiores, qui absque legitima gravique causa frequenter dispensaverint, innovamus.

7. Exercitationes spirituales per decem dies in singulis coenobiis ab omnibus religiosis ordinis quotannis habendas iamdudum plura capitula generalia praescripserunt, novissimeque praescripsit Bononiense anno 1748 celebratum conf. 1. pro observantia regulari. Quorum omnium capitulorum generalium de hac re ordinationes confirmamus atque ita in memoriam revocamus, ac si ad verbum hic essent insertae. Huic autem legi subesse omnino volumus atque parere parochos etiam aliosque, qui ex legitima licentia extra coenobia commorantur. Curae autem erit, quoad parochos attinet, patrum priorum provincialium res ita disponere, ut, dum parochi tam salubri instituto dant operam, idoneo ministro paroeciae non careant.

8. Ludos taxillorum, alearum seu chartarum aliosque quoscumque, qui vulgo sortis vocari consueverunt, cum a constitutionibus nostris tum a pluribus capitulis generalibus vetitos, sive illos inter se sive cum extraneis fratres nostri ludant, sub poenis iisdem constitutionibus et capitulis generalibus constitutis prorsus vetitos interdictosque esse volumus. Vestigiis vero capituli Vallisoletani anno 1605 habiti inhaerentes, praesidibus omnibus, qui delinquentes poenas luere non coegerint aut scientes commemoratos ludos toleraverint, poenam absolutionis ab officio indicimus.

Pro studiis.

1. Quandoquidem ea est instituti nostri ratio, ut sine doctrina consistere nequeat, eaque nonnisi diligenti studio comparari possit, confirmantes singulas ordinationes praeteritorum capitulorum generalium, quae ad colenda praecipue divinarum rerum studia pertinent, omnibus, ad quos id spectat, praecipimus et mandamus, ut, quae in ipsis praescripta sunt, reipsa opere perficienda curent.

2. Atque imprimis illud praecipuo studio commendamus graviterque praecipimus, ut omnes ordinis alumni summa religione teneant et sectentur sanctissimam ac tutissimam s. Thomae Aquinatis doctrinam iamdudum tot Romanorum pontificum novissimeque Benedicti XIV. P. M. illustribus laudibus universaeque ecclesiae consensione probatam, firmatam et commendatam. Si qui vero ita degeneres ab ordine praedicatorum se praebuerint, ut novorum placitorum cupidi solida angelici praeceptoris dogmata deseruerint, omnibus poenis hactenus latis totiesque confirmatis eos reipsa subiicimus subiectosque esse volumus.

3. Quod de studio graecae, hebraicae aliarumque praesertim orientalium linguarum inducendo seu potius in ordine nostro excitando sapientissime in postremo capitulo Bononiensi definitum est, de novo or-

dinamus atque omnia, quae ad id obtinendum constituta sunt, sive ea ad praedictarum linguarum praeceptores sive ad praemia ipsis decernenda pertineant, rata habemus et innovamus.

4. Ut verbi divini praedicandi idonei fiant ministri, iam in eodem capitulo generali Bononiensi sancitum fuerat, ut in singulis provinciis et congregationibus coenobium designaretur, ubi ordinis alumni ad id muneris instituerentur. Quam sane sanctionem confirmantes, praecipimus et iniungimus omnibus prioribus provincialibus congregationumque vicariis, ut non solum omni opera salutare hoc decretum exequi contendant, sed etiam magistro ordinis significent, quodnam huic rei aptius in suis provinciis aut congregationibus coenobium sit, ut illud tandem ab ipso magistro ordinis pro praedicatoribus constituta in praedicto capitulo ratione informandis deputetur.

5. Denique in memoriam revocantes et confirmantes, quod in pluribus capitulis generalibus pro studiorum incremento sancitum est, rursus ordinamus, ut in conventibus, in quibus studium viget, nemo in priorem eligi aut confirmari possit, qui philosophiam et theologiam ante cum laude non docuerit.

Ordinationes.

1. Innovantes, quae sapientissime a legibus nostris constituta sunt, ne priores res temporales coenobiorum per semetipsos administrent, praecipimus et mandamus, ut nihil mutuum, sive illud magni sive parvi momenti sit, absque consilio patrum coenobii, cuius priores sunt, accipere possint sub poena absolutionis ab officio aliisque arbitrio magistri ordinis.

2. Quin etiam ut rei familiari coenobiorum provide consulamus, ordinamus et praecipimus, ut priores conventuales, antequam prioris expleant munus, priori provinciali et per eum deinde diffinitorio provinciae summa fide significent statum coenobii, cui praefuerint, aperiantque, mutuum si quid acceperunt, qua de causa et qua ratione acceperint, necnon debita omnia, si quae contracta fuerint, manifestent. Quod si in his deliquisse reperiantur, praeterquam quod ad damna solutione resarcienda tenebuntur, inhabiles perpetuo erunt, ut in priores eligantur.

3. Ut vero tranquillitati etiam rectoque ordini, praecipue ad electiones quod attinet, prospiciamus, ordinamus et praecipimus, ut, qui semel voci activae renuntiaverint, post acceptatam a rm̃o magistro ordinis eiusmodi renuntiationem vocem activam, ut sibi placuerit, sine speciali eiusdem magistri ordinis licentia amplius resumere non possint.

4. Ordinamus praeterea, ut priores provinciales in proximo, quod celebraturi sunt, provinciali capitulo illud omnino curent, ut deligatur in propriis provinciis coenobium, in quo provinciae archivum commode collocari et tuto conservari possit, ipsumque in actis magistro ordinis

indicetur; qui, quod sibi bene visum fuerit, pro sua auctoritate decernet, ut negotium eiusmodi tamdiu exoptatum et non solum provinciis utile, sed toti ordini valde necessarium, demum conficiatur.

5. In memoriam reducentes fratrum conversorum, eos ad temporales et corporales exercitationes receptos esse, ut in sudore vultus sui vescantur pane suo, quemadmodum in constitutionibus nostris dist. II. cap. XV. in decl. text. 1. habetur, et confirmantes, quae saepe in capitulis generalibus constituta sunt, praecipimus, ut in singulis conventibus conversorum magister instituatur, qui eos et in pietate, divino cultu regularique observantia informet, et diebus saltem festis de rebus ad fidem atque ad aeternam salutem pertinentibus instruat illosque poenis subiiciat, qui eiusmodi salutaribus institutionibus non adfuerint aut negligenter in gravissima officii sui parte se gesserint.

6. Invigilent praeterea priores conventuales, cum ne fratres conversi otio torpescant, tum ut officia sibi concredita impigre et fideliter expleant; neque umquam patiantur, ut erga patres sacerdotes irreverentes se exhibeant; in illos vero, qui huiusmodi sanctionibus non paruerint, poenis iam a legibus nostris constitutis animadvertant.

Admonitiones.

1. Libentissime huc reducentes adm. 1. postremi capituli generalis Bononiensis, monemus primum et hortamur singulos patres sacerdotes, ut memores, se in sacrosancto missae sacrificio immaculatam hostiam, corpus scilicet et sanguinem domini nostri Iesu Christi propter nostram salutem in cruce oblatum Deo offerre, nonnisi puro expiatoque ad legum nostrarum praescriptum animo corporeque ad gravitatem, dignitatem pietatemque composito sacrum faciant, deinde prioribus provincialibus aliisque sive provinciarum sive coenobiorum pro tempore praesidibus, quorum conscientiam in diem Domini oneramus, praecipimus, ut, si qui fuerint, qui minus, quoad animum attinet, parati quive festinanter aut per aliud quodcumque vitium minus digne missam celebrent, in eos severe nullaque indulgentia usi animadvertant eosque latae iampridem suspensionis poenae omnino subiiciant.

2. Cum instituti nostri ipsa postulet ratio, ut decorem domus Dei et diligamus et curemus, graviter admonemus omnes et singulos cum provinciarum tum coenobiorum praesides, ut omne studium et diligentiam in nitorem et munditiam templorum conferant; quam quidem munditiam in ea supellectili, quae ad sacrum peragendum eucharistiamque populis administrandam pertinet, praecipue et servari et coli optamus atque praecipimus. Superiores autem, qui sacristas aliosve inferiores ministros negligentes remissosque in eiusmodi cultu procurando repererint, eos ab officiis amoveant aliisque ad arbitrium poenis coerceant.

3. Quoniam ad obsequium Dei etiam plurimum pertinent laudes, quas ei pro modulo nostro adhibemus, cum horas canonicas recitamus, admonemus omnes cum provinciarum tum coenobiorum praesides, singularis ipsorum curae esse debere, ut horae canonicae tam nocturnae quam diurnae statutis temporibus, eaque religione, gravitate iisque pausis, quae praescriptae sunt, persolvantur, utque iis fratres frequentes intersint, neque ullo colore, titulo aut prava consuetudine quisquam a choro abesse audeat, secus quam constitutiones nostrae capitulaque generalia constituunt et magistri ordinis praescripserunt. Atque hac occasione vehementer hortamur viros, qui dignitatibus gradibusque ordinis ornati sunt, ut in hac officii parte praestanda omnino se ad praescripta legum nostrarum componant cogitentque, ab eorum exemplo potissimum aliorum desidiam culpasque derivare.

Commissiones.

1. Enixe ac reverenter rogantes committimus rmo magistro ordinis, ut novam procuret constitutionum nostrarum adornandam editionem, in qua integra manente littera seu textu, explicentur et illustrentur, quae in declarationibus posita sunt, ut ius ordinis magis perspicuum et manifestum fiat. Cumque ad hoc opus perficiendum necesse sit, viros doctos diligentesque adhiberi, qui labori minime parcant, rogamus eundem rmum magistrum ordinis, ut ab ipso, qui ad id muneris delecti fuerint, gradibus ordinis donentur eadem prorsus ratione eodemque temporis spatio, ac si reipsa in studiis generalibus docuissent.

2. Cum per varios casus effectum sit, ut redditus coenobiorum ita decreverint, ut impares pro oneribus eorumdem omnino sint, committimus rmo magistro ordinis, ut a ss. d. n. Benedicto XIV. praedictorum onerum reductionem ad ratam reddituum existentium tam pro conventibus quam pro monasteriis petat.

3. Optamus etiam, ut pro festo ss. Rosarii, quod sane inter praecipua ordinis nostri est recensendum, officium proprium et missa concedatur. Quod item rmo magistro ordinis, ut obtineat, committimus.

4. Ut doctoris angelici s. Thomae Aquinatis, cuius doctrinae ordo noster praecipuum decus acceptum refert, memoria singulari solemnitate celebretur, petimus etiam a rmo magistro ordinis, ut octavam solemnem ipsius festi pro toto ordine impetrare studeat.

5. Quin etiam, ut reverentiam piumque cultum testemur erga s. Augustinum, cuius non modo profitemur regulam, verum etiam angelici eiusdem praeceptoris nostri ductu atque exemplo fideliter doctrinam sequimur, quemque propterea tamquam parentem et magistrum ordo suspicit, committimus quoque eidem rmo magistro ordinis, ut eius item festi solemnem octavam pro toto ordine constituendam curet.

Concessiones.

1. Concedit rmus p. magister ordinis omnibus adm. rr. pp. provincialibus et diffinitoribus praesentis capituli, ut possit quilibet eorum unum ex fratribus suae provinciae ad gravioris culpae poenas ante celebrationem huius capituli damnatum ad omnes gratias ordinis restituere, dummodo post correctionem resipiscentiae atque emendationis signa exhibuerit.

2. Omnibus vero et singulis fratribus ac sororibus ordinis idem rmus concedit, ut semel aliquem ex ordine nostro approbatum confessarium sibi deligere possint, qui eos in actuali sacramenti poenitentiae administratione ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum publicationem quomodolibet contractis absolvere valeat, a quibus ipsemet rmus magister ordinis absolvere posset, si sua apud eum peccata sacramenti poenitentiae causa confiterentur.

3. Concedit rmus magister ordinis una cum rmo diffinitorio, ut in singulis capitulis provinciarum suffragia in actis constituantur pro rev. adm. p. magistro fr. Vincentio Maria Ferretti, iamdudum procuratore generali ordinis, qui bis vicarii generalis munere functus ordinem prudenter feliciterque administravit.

Pro provincia Hispaniae.

1. Acceptamus studium generale conventus nostri Incarnationis Castri Iulii, ut iam acceptatum fuerat a rmis pp. magistris ordinis fr. Thoma Ripoll et fr. Antonino Bremond, illudque in universitatem erectum cum omnibus iuribus et privilegiis, quae aliis provinciae Hispaniae universitatibus conveniunt, declaramus.

2. Consuetudinem, quae in aliquibus gravioribus coenobiis viget, ut iuvenes recipiantur ad habitum, quin prior provincialis consulatur, minime revocare intelligimus per ordinationem, quae supra num. 3. pro bono regimine de recipiendis posita est, dummodo cetera, quae in eadem ordinatione praescripta sunt, diligenter sancteque serventur.

3. Ordinamus, ut non solum conventuum, in quibus studia vigent, sed etiam illorum, qui in urbibus reperiuntur, ubi sunt episcopi, ii dumtaxat eligi et confirmari possint in priores, qui aut gradu praesentaturae vel magisterii iam ornati sunt aut per tempus a legibus definitum theologiam cum laude docuerint. Hanc vero ordinationem pro provinciis quoque Aragoniae et Baeticae latam esse roburque habere volumus.

4. Committimus adm. rev. p. priori provinciali, ut, si qua ad feliciorem provinciae statum utilia existimaverit, ea curet, ut in actis proximi capituli provincialis magistro ordinis proponantur, qui pro sua prudentia decernet, quod opportunius iudicaverit.

Pro provincia Tholosana.

1. Ordinamus, ut in conventu Lemovicensi, in quo philosophiae et theologiae studium pro secularibus dumtaxat viget, ii tantum eligantur et confirmentur in priores, qui theologiam cum laude tradiderint.

2. Ut petitioni precibusque provinciarum tum Tholosanae tum Occitaniae satisfaciamus, committimus plene arbitrio et aequitati rm̃i magistri ordinis, ut de iis, quae acta sunt circa monasterium Pruliani Condomiensis atque de iuribus utriusque provinciae in ipsum monasterium, cognoscat et ultimo definiat.

3. Reverenter praeterea committimus eidem rm̃o magistro ordinis, ut institutum iamdiu processum beatificationis ven. matris Agnetis de Langeac promovere dignetur.

Pro congregatione Franciae.

1. Concedimus provinciae Franciae quemadmodum et aliis provinciis Galliarum, ut in conventibus, in quibus studia vigent, possint etiam eligi et confirmari in priores, qui doctoratus laurea in aliqua universitate merito donati fuerint.

2. Committimus rm̃o p. magistro ordinis, ut commodiorem coenobiorum Franciae et Parisiensis provinciarum distributionem procurare dignetur, quo facilius possint priores provinciales utriusque provinciae et coenobia visitare et regularem observantiam promovere.

3. Rursus etiam committimus eidem rm̃o, ut postulet a sancta sede, ut in omnibus provinciae Franciae coenobiis feria sexta post Cineres liceat celebrare festum Quinque Plagarum Domini nostri Iesu Christi, itemque in monasterio monialium s. Ludovici de Pissiaco sub ritu duplici festum s. Anataliae virginis et martyris, cuius sacrum corpus in eodem monasterio asservatur.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Ut studia theologiae ab huius provinciae alumnis, ut par est, colantur, ordinamus, ne posthac aliquis inter studentes formales admittatur, nisi prius per tres annos theologiae studuerit, neve studium formale absolvisse intelligatur, nisi rursus per alios tres annos theologiae operam dederit, salva semper in omnibus auctoritate magistri ordinis.

2. Cum ob amplitudinem provinciae plura loca valde dissita sint a conventu Bononiensi, quo fit, ut valde incommodum sit illud adire singulis, qui examina ad confessiones excipiendas ponere debent, rogamus rm̃um magistrum ordinis, ut, si ipsi id expedire visum fuerit, aliquot coenobia ex principalioribus designet, in quibus fratres ad remotiores partes provinciae pertinentes eiusmodi examini subiici possint.

3. Recto ordini studiorum tranquillitatique coenobii Bononiensis consulere cupientes, rursus rogamus rm̃um magistrum ordinis, ut de nu-

mero moderatorum eiusdem studii id constituat, quod opportunius commodiusque censuerit.

4. Acceptamus peculiari amoris significatione literas rmi vicarii generalis ordinis, quibus rev. p. lect. fr. Iosepho Mariae Ruggieri concessit, ut omnes, quos in variis muneribus hactenus insumpsit, labores operaque in officio syndici revmo magistro ordinis praestita ei ita suffragentur, ac si per decennium officio magistri novitiorum simplicium functus fuisset.

Pro provincia Romana.

Committimus rmo p. magistro ordinis, ut pro causis beatificationis cultusque ab immemorabili servorum Dei Ioannis Salernitani, Villanae Botti et Clarae Gambacurti apud sanctam sedem agat. Hanc autem a nobis magistro ordinis delatam curam ita dixit rmus se accipere, ut acta ad has causas pertinentia ad ipsum a provincia transmittantur.

Pro provincia Regni.

Ut studiorum incrementum, quemadmodum muneris nostri est, promoveamus, statuimus, ut lectores theologiae ita scholasticam theologiam doceant, ut et positivam tradant. Atque ut appareat, quantum unusquisque studentium profecerit, praecipimus, ut hi singulis annis examini subiiciantur.

Pro provincia Hungariae.

Exempla sectantes capitulorum generalium Bononiae annis 1725 et 1748 celebratorum, praecipimus huius provinciae lectoribus, ut breviter expeditis scholasticis quaestionibus, in eas praesertim incumbant, quae ad fidei controversias atque ad celebriores theologiae positivae historiaeque ecclesiasticae ac sacrae scripturae locos pertinent, ut, quoniam inter haereticos saepe versantur, studentes ea calleant, quae ad hos refellendos confirmandosque catholicos potissimum usui sunt.

Pro provincia Teutoniae.

Concedimus huic provinciae postulanti, ut eiusdem novitiatus, qui in duos Coloniensem nempe et Trevirensem divisus fuerat, ad pristinum reducatur statum atque unus dumtaxat sit in conventu Coloniensi.

Pro provincia Poloniae.

1. Quia fama est, in archivo conventus Cracoviensis plura reperiri monumenta, quae ad historiam non solum provinciae, sed et totius ordinis pertinent, nec exigua affulget spes, aliqua inveniendi, quae ad detegenda corpora martyrum Sandomiriensium conducere possint, rogamus rmum magistrum ordinis, ut viros idoneos deligat suaque auctoritate muniat, qui praedictum archivum adeant, evolvant indicemque eorum, quae huiusmodi investigationi utilia esse possunt, conficiant et ad magistrum ordinis transmittant.

2. Committimus rmo magistro ordinis, ut de iure conventuum Cracoviensis et Premisliensis in praedium seu contratam, ut vocant, pro sua iustitia cognoscat aliasque controversias, quae inter utrumque conventum aguntur, componat.

Pro provincia Aragoniae.

1. Acceptamus in studium formale conventum s. Luciae virginis et martyris de Alcañiz illumque iuribus et privilegiis, quibus cetera formalia eiusdem provinciae studia fruuntur, ornamus.

2. Cum sorores de poenitentia, quae in domo s. Rosae Caesaraugustanae agunt, collegialiter magnaque opinione virtutis vivant, eas ad beneficia ordinis libenter admittimus.

3. Deligimus pro archivo provinciae ad normam ord. 4. huius capituli collegium nostrum Dertusense ss. Georgii et Dominici, quod, cum in medio fere provinciae loco positum sit, aptissimum ad id existimamus. Volumus autem, ut in proxime habendo capitulo provinciali illa a provincia in actis proponantur, quae ad tutamen custodiamque huiusmodi archivi commodiora videbuntur, eaque subiiciantur iudicio magistri ordinis, qui auctoritate sua constituet, quod optimum iudicaverit.

4. Concedimus lectoribus, qui cathedram philosophiae regiae universitatis Cervariensis moderantur, ut anni, per quos ultra consuetum triennium in eadem universitate philosophiam docuerint, ipsis, tamquam si per eosdem theologiam tradidissent, suffragentur, dummodo singulis trienniis per testimoniales literas cum a domino universitatis cancellario tum a cathedratico theologiae ordinis nostri subscriptas manifestum fiat, eos iniuncto munere egregie functos fuisse.

5. Ut regulari observantiae divinique cultus studio prospiciamus, ordinamus, ut lectores theologiae, postquam per quindecim annos docuerint, quibus, ne inaudito lectoris iubilati titulo utantur, omnino interdicimus, nullis aliis gaudeant a sequela chori exemptionibus nisi iis, quae legibus nostris rite constitutae sunt. Ceteras vero, si quas usurpaverint, veluti pravas consuetudines reiicimus et abolemus.

6. Postulamus in praedicatorem generalem pro primo loco vacaturo atque pro rata filiorum regni Aragoniae rev. p. fr. Iosephum Boneo, qui eximio salutis hominum studio continenter per plures annos praedicationi verbi Dei sive missionibus dedit operam.

7. Cum ob causas nobis expositas domus collegii Barcinonensis ss. Raymundi et Vincentii Ferrerii in alium locum sit transferenda, convenientes vero ei non suppetant facultates ad novum aedificium excitandum perficiendumque, committimus rmo magistro ordinis, ut, si id opportunum existimaverit, praecipiat, ut a conventu s. Iacobi de Pallas sive de Tremp certum subsidium quotannis subministretur, quo tam utile opus

absolvi possit. Pecuniae autem summam numerumque annorum, per quos eiusmodi subsidium persolvendum sit, arbitrio et prudentia magistri ordinis relinquimus definiendum.

Pro provincia Bohemiae.

1. Ad postulationem provinciae concedimus, ut tempus, per quod studentes theologiae dent operam, rursus ad quadriennium reducatur, ita tamen, ut, expleto theologiae studio, teneantur iuvenes per alios duos annos ius canonicum in coenobio ad hoc deputando audire. Hanc vero concessionem tum primum obtinere volumus, cum conventus, in quo eiusmodi studium constituendum est, magistro ordinis a provincia indicatus atque ab ipso designatus fuerit.

2. Ut utilissima studia cum iuris canonici tum linguarum graecae et hebraicae excitemus et foveamus, concedimus harum disciplinarum professoribus, ut anni, quos in illis tradendis cum laude insumpserint, si magistro ordinis placuerit, ita ab ipso, ac si illi per eosdem annos theologiam docuissent, acceptentur.

Pro provincia Provinciae.

1. Cum iuxta leges nostras fratres in locis, ubi coenobia nostra sunt, in coenobio omnino pernoctare debeant, ut tam salutaria decreta in hac provincia vigeant, illa vehementer in omnium memoriam reducimus praecipimusque, ne fratres etiam iter agentes, nisi improviso casu id acciderit, extra claustra noctu commorari audeant. Qui autem huic ordinationi non paruerint, eos poenis iam latis necnon aliis magistri ordinis arbitrio decernendis subiicimus.

2. Quod supra pro toto ordine de postulationibus ad gradus ineundis sancitum est, pro hac provincia peculiari etiam ratione statutum volumus, ordinamusque sub nullitate etiam postulationum, ne quis postuletur ad gradus, nisi ex speciali dispensatione magistri ordinis, qui munera ad eiusmodi gradus consequendos praescripta non obierit.

3. Lectores theologiae, quo nomine etiam regentes complectimur, volumus, ut theologicos cursus ad festum usque s. Mariae Magdalenae protrahant; praecipimusque, ne ab studio Aquensi recedant, nisi peracto examine studentium cum philosophiae tum theologiae.

4. Ne graduum aut officiorum confusio fiat, utque praemia convenienter distribuantur, volumus, ut deinceps, si cui praedicatori generali placeat ad baccalaureatum postulari, detur ei inter baccalaureatum et praedicaturam generalem optio ita, ut, si unum ex duobus admittat, altero careat, nisi specialis dispensatio magistri ordinis intercedat.

Pro provincia Trincariae.

Committimus rm̃o magistro ordinis, ut causae canonizationis b. Ioannis Liccii, cuius ope tot miracula feruntur patrata, apud sanctam sedem

ita faveat, ut feliciter quantocius ad finem perducatur. Pari etiam ratione eius curae commendamus causam beatificationis servi Dei Petri Hieremiae.

Pro provincia Baeticae.

1. Committimus rmo magistro ordinis, ut, quae in postremo capitulo generali Bononiensi de philosophia a lectoribus per sexennium tradenda constituta fuerant, ea pro sua prudentia consideret atque, si quid in hoc ei visum fuerit immutandum, in confirmatione actorum proximi capituli provincialis definiat.

2. Quamvis nullum esse possit dubium, in potestate prioris provincialis positum esse, unumquemque illorum, qui ei subsunt, iuxta leges ordinis conventui, cui placuerit, intra fines propriae provinciae assignare, tamen ordinamus nihilominus et praecipimus, ut nemo sub colore lecturae iam expletae gradusve praesentaturae aut etiam magisterii in s. theologia ius causamve habere se putet, quominus eiusmodi assignationibus omnino parere teneatur.

3. Cum alius sit provinciae vicarius iure ipso, mortuo vel amoto priore provinciali, definitus, alius vero, qui a priore provinciali, dum abfuturus est, provinciae praeficitur, iuxta declarationem text. 2. sub lit. d. cap. VII. dist. II. constitutionum nostrarum, volumus et decernimus, ut liberum sit priori provinciali abeunti provinciae vicarium, quem maluerit, instituere, quousque ius aliquod peculiare aut privilegium exhibeatur, quo haec propria priorum provincialium facultas circumscribatur.

4. Magisterium s. theologiae, uti a rmo vicario generali ordinis rev. p. praesentato fr. Vincentio Gomez est collatum, acceptamus.

Pro provincia Germaniae inferioris.

Probantes petitionem institutam pro conventu Montensi, quam singulari voluptate excepimus, ordinamus, ut rem vestiariam, sicut conventus Braniensis, communem habeat, idque exemplum ceteris coenobiis ad imitandum proponimus.

Pro provincia Apuliae.

Confirmamus ord. 9. capituli Bononiensis anno 1706 habiti, quae de lectoribus est seminariorum, eamque ita huc reducimus, ac si de verbo ad verbum transcripta esset.

Pro provincia Calabriae.

1. Quascumque ordinationes a rmis magistris ordinis et a capitulis generalibus latas pro severiori observantia studiisque colendis in conventu s. p. n. Dominici in Suriano confirmamus, valdeque optamus, ut in loco, ubi ssmo patriarchae nostro peculiaris cultus adhibetur, eximiarum etiam illius virtutum singularis vigeat imitatio.

2. In civitate Balnearen., in qua coenobii nostri priori ius ordinarii convenit, praecipimus ac sub poena ipso facto incurrenda privationis vocis

activae et passivae et inhabilitatis ad quaelibet ordinis munera prohibemus, ne quis sive supprior sive alio quovis nomine praesidens coenobii, vacante prioratu, aliquem laicum ad habitum clericalem recipere aut litteras dimissoriales pro quovis ordine suscipiendo expedire audeat, atque eiusmodi facultatem soli priori aut vicario in capite a magistro ordinis immediate instituto dumtaxat et privative competere, neque eam ab ipsis alteri delegari posse, volumus ac declaramus.

Pro provincia s. Crucis Indiarum.

1. Committimus rm̃o magistro ordinis, ut pro hac provincia non secus ac pro aliis Indiarum ea procuret et constituat, quae ad earum publicam utilitatem felicitatemque magis conducere existimaverit.

2. Acceptamus magisterium in s. theologia a rm̃o p. vicario generali ordinis rev. p. praesentato fr. Ioanni Chacon collatum eo prorsus modo, quo collatum est; parique ratione praesentaturam ab eodem rm̃o vicario generali r. p. lect. fr. Michaeli Cardenas concessam admittimus.

Pro provincia Hiberniae.

1. Non solum commendamus, sed etiam praecipimus omnibus et singulis huius provinciae alumnis, ut memores instituti, quod amplexi sunt, aeternamque salutem popularium suorum prae oculis habentes, diligentem dent missionibus operam nec terrenarum rerum specie allecti praecipuum muneris sui officium obire recusent.

2. Concedimus provinciae petenti, ut procuratorem provinciae filium, qui in curia Matritensi degat, instituere possit, ea tamen conditione, ut prius certi ei redditus constituantur, qui pro convenienti victu et vestitu ipsi sufficiant.

Pro provincia s. Iacobi de Mexico.

1. Admonemus plurimumque hortamur praesides cum provinciae tum coenobiorum, ut, quae pro observantia regulari bonoque regimine ad communem ordinis salutem decreta sunt, ea veluti peculiariter pro hac provincia constituta accipiant opereque perfici curent; inter quae illud praecipue, quod est de depositis fratrum, eorum conscientiam in diem Domini onerantes, rite diligenterque ut servetur, praecipimus.

2. Praeterea magisterium s. theologiae, ut a rm̃o p. vicario generali ordinis collatum est rev. p. praesentato fr. Nicolao Troncoso, eiusdem provinciae procuratori, acceptamus.

Pro provincia s. Ioannis Baptistae de Perù.

1. Cum plura sint pro hac provincia constituenda, ex quibus ipsius salus et dignitas pendere videtur, committimus rm̃o magistro ordinis, ut, quae ad illa firmanda ampliandaque utiliora et aptiora arbitrabitur, pro sua prudentia decernat.

2. Acceptamus magisteria, praesentaturas et praedicaturas generales a rmo vicario generali ordinis tempore suae administrationis collatas.

3. Litteras etiam ipsius rmi vicarii generalis, quibus p. mag. fr. Iosepho de Leyba praedictae provinciae procuratori indulsit iura et privilegia, loco dempto, quibus illi fruuntur, qui eiusdem provinciae fuere priores provinciales, admittimus.

Pro provincia Occitaniae.

1. Commemoramus hic dumtaxat commissionem iam rmo p. magistro ordinis superius, cum de Tholosana provincia ageremus, factam de dirimenda finiendaque controversia inter utramque provinciam, ad monasterium Pruliani Condomiensis quod attinet. Quam commissionem hoc loco ita repetimus, ac si totidem verbis hic esset descripta.

2. Quod vero pertinet ad domum novitiorum erigendam in conventu Cadurcensi, quemadmodum in postremo provinciali capitulo provincia postulaverat, id etiam totum arbitrio et iudicio magistri ordinis relinquimus.

Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

Convenienti institutioni atque delectui fratrum conversorum consulere cupientes, ad petitionem huius provinciae praecipimus, ut, dum illi tertiarios agunt, singulis annis a prioribus conventuum, in quibus degunt, eorum mores fideliter exponantur consilio patrum conventus, ad quem pertinent, ut, inito de iis ab iisdem patribus a consiliis iudicio pro meritis aut retineri aut eiici possint.

Pro provincia Nexsciovanensi in Armenia.

1. Quaecumque a postremo capitulo generali Bononiensi pro hac provincia sancita sunt, confirmantes ordinamus, ut pecuniae quomodolibet per religiosos acquisitae nonnisi in communi vel conventuum vel provinciae deposito conservari et ratione ibidem praescripta distribui possint.

2. Hortamur cum p. priorem provincialem tum ceteros huius provinciae viros, ut iuvenibus literis moribusque informandis diligentem dent operam; quosque ad studia missionesque idoneos futuros praeviderint, si nomen ordini dare desiderent, servatis ceteris in eodem capitulo constitutis, recipiant reverendissimumque magistrum ordinis certiorem faciant, ut coenobia, prout ipsi opportunum videbitur, ad tyrocinium ponendum colendaque studia illis designet.

Pro provincia ss. Rosarii Philippinarum.

1. Maiori, quo possumus, studio commendamus rr. adm. pp. prioribus provincialibus, ut nihil curae, diligentiae operaeque praetermittant, quod ad incrementum optimumque statum conducere valeat missionum,

quae cum in insulis tum in imperio Sinarum regnoque Tunquini alumnis ordinis nostri sunt attributae, ut Christi nomen fidesque, pro quibus plures ex nostris tot ibi sustinuerunt labores sanguinemque fuderunt, in iisdem regionibus latius in dies propagetur.

2. Cum benignitate et munificentia serenissimi catholici regis Hispaniarum nobis concredita sit cura collegii s. Ioannis Lateranensis in civitate Manilensi atque institutio iuvenum Sinensium Tunquinensiumque, qui ibi ea de causa regiis expensis aluntur, ut adiutores sint nostrorum hominum in fide Christi praedicanda, iniungimus et praecipimus provinciae praesidibus pro tempore, ut commemoratos alumnos ita literis et moribus institui curent, ut pio serenissimi regis desiderio atque expectationi respondentes dignos se verbi Dei ministros exhibeant.

Pro provincia s. Hippolyti Martyris de Oaxaca.

Acceptamus magisterium s. theologiae, quod rm̃us p. vicarius generalis ordinis r. p. praesentato fr. Iacobo Mañalich contulit, ea ratione qua collatum est.

Pro provincia s. Petri Martyris.

Ut meritorum laborumque eorum, qui ad gradus examen sint subituri, accurata ratio haberi possit, ordinamus, ut deinceps, qui huiusmodi examini subesse voluerint, secum adferre teneantur litteras testimoniales cum prioris provincialis tum patrum a consiliis coenobiorum, in quibus docuerunt.

Pro provincia Aprutina.

Rogamus rm̃um magistrum ordinis, ut pro scholastica collatione habenda in studio generali s. Mariae ab Arcu eam horam definiat, quae ipsi opportunior magisque accommodata ad studentium utilitatem rectumque aliarum exercitationum ordinem videbitur.

Pro provincia Russiae.

1. Quod a rm̃o piae memoriae magistro ordinis p. fr. Antonino Bremond tranquillitati provinciae consulente statutum fuit, ut nimirum duo filii eiusdem conventus sibi in prioris provincialis munere non succedant, confirmamus.

2. Ratam etiam habemus aliam ordinationem ab eodem rm̃o magistro ordinis p. fr. Antonino Bremond latam, qua concessum est, ut quilibet lector, qui, postquam per tempus praescriptum philosophiam docuerit, saltem duos annos in schola theologiam tradiderit ac deinde in conventu Leopoliensi maiori vel in monte ss. Rosarii vel in coenobio Novogrodensi aut Minscensi aut Camenecensi per quadriennium conciones habuerit, aptus sit, ut ad gradum praesentaturae postuletur, dummodo tamen non uno eodemque tempore utrumque lectoris et praedicatoris munus gesserit, et eius labores in praedicatione consumpti a provincia

probati fuerint. Si vero quis, postquam adeptus est praesentaturae gradum, in conventu maiori Leopoliensi per sexennium aut in aliis commemoratis conventibus per octennium cum laude hominumque utilitate verbum Dei praedicaverit, rursusque eius labores provincia probaverit, ad magisterium titulo praedicationis possit postulari.

3. Ordinationem a rm̄o olim magistro ordinis p. fr. Thoma Ripoll die 25. martii anno 1730 editam confirmantes, constituimus, ut deinceps huius provinciae capitulum provinciale ad diem 8. septembris celebretur, quin obstet capituli generalis Bononiensis anno 1725 habiti decretum, quo pro celebrando huiusmodi capitulo dies purificationis b. M. Virginis fuerat definita.

4. Libenter probamus et acceptamus novum locum in collegio S. Thomae de Urbe pia liberalitate illm̄i domini Iosephi Wilezynski pro filiis conventus Montis ss. Rosarii erectum et iam a praelaudato rm̄o magistro ordinis Bremond probatum et acceptatum.

Pro provincia Lithuaniae.

1. Confirmamus singula, quae pro utilitate et decore huius provinciae a capitulo generali Bononiae anno 1748 habito decreta sunt.

2. Praeterea ut fraudes vitentur serveturque conveniens inter studia ordo, statuimus, ut, qui in aliquo studio generali examini subiectus reiectus fuerit, in alio studio generali ad examen subeundum non admittatur, nisi rm̄i magistri ordinis dispensatio intercedat.

3. Ne lectores, qui semel hoc titulo ornati sunt, otio torpescant, praecipimus, ut, qui actu non legunt, nisi legitime a magistro ordinis dispensati fuerint, omnibus scholasticis exercitationibus sive privatis sive publicis intersint. Qui autem huic tam salubri decreto non paruerint, eos ad ulteriora scholae munera provehi prohibemus.

4. Quae pro studiis disponenda sunt, ea fieri alternatim volumus in studiis generalibus Vilnensi et Grodnensi, hisque consiliis regens illius conventus intersit, in quo eiusmodi studiorum negotia pertractantur.

5. Committimus rm̄o magistro ordinis, ut pro sua prudentia et aequitate controversiam, quae de conventu Verkoviensi inter hanc provinciam et congregationem s. Ludovici Bertrandi versatur, prorsus dirimat et absolvat.

Pro provincia Canariarum.

Acceptamus magisterium s. theologiae, ut a rm̄o p. vicario generali ordinis r. p. ex-regenti fr. Hieronymo de Paz huius capituli diffinitori ad petitionem provinciae collatum est, parique ratione praesentaturam titulo lectionis r. p. fr. Antonio del Rio concessam admittimus.

Pro provincia s. Ludovici Regis.

1. Quandoquidem in constitutionibus nostris dist. II. cap. VIII. text. 8. praescribitur, ut provinciales quoque absoluti locum in provinciis, in quibus praefuerunt, supra omnes alios ubique habeant, ad petitionem huius provinciae concedimus, ut deinceps eiusdem priores provinciales, expleto officio, locum a legibus nostris definitum ubique obtineant.

2. Ius acceptandi pro missionibus ad easque mittendi fratres quarumcumque Galliae provinciarum, quod ius provinciis Tolosanae et s. Ludovici Regis hactenus fuit, decretisque etiam christianissimi regis et firmatum, salvum integrumque esse volumus. Iniungimus tamen prioribus provincialibus pro tempore harum provinciarum, ut eos viros deligant ad id muneris, quos doctrina probisque moribus ad illud idoneos esse appareat, ipsosque hortamur, ut ea prudentia eiusmodi privilegio utantur, ne fratribus, praetextu vocationis ad missiones, vagandi regularemque disciplinam deferendi occasio ulla praebeatur.

Pro congregationibus universim.

1. Confirmamus denuo, quod alias ordinatum et a capitulo Bononiensi anno 1748 habito confirmatum fuit, ut congregationes, quae non sunt a sancta sede erectae aut confirmatae, sed sola dumtaxat ordinis auctoritate institutae, si a pristino regularis observantiae studio et cultu recesserint, supprimantur atque ad suas respective provincias redigantur.

2. Ordinamus et praecipimus omnibus et singulis vicariis generalibus et praesidibus congregationum, in quibus mos est celebrandi diaetas, ut diaetarum acta sub poena nullitatis ipsorum ad magistrum ordinis, ut iuris est, pro iudicio et confirmatione mittant.

Pro congregatione Ragusina.

Praecipimus, petente congregatione, omnibus et singulis fratribus clericis ad illam pertinentibus, qui ab eadem absunt, ut, elapso anno a publicatione horum actorum, ad congregationem sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrenda omnino redeant, nisi specialem dispensationem a rmo magistro ordinis obtinuerint. Excipimus tamen ab hac ordinatione eos, qui in aliquo coenobio studiorum causa commorantur, quos eidem legi poenaeque subiectos esse volumus, si, absolutis studiis, intra sex menses se ad congregationem minime receperint, salva rursus cum his dispensandi auctoritate rmi patris magistri ordinis.

Pro congregatione Orientis.

Committimus rmo magistro ordinis, ut, si pro sua prudentia bene ipsi visum fuerit, concedat, quoad ipsum attinet, huic congregationi, ut census in Italia cum minori foenore ineat, quo census iam in Oriente graviori foenore contractos, quibus premitur, redimere possit.

Pro congregatione Sanitatis.

Singulari curae et studio rmi magistri ordinis committimus causam beatificationis ven. servi Dei Ioannis Leonardi de Fusco, ut, quae tamdiu variis difficultatibus impedita fuit, tandem eius officiis et diligentia expediatur.

Pro congregatione s. Marci de Gavottis.

Postulamus a rmo magistro ordinis, ut pro studio collegii s. Thomae Aquinatis Pedemontis illa decernat, quae ad eiusmodi studium bene utiliterque constituendum aptiora esse arbitrabitur.

Pro congregatione ss. Sacramenti et Alsatiae.

Rogamus rmum magistrum ordinis, ut quaecumque ad regularem observantiam in his congregationibus conservandam, firmandam atque augendam itemque ad studiorum cultum et incrementum utilia atque opportuna iudicaverit, ea peculiaribus ordinationibus pro prudentia et auctoritate sua constituat.

Pro Congregatione s. Sabinae.

1. Accuratissimam vitae communis legumque ordinis observantiam, quae in hac congregatione viget, vehementer probantes, vicario generali pro tempore singulisque coenobiorum praesidibus graviter imprimis iniungimus, ut eam nullo modo remitti patiantur, sed diligentissime conservandam, tuendam atque, ubi locus sit, augendam curent.

2. Ad eos quod attinet, qui vicarii generalis congregationis munere perfuncti aut sunt aut deinceps fuerint, ordinamus, ut eum locum teneant, quem hactenus ex-vicarii generales praedictae congregationis tenere consueverunt, neque hanc laude dignam consuetudinem ab ullo immutari aut violari volumus.

3. Acceptamus studium formale congregationis iam a rmo pie defuncto magistro ordinis p. fr. Antonino Bremond erectum in coenobio s. Petri Martyris Cesenae, eique omnia iura et privilegia attributa confirmamus, ea tamen exceptione iam a praelaudato rmo facta, ut ius examinandi studentes ad lectoris munus studio dumtaxat Ferrariensi privative conveniat.

4. Rmo magistro ordinis demisse committimus, ut providam adhibeat curam, quo processus in variis locis incoepti pro causa beatificationis et canonizationis servi Dei p. Ludovici Mariae Calchi quam celeriter perficiantur.

Pro congregatione b. Ceslai Silesiae.

Prudentiae et arbitrio rmi magistri ordinis committimus, ut, quae ipsi opportuna videbuntur pro recte constituendis, tum quae ad regularem disciplinam tum quae ad studia pertinent huius congregationis, decernat et praecipiat.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo d. n. Benedicto pp. XIV. et pro felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro augustissimo imperatore electo Francisco I. eiusque augustissima coniuge ac serenissima prole q. s. u. m.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XV. ac serenissima coniuge regiaque prole q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Ferdinando VI. ac serenissima coniuge q. s. u. m.

Pro fidelissimo Lusitaniae rege Iosepho I. eiusque serenissima coniuge ac regia prole q. s. u. m.

Pro em̃o ac rm̃o d. cardinali Nereo Corsini, protectore ordinis nostri, q. s. u. m.

Pro universo sacro collegio ee. ac rr. dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro bono totius ordinis eiusque capite rm̃o p. magistro generali ac sociis assistentibus et collaborantibus q. s. u. m.

Pro pace totius orbis christiani q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis litaniae omnium sanctorum, conversis vero tertia pars ss. rosarii imponitur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus em̃orum et rm̃orum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro adsumptorum, qui perpetuam eleemosynam capitulis nostris generalibus ex testamento legarunt, q. s. u. m.

Pro anima em̃i ac rm̃i d. cardinalis Casanate q. s. u. m.

Pro anima rm̃i p. fr. Antonini Bremond, ordinis nostri generalis magistri, q. s. u. m.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri post ultimum generale capitulum defunctorum q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis vero tertia pars ss. rosarii imponitur.

Damus rm̃o p. magistro generali omnem prorsus auctoritatem nostram circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare valeat, quae declaranda videbuntur; iustis de causis dispensare ac denique omnia facere, quae nos ipsi et capitulum facere posset.

Denique universis et singulis provinciarum et congregationum seu vicariatuum praesidentibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae necnon sub formali praecepto mandamus, ut haec acta, cum primum ad eorum manus pervenerint, iubeant publicari, eorumque observationem urgeant; volentes, ut exemplaribus rm̃i magistri ordinis manu subscriptis

et sigillo munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Ioannes Thomas de Boxadors
magister ordinis.

Loco † sigilli.

Fr. Emericus Langenwalter, provincialis Daciae, magister et socius.

Fr. Ioannes Brito, magister, provincialis Baeticae et prosocius.

Fr. Nicolaus Barbier, s. th. professor, provincialis s. Ludovici Regis et prosocius.

Elogia nonnullorum fratrum et sororum ordinis, virtutis opinione illustrium.

Protestatio.

Apostolicae sedis decretis obsequuti, monitos lectores volumus, nihil nos his elogiis comprehendisse, cui sit fides habenda maior ea, quae haberi solet privatae auctoritati historicorum.

In provincia Tolosana.

1. P. fr. Petrus Paulius, praefectus in America missionibus Gallorum dominicanorum, existimatione laudeque virtutis claruit illustri. Aquis Sextiis in Gallia III. id. April. an. 1642 honestissimis vereque christianis parentibus natus, quum in humanioribus litteris inque pietatis erga Deum cultu haud mediocres progressus fecisset, anno quinto ac decimo aetatis in societatem venit Tolosatium dominicanorum. Post factis votis fideque sua iuris iurandi religione Deo ordinique obstricta, inde absoluto cursu studiorum theologicorum sacerdotioque demum suscepto, diligentem operam curandae saluti animarum dedit. In Martinicam insulam ab Antonino Monroyo, ordinis magistro, missus, ardenti in Deum hominesque amore studioque confirmandae propagandaeque catholicae religionis singulari fuit. Cuius rei causa dici vix potest, quot quamque graves labores atque incommoda perpessus sit. Quare magno ab omnibus in honore est habitus. A nefario homine in ius vocatus actusque reus maximi sceleris, animo adeo demisso adeoque patienti calumniam tulit, ut iis, qui in iudicio aderant incolisque ceteris moverit admirationem. In Galliam reversus coenobio s. Maximini praefectus est. Quam praefecturam ita gessit, ut praeclara in pauperes misericordiae, caritatis, religionis animique demisse abiecteque de se sentientis dederit exempla. Hac deincepsque Montalbanensi egregie perfunctus, cum opus in s. Dominici insula sacrorum ministris esse intellexisset, eo, accepta a superioribus ve-

nia, contendit. Ubi cum multum laboris convertendis ad sanitatem improbis hominibus impendisset, praesidem provinciae Carthagenam, arma in Britannos illaturum proficiscentem sequutus, in hostium venit potestatem. Pace inter Gallos Britannosque facta, in insulam revertit. Sed quoniam magna se in celebritate versari videbat, intelligebatque esse aliquos, qui prodigia eius precibus divinitus fuisse patrata dicerent, illinc se subduxit navigavitque in Galliam. Quo cum pervenisset multaque porro coenobia magna virtute, religione, providentia rexisset, ad s. Maximini se contulit. Quo in oppido incredibili civium fructu degenti litterae e Martinica allatae sunt, quibus paucitatem esse miram sacerdotum in insula significabatur. Hoc nuntio accepto, petiit a priore provinciae, ut eo sibi redire liceret. Statim atque efferri in vulgus coepit, Petrum Paulium rursum in Americam iter parare, viri mulieresque ad oppidi portas concurrerunt, iisque occlusis, ne egredi posset, impedierunt. Id ille divino consilio factum ratus, non gravate tulit. Sed quum pestem late in proximis locis grassari animadvertisset, iis inservire constituit, qui tam dira morbi lue conflictarentur. Verum a sententia superiorum praecepto deterritus, post multos magnosque labores, quos in militum moribus recte instituendis triverat, superatos, in aedes se denique recepit novitiorum. Paucis ante obitum annis cum captus oculis fuisset, septemque ipsos menses sese a re divina facienda abstinuisset, postremo in sacrarium descendit rogatusque ab aedituo, num restituta sibi videndi facultas esset, Christi id esse factum ope respondit, ab eoque tempore ad postremum usque morbum, qui diuturnus eique permolestus fuit, quaque die sacrum celebravit. Decessit XIII. kal. augusti an. 1727. Huius est vita gallice ab Antonio Touronio scripta in extremo quinto volumine « De viris illustribus ordinis praedicatorum ».

2. P. fr. Guillelmus Martellus anno 1638 antiqua honestissimaque gente Severaci in dioecesi Rutenensi ortus ac pie liberaliterque educatus; quum annum aetatis quintum ac decimum ageret, auctus divinitus facultate precandi singulari fuit. Adolescentulus in praedicatorum ordinem, Perousae in s. Dominici coenobio, cooptatus clarere continuo coepit virtutibus severitateque disciplinae. Ingenio cum esset praeditus splendido ac liberali, brevique plurimum in litteris, adhibito studio, profecisset, institutis concionibus populo christiano mirabiles praebuit utilitates. Nam uti se, non tam exercitatione eloquentiae, quam meditatione divinarum rerum fusisque ad Deum precibus comparavit, in patria primum tum in Altissiodorensi dioecesi aliisque in locis, patientia in adversis perferendis rebus, contemptu sui aliarumque virtutum exemplis, administrationi sacramentorum, consilio, sermonibus denique id est consequutus, ut ii, quos recte aut instituerat ipse aut ab aliis institutos repererat, in officio

manerent; ceteri vero, qui dediti voluptati improbitatique iamdiu fuerant, ad sanitatem frugemque reverterentur. Tolosam inde revocatus erudiendis rusticis operam diligentem atque salutarem dedit. Quo munere quum functus aliquamdiu fuisset, in morbum incidit. Hoc divina ope depulso confirmataque valetudine statuit, sese famulatui committere pestilenti lue correptorum. Nam contagio Massiliam inlata in universam pene provinciam invaserat manaveratque in Avenionensem comitatum; sed superiorum hortatu avocatus a suscepta cogitatione, in remotas regiones proficisci statuit, barbaris gentibus veram religionem demonstraturus. Cumque se ad id munus obeundum austeritate vitae novisque susceptis laboribus pararet, litteras a superioribus accepit, quibus iubebatur, ut statim atque nactus opportunum ad navigandum tempus esset, in Martinicam insulam proficisceretur. Igitur quam magnis itineribus potuit, Burdegalam contendit navimque conscendens, secunda usus tempestate, ante anni 1722 exitum insulae portum tenuit. In navi, quam orando nautasque docendo in templum pene converterat, quum cibo parcius etiam aliquando, quam in coenobio consueverat, uteretur, navarchi rogatu inductus modum abstinentiae frugalitatisque fecit. Ab Andrea Mane, qui vicaria nostris in insula potestate praeerat, paroeciis praefectus, ita rexit instituitque suos, ut captivi ipsi doctrina mysteriorum religionis pietateque cum optimis quibusque incolis certare viderentur. Quumque iis in locis diu multo successu laborasset, in aliam insulam cogitare coepit, in qua plures se barbarorum Christo conciliaturum confideret. Itaque accepta a superiore venia, captivis duobus comitatus iter est ingressus, annoque 1730 septembri mense Dominicam insulam attigit. In ea cum propter assiduos labores destitui se viribus sensisset, uniusque oculi iacturam fecisset alterumque magno esse in periculo cognosset, in Galliam redire cumque sociis, quod reliquum erat vitae, severiore disciplina ducere decrevit. Quare in Martinicam reversus, cum ad Trinitatis, quem vocant, pervenisset locum, roganti dominicano paroeciae praefecto, ut secum una manere vellet, resistendum non putavit. Mensibus quinque in administratione sacrorum consumtis, morbo correptus est, quem sibi ex chirurgo intellexit supremum fore. Quamobrem actis Deo O. M. gratiis susceptisque ecclesiae sacramentis annos natus 57, quorum 35 in apostolatus munere fungendo contriverat, VI. kal. sept. an. 1740 magna virtutis opinione relicta, summoque incolarum moerore diem obiit extremum. De huius itidem vita praestantissimisque rebus gestis actum a Touronio est in sexto « De Viris illustribus ordinis praedicatorum » volumine pag. 587 seqq.

In provincia Lombardiae.

1. P. fr. Iosephus Dominicus Ballettius Cremae, quae urbs est Lom-

bardiae Venetae, honestis parentibus natus, ob eximias virtutes multam civibus reliquit memoriam sui. Quam enim in Deum ab ineunte pueritia prae se tulit, eam continenti studio atque exercitatione maiorem in modum auxit pietatem. Nam puer, ubi magistro ludi studio grammatices rudimentorum satisfecerat, ad s. Petri Martyris accedens, aut rem divinam facientibus sacerdotibus ministrabat aut positis genibus b. Virginem, ut suo ipsum patrocinio tueri vellet, deprecabatur. Adolescens ordini adscriptus, quum magna erga Deum arderet caritate, quotidianis precibus, quae haberi a nostris in choro solent, minime contentus, coenobii praesidem rogavit, ut cubiculum templo contiguum, in quo fenestella patebat, unde ad aram maximam prospectus erat, sibi ad habitandum dare ne gravaretur. Ea re impetrata magnam temporis partem, quod somno traducendum erat, flexis genibus ac venerabundus ad locum versus, in quo Christi servabatur corpus, fundendis precibus impertiebatur. Pari ac in se ipsum amore in ceteros homines latus saluti eorum et commodis consulturus, orationes de religione recteque instituendis moribus habere, sontes poenitentiae sacris expiare, dolentes allocutione solari, egentiumque inopiam largitionibus adiutus ditiorum levare consueverat. Ad extremum, quum officio erga proximos satisfacturus exisset, gressuque concitatiore revertisset domum, instareque horarum recitandarum tempus animadvertisset, maluit statas preces cum sociis una habere, quam absterso sudore prospicere saluti suae. Itaque in febrim incidit acutam octavoque post die, qui dies XIII. kal. iun. fuit, sacris ecclesiae munitus, anno quarto atque quinquagesimo aetatis, qui Christi 1752 fuit, usurpans apostolicum dictum « cupio dissolvi et esse cum Christo », pleuritide morbo consumtus est. Postridie eius diei, cum illatum illius corpus in templum fuisset, magnus hominum omnium generum atque ordinum concursus est factus, aliis serta globulorum, quae rosaria vocant, ei applicantibus, aliis religionis ergo vestium lacinias decerpentibus. Sed quo tempore celebrari exequiae coeperunt, adeo populi multitudo vestium partes, frustra obnitentibus militibus, qui evocati custodiae causa fuerant abscindentis crevit, ut iam non concursus, sed irruptio in templum fieri videretur. Quare veriti nostri, ne, quod minime decebat, vestitu omni spoliaretur, seminudum corpus sepulcro citius, quam nostra postulent instituta, condiderunt.

2. Soror Dominica Audisia Burattia Entraque in Monteregaliensi dioecesi orta, anno aetatis quarto ac decimo Casalem, quae urbs est princeps Montis Ferrati, cum parentibus venit. Vix annum octavum ac decimum aetatis attigerat, cum in platea die quadam circulatores aliquos nugas agere spectans, incensaque studio tuendi honoris Dei, arrepta Christi servatoris cruci affixi imagine, pulpitum ascendit ac cyclicis inde extur-

batis coarguere adstantes coepit, qui frustra tempus, quod in contemplatione divinarum rerum insumendum esset, in nugis audiendis hominum otiosorum consumerent. Ab suis haud multo post rogata, ut uni alicui, qui ipsis placuisset, viro nuberet, malle se dixit cum iis una virginem manere domi. Parentibus vita functis, quidquid cepit haereditatis, in collegium contulit tertiariarum. Eius collegii constituendi causa, quod multis difficultatibus premeretur, saepe Taurinum ad regem profecta est. Quod tandem nutu auspiciisque regis constitutum ad exitum usque vitae singulari prudentiae rexit. Quum parce ac duriter ad annos duos ac septuaginta aetatem produxisset, editis multis patientis seque descipientis animi exemplis, diuturno morbo confecta interiit, inque templo dominicanorum sepulta est.

3. Anna Maria Varia Mutinensis, Mutinae in collegio tertii ordinis dominicanarum contemplatione cruciatuum mortisque servatoris Christi charitate innocentiaque morum singulari excellens, pridie idus octobris an. 1755 decessit.

4. Soror Maria Catharina Rosettia Foroliviensis, puellula adhuc cum esset, missis inanibus ludis, quibus ea aetas oblectari solet, tempus fundendis ad Deum precibus solitaria traducere consueverat. Annum agens aetatis nonum Pisis, qua in urbe cum parentibus diu manserat, in patriam venit, cumque virginibus ordinis ad s. Catharinae tradita in disciplinam fuisset, sancte iuravit, se virginem perpetuo futuram. Domum ingratiis revocata utilem imprimis operam rei familiari curandae dedit. Quo tempore nihil remisit de instituta vitae ratione. Continenter enim precibus contemplationique divinarum rerum instare, avere contemni sese, miseros convenire, adiuvare, propriis etiam interdum vestibus tegere, frequens ad nosocomia adire, maleque valentium, sanie abstersa, ulcera osculari solebat. Studiosior tamen salutis animarum erat. Nam puellas virtuti deditas confirmare, ignaras christianae religionis dogmatum docere, in honestatis periculum vocatas monere, atque si ortum ex egestate discrimen erat, liberalitate eripere studebat. Quare nonnullae illius hortatu monasticum institutum professae, perplures ad frugem correctae sunt. Sed cum rectam aliorum suscipere institutionem, tum maxime perficere curabat suam. Itaque corpus etiam subactura menti, cruciatibus ieiunia addebat, quae cum solveret, tantum cibi potusque capiebat, quantum vix satis esse vitae sustentandae posset. Parentibus vita functis, s. Dominici, quem sibi patronum adsciverat, ordinem amplexa est. Quo ex tempore quanta virtute praestiterit, testes sunt incolae locorum finitimorum. Demissis oculis incedere, effugere non familiaritatem modo, sed etiam colloquium exterorum, preces ad multam noctem producere, cruciatus corporis augere, parere maioribus, nihil denique non religiosissime agere.

Cum his tot exemplis sorores ad magnam traduxisset admirationem sui, bis summa omnium voluntate monasterio praefecta est. Quo tempore ita se gessit, ut administratione rei familiaris, quam mirifice amplificavit, auctrix coenobii, solicitudine salutis sociarum superior, susceptione laborum par, suique despicientia inferior esse ceteris videretur. Sed fraude artibusque daemonis adeo fuerunt sororum in eam animi immutati, ut quam ante propter virtutem suspexerant, post ut maculosam turpemque mulierem exsecrarentur. Brevi tamen fraus nefarii hostis detecta atque sublata invidia est. Itaque viri mulieresque frequentes ad eam, velut ad oraculum deliberatum petitumque consilium ventitare coeperunt. Ea moerentes consolari, segniter agentes excitare et ad virtutem currentes incitare enitebatur. His rebus cognitis Franciscus Columbanus, episcopus Brictinorensis, impetrata a Benedicto XIV. potestate, Catharinae sese ut ad coenobium virginum benedictinarum conferret, iussit, ratus, eius operam utilem atque frugiferam eidem coenobio futuram. Nec frustra. Sic enim eas oratione, hortatu, exemplo, adhibitis a Deo precibus ad studium incendit benedictinarum legum grataque consuetudine devinxit sibi, ut eam domum ad socias redeuntem, lacrimantes prosequerentur. Sexaginta annos nata diuturnorum cruciamentorum, quibus suum ipsa corpus affecerat, causa in gravem morbum delapsa est, quem sibi facile prospexit supremum fore. Itaque eucharistia eo, quo iacuit, temporis intervallo bis sumta, actibusque, quos fidei, spei, caritatis dicimus, saepe iteratis, ad extremum compositis in formam crucis manibus, incredibili adstantium moerore ac luctu XI. kal. decembres an. 1755 diem clausit extremum. Defunctae corpus rarum ac iucundum spirans odorem, ut satis concurrentium piorum hominum desiderio votisque fieret, in interiorem templi partem illatum, triduo insepultum servatum est. Sunt qui mira quaedam, invocato illius nomine, divinitus fuisse patrata narrent.

In provincia Regni.

1. P. fr. Erasmus Maccarellius, Caietae in Campania Felici honestis parentibus ortus, cum adolescens pietatis litterarumque laude unus omnium in patria maxime floreret, octavo ac decimo aetatis anno, repugnante primum matre, tum ob visum divinitus graviter laboranti filio, ut ferunt, immissum probante in numerum alumnorum Neapolitani coenobii s. Petri Martyris cooptatus est. Suessae cum nostris legibus atque institutis addiscendis colendisque operam coepisset diligentem dare, daemones obiectis larvis ipsum a suscepta vitae ratione deterrere conantes prece ac ieiunio superavit. Post ubi iurans promisit, sese dicto audientem, castum ac pauperem perpetuo futurum, cultui pietatis studium adiunxit humanarum atque divinarum rerum. Utroque autem genere tantum valuit, ut doctrina ne magis, an virtute excelleret, difficile esset existimare. Nam

etsi pudore integritateque animi et corporis erat singulari, tamen ut malas, quae erumpere possent, appetitiones coerceret, ieiunia sibi longa indicere eaque pane solum et aqua contentus solvere, cilicina veste uti, lumbos ferrea catena cingere, flagellis sese excruciare, vigilias habendarum precum colendorumque studiorum causa ad multam noctem producere consueverat. Quibus adiumentis eo progressus est, ut ad virtutem multis ascendisse gradibus videretur. Non enim solum diligenter mandata est persequutus maiorum ac pauperem perpetuo vitam duxit, munditiaque corporis et animi ac puritate nituit religiosa, verum etiam irrisiones, contumelias illataque per calumniam crimina incredibili patientia vultusque tulit hilaritate. Nihil enim ei erat iucundius, quam contemni sese ludibrioque haberi cernere. Quod ut crebrius fieri posset, sociis quam humili natus esset loco narrabat, vilibusque ministeriis obeundis delectabatur. Quae res omnis ex ardenti, qua in Deum flagrabat, caritate proficiscebatur. Atque eius quidem caritatis interdum tanta vis erat, ut ei non modo cor vehementi palpitaret motu, sed vultus etiam inflammaretur animusque avocari videretur a sensibus. Christi servatoris cruciatus secum ipse recolens, ita afficiebatur, ut acerbiores etiam perpeti optaret. Insigni in Deiparam Virginem ferebatur pietate. Quamobrem Ave illi persaepe dicebat aliosque, ut ei honorem eumdem haberent, exhortabatur. Homines ceteros aeque ac se diligens doctrina, consilio, opera, pecunia iuvabat. Itaque imperitos dogmatum christianorum erudiebat, improbos ad virtutem colendam incitabat, probos in officio continebat, tristes consolabatur, consulentibus, quid facto esset, opus ostendebat, aegrotis inserviebat, egentibus, petita a praeside coenobii venia, liberaliter, quod poterat, largiebatur. Quod ut est divulgatum, vix est credibile, quam multi ad eum praesules magnatesque petitum consilium vel irent ipsi vel mitterent. Annos quatuordecim Neapoli in coenobio s. Dominici educandis instituendisque clericis ordinis praedicatorum impendit. Quo munere ita est perfunctus, ut adolescentes non tam praeceptis erudiret, quam virtutis exemplis incenderet diligentique observatione nostrarum legum. Sexagenario maior annum ipsum gravissimo conflictatus morbo, Christi crucifixi imaginem complexus, singulari virtutis existimatione laudeque florens decessit anno 1742.

2. P. fr. Ludovicus Planesius, Caietani Planesii et Annae Alteriae piorum illustriumque coniugum filius, anno 1692 in s. Iohannis oppido haud longe ab urbe Neapoli natus, cum adolescentulus insigni erga Deum Virginemque Deiparam pietate, studio cohibendae linguae, cupiditatumque animi ieiunio aliisque corporis vexationibus reprimendarum incensus esset, Neapoli in societatem venit regii coenobii s. Dominici alumnorum. Fr. Thomae Oliverio, clarissimo viro, ad s. Birgittae in Pausilippo ma-

gistro iuvenum traditus in disciplinam, brevi, observatione dominicanarum legum exercitationeque virtutis, qui quantusque praedicator futurus esset, demonstravit. Anno tyrocinii summa cum laude exacto, quum promissis de obedientia, paupertate castitateque perpetuo servanda sese Deo atque ordini obligasset, Neapolim ad s. Dominici descendit magisterioque Erasmi Maccarelli eo parcitate, abstinentia, diuturna contemplatione christianae religionis mysteriorum, contemtu sui cura pauperis vitae degendae, diligentia parendi maioribus integritatisque incorruptae custodiendae opera progressus est, ut sociis illustre ad imitandum exemplum esset. Presbyterii assequutus gradum in Prochytam, quae in sinu Puteolano insula est, ad s. Margaritae missus, ita prospicere saluti sempiternae aliorum coepit, ut incredibili assiduitate pergeret curare suam. Dum enim ieiuniis, quae nonnisi pane et aqua interdumque etiam olerum usu solvere consuerat, severitate disciplinae, consuetudine orandi quotidiana, vigiliis, crebris flagrorum ictibus, quibus seipsum excruciabat, cilicinae vestis usu lumbisque ferrea catena constrictis seipsum continere, esseque cum Deo in gratia studebat, frequentes ad populum de divinis rebus habebat orationes, eos, qui reos se peccati confitebantur, poenitentiae sacris lustrabat ac miseris, oppressis, inopibus fortunarum, comitate, consilio, labore, industria opem solatiumque afferebat. Sed ita ut fit, ubi quis sibi aliisque consulere conatur, ut invidorum morsibus laceretur; quum quidquam tale ne suspicaretur quidem, tum atrox illi instructa calumnia fuit. Itaque magno, non sui quidem, qui adversa quaeque hilari animo ferebat, sed insulanorum dolore insula cedere atque in Campaniam Felicem Olibanum ad s. Mariae Constantinopolitanae proficisci coactus est. Quo in loco cum eamdem tenuisset vitae rationem iisdemque laboribus diu multumque perfunctus fuisset, ad s. Birgittae praesidis provinciae dominicanorum iussu reversus, novitiorum moribus institutionique praefectus est. Hos quum annos octo singulari prudentia, vigilantia, amore, comitate, quae coniuncta gravitati esset, rexisset, Neapolim revocatus sacris virginibus Rosarii de Porta Media confessarii munere praefuit. Quod munus probitate, exemplis virtutum, consilio ita gessit, ut unus aliquis ex annalium memoria aut etiam angelus e caelo in urbem Neapolim delapsus virginibus videretur. Denique meritorum plenus anno 63. aetatis naturae debitum reddidit.

3. P. fr. Marianus Porcellatus Neapoli inter alumnos coenobii s. Petri Martyris floruit existimatione, quae virtute parta, non temeritate rumoreque vulgi illata est. Is Caietae ortus, cum in patria pie pudiceque educatus esset, octavo ac decimo aetatis anno Neapolim contendit, utque ordini adscriberetur, a patribus impetravit. Fr. Thomae Oliverio magistro novitiorum praemonstrante salutis viam, tanta innocentia morum tanta-

que virtute clarere coepit, ut a praefectis ipsis coenobiorum vere dominicanus angelusque appellaretur. Sunt, qui eum, nuntio de parentum interitu accepto, ita sese continuisse ferant, ut ne perturbari quidem sit visus. Susceptis inde religiose votis, operam non minus philosophiae theologiaeque quam virtuti excolendae dedit. Itaque quum despiceret ipse se atque obediens, pauper castusque studeret esse, eam sibi facultatem doctrinamque assequi conabatur, qua consulere aliorum commodis sempiternaeque saluti posset. Singulari erga Deum Christique servatoris corpus excelluit religione. Deiparam Virginem secundum Deum magno opere coluit. Sanctis honorem adhibuit, quem eis ex ecclesiae traditione deberi noverat. Retinendae integritatis causa tam in se duriter agebat, uti se non ieiuniis modo cruciaret flagrisque caederet, sed fragmenta etiam testarum assulasve stramento supponeret, ne corpori quidquam requietis daret. Quare iussus interdum a praesidibus coenobiorum est, ut modum faceret vexandi sui. Quum praefectus primariae in provincia Regni philosophicae scholae fuisset, precibus demum ab eo, qui primas in provincia tenebat partes, impetravit, ut sibi munere cedere atque ad s. Birgittae, ducendae austerioris vitae causa, contendere liceret. Quo in loco quam in se assiduus severusque disciplinae exactor fuerit, difficile est existimare. Nam choro frequens adesse, longa silentia facere, solitarius vitam transigere, domo nisi maioribus obtemperaturus aliisque opem laturus, pedem numquam efferre, in templo flexis genibus diu manere precesque habere, parum cibi sumere, quodque sibi superfuisset, annuente coenobii praeside, pauperibus distribuere, sese variis modis excruciare, incisiones tumorum, qui sibi innascebantur, fortiter ferre. Hic talis ac tantus vir, cum casu praeceps lapsus e scala fuisset, idibus februarii anno 1754 fixis in Christi imaginem oculis, precesque recitans atque in pace suum esse constitutum affirmans locum, summo suorum incolarumque loci moerore cessit e vita.

4. P. fr. Dalmatius Lippus Neapoli honesto genere prognatus, flagranti in Deum hominesque incensus caritate, anno Christi 1726, sexto ac decimo aetatis suae, in alumnorum coenobii Neapolitani ss. Rosarii numerum relatus, ac tyrocinii ponendi causa ad s. Birgittae missus, pietatis disciplinaeque laude insigni claruit. Post annum ipsum in patriam reversus deindeque Romam profectus, sic operam philosophiae theologiaeque addiscendae dedit, ut quemadmodum excellere non tam doctrina quam virtute posset, maximo sibi esse opere attendendum arbitraretur. Ex urbe ab suis revocatus, cum aliquamdiu philosophiam adolescentibus explicasset, post demum habitis honoribus, quos magistris a maioribus in comitiis decretos norat, exercitationi virtutis aliorumque se commodis institutionique devovit. Itaque ieiunio, vigiliis, cilicinae vestis usu carnem

menti subigere castamque servare, dicto praefectis audiens esse, pauperem vitam colere, libros, qui perscripti de pietate essent, versare, leges ordinis atque instituta persequi studebat. Noctu in sacello, in quo Christi servabatur corpus, diuturnas preces habebat; interdiu autem rudes ignarosque dogmatum christianorum docebat, sociosque, quum praefectus coenobio esset, ut omnia recte, imprimisque rem divinam rite sancteque facerent, exhortabatur. Ad vicum Equensem, qui vicus ad sinum Puteolanum est, curandae valetudinis causa a provinciae dominicanorum Regni praeside missus, nullum remisit tempus, quin prece austeritateque vitae sibi, verbo autem, consilio, administratione sacrorum, susceptione laborum, reconciliatione concordiae incolarum saluti sempiternae prospiceret. Quare illius proximorumque locorum apostolus dictus est. Quum in supremum incidisset morbum acerbissimosque dolores incredibili patientia perpessus esset, adstantes, cur ipsos defereret aut cui desolatos relinqueret, rogantes interruptis vocibus nutibusque, Deum ut amare pergerent, hortatus, anno 46. aetatis Christi 1755 cum caritate ardens dissolvi esseque cum Christo cuperet, VIII. idus februarias migravit de vita. Id ut efferri enuntiarique coepit, magnus est ad eius feretrum concursus factus Equensium vicinorumque Sejanorum, quibus ut satisfieret, biduum eius corpus inhumatum servari oportuit. Funus in principe loci templo magna cleri utriusque frequentia praesenteque episcopo celebratum est.

5. Soror Maria Ursula Maya Stabiis, quae urbs est Campaniae in ora sinus Neapolitani, VI. kal. aprilis anni 1689 honestis piisque parentibus nata, iam usque ab infantia indicia virtutis non obscura dedit. Aetate progressa, cum pietate plurimum proficere studeret, hanc sibi praecipuam legem indixit, ut ne quid iniussu faceret superiorum. Itaque ei, quem sibi a confessionibus esse voluerat, parens ac mundum, seque ipsam despiciens, castigare corpus maioremque in modum in mentis potestatem redigere curavit. Qua ex re illud est consequuta, ut magna in Deum atque in homines ferretur caritate ac patientia in adversis perferendis rebus, contemplatione divinarum rerum virtuteque humilitatis, quam dicimus, floreret singulari. Quum vehementer laborare ex pedibus, cariei vitiatorum ossium causa, coepisset, dici vix potest, quam excelso animo annis 40 acerbissimos dolores perpessa sit. His, quibus naturae necessitate vexabatur, quasi levissimi essent, voluntarios addidit. Quamquam enim sine permolesto acutissimoque doloris sensu, ne sistere quidem posset, tamen frequens ad templum s. Crucis dominicanorum ibat, cumque gradiens ac si per spinas novaculasque incederet, excruciaretur, summo opere laetabatur, propterea quod imaginem in se quamdam dolorum Christi expressam esse iudicaret. Quin etiam remotum cubiculum domi nacta, in illud se abdere ibique orare, flagris se caedere, noctes

paene insomnes ducere consueverat. A die Cinerum ad Pentecosten quotannis, solo pane et aqua fere contenta, ieiunium producebat ac reliquo anni tempore, pane, absynthio consperso, atque leguminibus vescebatur, tantumque aquae sumebat, quantum vix satis esse ad sitim explendam posset. Carnes numquam comedit, nisi iussu medici valetudinem curatura. Somnum aut humi aut in tabulato iacens capiebat. Iniurias ludibriaque aequo semper hilarique animo ac vultu tulit. Confessarii, quem vocamus, suasu in ordinem s. Dominici tertium quadragesimo aetatis anni cooptata est. Novo instituto suscepto, vehementiore in Deum amore inque eucharistiae sacramentum religione ferri coepit. Deiparam Virginem Rosarii recitatione sancte coluit. Multos colloquio, monitis, consilio, labore iuvit. Infirmis, quorum interdum vulnera lambebat, solatio, improbisque hominibus ad frugem redactis saluti fuit. Diuturno gravique morbo confecta annum 66. agens, maximo propinquorum civiumque luctu, servata ad extremum usque spiritum innocentia vitae, anno 1755 decessit. Quod ut est divulgatum, magno numero viri mulieresque ad aedes Mayorum venerunt, particulasque sibi illius vestium religionis ergo sumserunt domumque attulerunt. Corpus magno plebis concursu comitatuque canonicorum cathedralis ecclesiae in templum s. Crucis dominicanorum illatum est.

6. Soror Birgitta Ferraria in Prochyta insula orta, paene infans, a parentibus, qui in summam egestatem venerant, deserta, a pia muliere primum, tum a presbytero quodam alenda atque educanda suscepta est. Quo ex tempore tam demisso animo coepit esse, ut quamquam ab iis in quorum familiam venerat, filiae habebatur loco, omnium tamen se minimam miserrimamque esse arbitraretur. Quare ut talem se opera ostenderet, qualem animo esse iudicabat, non rem modo familiarem heri assidue curabat, sed ea etiam munera obibat, quae vilissima existimarentur et essent. Quibus etsi corpore continenter distinebatur, tamen mente ita erat soluta, ut vacaret semper contemplationi divinarum rerum. Sed cum sacerdos, qui eam exceperat domum, omnia bona de ea diceret laudaretque fortunas suas, subito exorta est uxoris fratris iracundiae mulieris importunitas, quae initio infestis eam oculis conspicere, tum obiurgare, inde ob egregia etiam facta accusare, verberibus denique accipere non dubitabat. Nihilo secius Birgitta cum patienter omnia ferebat, tum mulierem, cui se devinctam profitebatur, Christo servatori ex animo commendabat. Sed impetrari non potuit, ut proterva, vivo presbytero, faceret miserae afflictaeque vexandae finem. Hero extinto in angustam se cellam, quae sita in oppidi angulo extremo erat, recepit, ut curis soluta terrenarum rerum, sempiternas libere contemplaretur. Itaque quum maiores in dies progressus faceret, sententia gravissimi viri, cuius consiliis

regebatur, ordini s. Dominici tertio adscripta est. Quo ex tempore nullum praetermisit diem, quin summo quoque mane in ecclesiam veniret praedicatorum, genua ante aram flecteret, Christi corpus veneraretur, magna religione, dum res ab sacerdote divina fieret, adesset, inde eucharistiam sumeret, postremoque, actis sponso Virginum gratiis, in aediculam suam reverteretur horasque reliquas in exercitatione virtutis consumeret. Quamobrem tanta fide, religione, spe consequendae salutis, caritate in Deum atque in homines, fortitudine, patientia, castitate fuit, ut altum ascendisse perfectionis, quam vocamus, gradum videretur. Etsi acutissimis capitis doloribus aliisque generibus morborum conflictari solita erat, adeo tamen in se duriter agebat, ut asseribus duris congestisve lapidibus nodosisve fustibus compositis lecti uteretur loco. His tot laboribus cruciatibusque perfuncta, mercedem sibi divinitus constitutam, ut existimare par est, acceptura, morbo decessit XIII. kal. martias an. 1756.

In provincia Baeticae.

1. P. fr. Lucas Morenus s. theol. mag., Palmae in dioecesi Cordubensi natus, anno 1689 XII. kal. octobres in coenobio regii conventus s. Pauli Hispali institutum praedicatorum professus est. Etsi illustri virtutis doctrinaeque laude florebat, magnaque proinde in celebritate versabatur, numquam tamen e coenobio, nisi ferendae cuipiam opis vel audiendarum confessionum causa pedem extulit. Magister novitiorum, praesidis patrumque provinciae statuto renuntiatus, tanta prudentia diligentiaque rexit adolescentes, ut eos non tam oratione ac monitis, quam exemplo in officio continere videretur. Sunt qui ei secretas aliorum cogitationes divinitus fuisse interdum retectas, multosque illius opera ab improbitate ad bonam frugem revocatos, ferant. Ob amorem in Deum vitaeque innocentiam a clarissimo viro p. fr. Petro Sanchesio Seraph est appellatus. Denique meritorum plenus XII. kal. aprilis an. 1741 prope septuagenarius cessit e vita. Eius corpus adeo flexibile fuit, ut non mortui, sed dormientis esse videretur. Quare ex incisa ei post obitum vena sanguis erupit. Ad eius feretrum magnus est populi concursus factus, pluresque sibi ex eius vestibus partes, religionis ergo, decisas asportarunt domum.

2. In coenobio eodem regio s. Pauli Hispali p. fr. Iohannes Floretius, s. theol. praesentatus, virtutis existimatione insigni claruit. In oppido s. Crucis dioecesis Toletanae natus ordinemque praedicatorum VIII. Id. octobres an. 1683 professus, caritatem in Deum atque in homines religionemque imprimis coluit, eaque sibi subsidio diligenter paravit, quibus saluti mortalibus esse posset. Quare ubi per tempus licuit, publice de rebus divinis deque servandis evangelicis legibus orationes ad populum habere coepit. Cum de felicitate ageret beatorum, ita affici consueverat,

ut iis, qui dicentem audiebant, in caelo versari gaudiisque, de quibus agebat, frui videretur. Potens opere et sermone, quem non tam ornatum, quam nervorum et efficacitatis plenum volebat esse, multos, qui inquinati peccatis fuerant, Christo servatori conciliavit. Carolus Thomas Maillardus de Tournon, patriarcha Antiochenus apostolicae sedis ad Sinicas proximasque regiones legatus, qui post S. R. E. cardinalis fuit, quum eum aliquando concionantem audisset, sanctum appellavit promisitque nostris, facturum se virtutis Floretii pontificem certiorem. Adversa quaeque non aequo solum, sed hilari etiam animo patiebatur. Singulari in Deiparam Virginem ferebatur pietate curabatque, ut qui ab se instituebantur, quos illa, dum mortalem hanc vitam degeret, dolores perpessa fuit, pie contemplarentur. Itaque assidua meditatione caelestium rerum, fide, spe gloriae, flagranti in Deum inque homines studio, observatione nostrarum legum, innocentia morum cum viam sibi ad beatorum patriam munivisset, mortem, quam sibi imminentem prospexerat, octogesimum agens aetatis annum, laetus oppetiit v. kal. martias an. 1737, magnum apud cives desiderium relinquens sui.

3. P. fr. Petrus Vasquesius s. theol. mag. in Hispalensi s. Thomae Aquinatis collegio eximia floruit laude virtutis. Is in episcopali urbe Pacensi natus, ac pie liberaliterque ab honestis parentibus educatus, xvi. kal. iunias anno 1705 susceptis votis, Deo ordinique praedicatorum suam perpetuo obstrinxit fidem. Cum indignum praedicatoris esse nomine putaret eum, qui studiis literarum cultum virtutis coniungere recusaret, sic operam philosophiae theologiaeque dedit, ut diiudicari difficulter posse praedicarent sui, doctrina ne esset, an pietate praestantior. Nam flagris se caedere, ieiunio impetus animi cupiditatesque comprimere, lumbos sibi ferrea catena constringere, precibus instare consuerat: in operibus autem s. Thomae, adhibito diuturno studio, ita erat versatus, ut summae theologiae, quem quisque vellet, articulum memoriter recitaret. Sanctorum item Augustini atque Bernardi libros tam attente legit, ut eorum sententias in numerato habere videretur. In historia ecclesiastica et civili, in arte medica, in mathematicis tam magnos tamque illustres progressus fecit, ut Ludovici I. regis Hispaniarum iussu e cathedra iis de rebus disputans, magna virorum eruditorum frequentia audiretur. Plura perscripsit, quae inedita in collegii bibliotheca servantur. Etsi is tot animi ornamentis praestaret, de se tamen adeo abiecte sentiebat, ut irrideri sese, contemni, exagitari non solum moderate, sed etiam iucunde ferret. Dicto maioribus audiens, pauper maxime cultorque diligentissimus castitatis erat. Caritate in Deum studioque in homines flagranti ardebat. Deiparae virgini cultum, honores, preces adhibuit assiduas fervorisque ex amore proficiscentis plenas. Pedibus itinera curandae salutis animorum sempiternae causa insti-

tuit, habitisque concionibus multis, ut resipiscerent suaeque felicitati prospicerent, hortator auctorque fuit. In Hispalensi, in Gaditana, in Pacensi dioecesibus, inque Legionensi prioratu, magnis laboribus superatis, rosarii recitandi usum paene deletum restituit. Sunt qui eum prophetiae dono prodigiisque claruisse dicant. Animi denique maturus, susceptis ecclesiae sacramentis, Deum virginemque Deiparam invocans, xvi. kal. februarias an. Christi 1749, aetatis 66. migravit de vita.

4. P. fr. Ludovicus Moralesius in Giennensis dioeceseos vico de la Guardia honesta gente ortus, quum adolescens in flumen incidisset, imploratoque s. Vincentii Ferrerii auxilio vitae discrimen evasisset, ad regium s. Crucis coenobium confugit institutumque praedicatorum amplexus est. Post annum ipsum, quum susceptis votis, quibus legibus obstringeretur, animo collegisset, tam severus ordinis constitutionum consuetudinumque custos fuit, ut numquam se ab earum observatione eximi passus sit. Parce ac duriter semper vixit, adeo ut commodi non solum non habuerit quidquam, sed ne exoptarit quidem. Lectulo usus est paene nudo. Itaque cum in postremum incidisset morbum stramentisque propriis careret, coactus est uti commodatis. Quaque die rem divinam fecit. Fuerunt, qui post communionem eius se faciem luce perfusam vidisse dicerent. Quum ita duxisset vitam, ut nullam umquam fecerit officii munerisque apostolici, quod semel susceperat, intermissionem, obiit, ut sperare quidem nobis licet, in osculo Domini an. 1748. Quod ut est enuntiatum, Granatenses cives ad s. Crucis templum frequentes concurrerunt, quibus ut satisfieret, illius corpus ad horas 34 servandum inhumatum fuit.

5. P. fr. Dominicus Fernandesius s. theol. praesentatus in regio coenobio s. Catharinae Giennensi iam usque ab adolescentia singularia virtutis exempla dedit. Nam ad chorum frequens laudum divinarum persolvendarum causa venire, leges ordinis summo studio colere, solitarius precibus habendis tempus traducere fuit solitus. Quare, etsi iuvenis, praefectus tamen moribus fuit institutionique nostrorum adolescentium. Quod munus quanta prudentia severitateque obierit, difficile est existimare. Summa fuit in dirigendis ad salutem hominibus dexteritate. Cumque ingenio splendido exquisitaque doctrina floreret, delectus ab Antonio Brizuela et Salamanca, episcopo Giennensi, viro summo, unus omnium maxime fuit, ut dux ipsi vitae ac veluti magister esset. Eleonorae a Christo virgini imprimis piae, quae in monasterio Giennensi Angelorum existimatione sanctitatis claruit illustri, cuiusque vitam apostolicus vir fr. Franciscus Possadas scripsit ac publicavit, a confessionibus fuit. Maioribus dicto audiens, pauperem semper vitam castamque duxit. De se adeo abiecte sentiebat, ut non solum praeferri se aliis numquam sit passus, sed etiam officiis, quae humilia atque vilia haberentur, fungi studeret. Incredibili

in Iesu servatoris nomen ferebatur pietate. Cum in tanta celebritate versaretur, ut sanctus a plerisque omnibus, qui eum norant, appellari soleret; fuit qui, si eius sputum labiis linguaeque suae admovisset, sibi persuaderet a vitio blasphemandi, quo diu laboraverat, sese liberum deinceps futurum. Atque id ita, ut speraverat, evenisse, idem ille blasphemus testatus est. Postremo captus oculis Fernandesius fuit, cumque privatus deinde motu pedum aliisque aegritudinibus corporis conflictatus ad extrema deductus esset, XI. kal. decembris an. 1735 diem obiit supremum.

6. P. fr. Christophorus de Jodar, s. theol. mag., adolescens, aegre ferentibus suis, instituto praedicatorum in eodem coenobio adscriptus est. Post ubi Deo ordinique suam obligavit fidem, iis se disciplinis doctrinisque comparandis dedit, quibus non modo sibi mortalibusque ceteris utilis esse, verum etiam salutaris posset. Absoluto studiorum cursu, nullum remisit tempus, quin poenitentiae sacris eos, qui se reos criminis confiterentur, expiaret orationesque ad populum de religionis decretis deque legibus divinis colendis haberet. Erga Christi servatoris corpus religione erat singulari. Rem divinam prae pietate et gaudio non lacrimans vix umquam fecit. Deiparae virgini devotus imprimis fuit, cuius meditatione diuturna dolorum mirum in modum afficiebatur. Obiit, magna de se opinione virtutis relicta, VI. kal. aprilis an. 1749.

7. P. fr. Idelfonsus Balanos, s. theol. lect., pauperum paupertatisque studiosissimus, an. 1735 in eodem s. Catharinae Giennensi coenobio decessit. Is cum a coenobii praeside porrigendae mendicis stipi addictus esset, incredibile dictu est, quas molestias, quanta virtute constantiaque pertulerit. Taciturnitatis, solitudinis praeterea legumque dominicanarum cupidus atque amans fuit. Deiparam virginem rosarii recitatione miraque observatione coluit.

8. P. fr. Franciscus Moralesius ob singularem morum elegantiam et integritatem gratus omnibus carusque imprimis fuit. Is cum captus vehementi desiderio esset obtinendi sempiterni regni, multas diei noctisque horas traducebat contemplatione divinarum rerum. Ac de Deo quidem loqui vix poterat, quin vultu incendi videretur. Ieiuniis crebrisque flagrorum ictibus domare corpus, ut ne menti resisteret, studebat. Etsi aetate erat iuvenili, tamen quod se patribus probasset, praefectus fuit moribus provinciae adolescentium. Sic autem eos instituit, ut doctrinam a dominicano viro virtuti coniungi oportere non tam praeceptis ostenderet, quam opera exemploque suo. Annos natus 37, magna pietatis opinione decessit.

9. P. fr. Didacus Benitesius vir apostolicus, qui per annos plures Baeticam regionem perlustrans non minus virtute quam sermonibus maximum hominum numerum ad bonam frugem revocarat, quique patientia,

precibus, ieiuniis aliisque corporis afflictationibus viam sibi ad sempiternam felicitatem paraverat, anno demum 1749 in s. Dominici Ursaonensi coenobio senectute confectus, sociis civibusque immortalem memoriam reliquit sui.

10. Fr. Christophorus Quevedus Cartamae in dioecesi Malacitana humilibus, sed piis parentibus natus, anno aetatis 40., voluntate uxoris, in numerum est relatus conversorum coenobii Malacitani. Quo ex tempore nihil sanctius habuit, quam ut iis in rebus occuparet operam, quae sibi fuissent a praeside coenobii imperatae. Itaque primum agricolae munus sic obivit, ut eius esse animus defixus videretur meditationi religionis christianae mysteriorum. Post in coenobium revocatus, ostiarius ac minister est dictus largitionum. Qua in re omni administranda tantum prae se in pauperes misericordiae studiique gessit, ut omnes virtutem hominis non laudarent modo, sed etiam admirarentur. Neminem enim ab se umquam moerentem dimisit. Nudum, sibi ut opem intenderet, rogantem propria veste laetus contexit. Sunt qui eum prophetiae dignoscendique secreta cordium dono fuisse illustrem ferant. VI. kal. maias an. 1748 decessit. Qui ad eius sepulchrum concurrerunt, eius se precibus impetrasse interdum, quod optarent, testati sunt.

11. Fr. Ioannes « ab omnibus sanctis » appellatus, Villae Novae in Placentina dioecesi natus, adolescens cum esset, militiae nomen dedit. Quo in genere disciplinae tanta continentia vixit, ut commilitonibus exemplo esset. Sed quoniam manendum sibi non putabat in instituto pleno periculorum, ordinem Franciscanorum profiteri statuit. Nihilosecius Deiparae virgini, a qua se ille ter monitum aiebat, ut praedicatorum amplecteretur institutionem, obsequuturus, in coenobio s. Dominici Pacensi nostris se legibus obligavit. Quas adeo diligenter coluit, ut vix quemquam obedientiae, paupertatis, continentiae, abstinentiae, officiique persequendi laude parem, superiorem autem haberet neminem. Observationi legum vigilias, parcitatem, severitatem in se summam aliaque corporis addidit cruciamenta. Fide tam firma tamque constanti fuit, ut quae sibi ab ecclesia proposita ad credendum esse intelligebat, ea non tam credere, quam cernere existimaretur. Caritate in Deum atque in homines latus est ardenti. Daemones sibi illudere conantes expulit. Fuerunt praeterea, qui eum confessario obtemperaturum suo, nescio quid prodigiosi divinitus impetrasse dicerent. Tam cupidus salutis animarum fuit, ut solitus esset affirmare, se pro cuiusque fratris felicitate sempiterna libenter cruciatus acerbissimos subiturum. Postremo cum dissolvi esseque cum Christo averet, x. kal. octobris anno 1744 diuturno morbo consumptus est.

12. Soror Maria a Consolatione honesto genere nata, cum iam usque ab infantia singularibus a Deo aucta beneficiis fuisset, idibus octobris

an. 1699 Hispali in monasterio s. Mariae Gratiarum, dominicanarum institutum, Virginis, ut ipsa aiebat, s. Dominici angelique custodis hortatu, professa est. Continentia integritateque morum tam insigni fuit, ut quamvis daemonum insidiis, hominumque scelere appetita atque vexata fuisset, quam est baptismo innocentiam consequuta, integram ad exitum usque servasse existimaretur. Quaque die flagris atque septies interdum sese caedere, ieiuniis corpus afflictare, cilicia induere, humi, somno vix horae spatium traductura cubare, saxum pro cervicali habere consuerat. Denique virtutis laude excellens decessit III. non. sept. an. 1733.

13. Soror Marianna a s. Rosa summo genere nata, anno 1671 susceptis votis ordinem praedicatorum Hispali in monasterio Matris Dei professa est. Dici vix potest, quot quantisque beneficiis iam usque a prima aetate ornata divinitus fuerit. Acerbissimos dolores, ut animabus purgatorio igne excruciatis solatio esse posset, perpessa est. Orans videre sibi visa est aliquando servatorem Christum, qui suam ei crucem offerret praediceretque, eam deinceps « Mariannam a Cruce » futuram. Quo ex tempore multis gravibusque aerumnis, cruciatibus, daemonis vexationibus adeo affici praemique coepit, ut multi eam ab hoste generis humani exagitari arbitrarentur. Ea sedata tempestate, summa est illi tranquillitas restituta. Itaque amore ardens, saepe tumque praesertim, cum eucharistiam sumeret, avocari a sensibus fruique sponsi Christi deliciis videbatur. Etsi maxima proinde in celebritate versabatur, de se tamen adeo abiecte contemtimque sentiebat, ut omnium se esse miserrimam iudicaret. 83. aetatis anno IX. kal. decembres an. Christi 1728 migravit de vita. Corpus illius cum triduum a sororibus servatum inhumatum esset, non incorruptum modo, sed flexibile etiam permansit. Fuerunt, qui eam in vita et post mortem prodigiis claruisse ferrent.

In provincia Apuliae.

1. Soror Maria Scaglionia nobili gente prognata, in Lyciensi s. Mariae della Nova monasterio ordinem dominicanarum virginum professa, caritatis, obedientiae, paupertatis, integritatis, poenitentiae, patientiae, despicientiae sui laude illustris fuit. Quare non solum Christi causa martyr obire, verum etiam pro salute hominis cuiusque sempiterna sanguinem profundere avebat. Rebus autem divinis ita permovebatur, ut earum contemplationi horas quatuordecim diei cuiusque, interdumque diem ipsum totum impenderet. Maioribus incredibili studio parebat. Constitutiones ordinis tam magnae illi erant curae, ut eas, cum diligentissime ipsa coleret, tum sorores, ut ne negligerent, vehementer exhortaretur. Magnam vitae partem ieiuniis, quae solo fere pane et aqua contenta solvere consuerat, quaeque interdum ad quatuor ipsos dies traduxerat, ferreorum ciliciorum usu, flagrorum ictibus, quibus corpusculum ad effusionem usque

sanguinis excruciabat, contrivisse fertur. Gravissimos acerbissimosque morbos, quibus est diu conflictata desolationesque, quas vocamus, ariditatesque spiritus constanti semper animo excelsoque tulit. Multa praeterea incommoda multosque cruciatus, ut animabus purgatorio igne vexatis opem afferret, perpessa est. Cessit e vita XII. kal. septembris an. 1753. Defuncta vultu adeo ad pietatem composito videbatur esse, ut virtutem inspiraret animis intuentium.

In provincia s. Petri Martyris.

1. P. fr. Aegidius Fea cum adolescens in societatem venisset Eporedensium coenobii s. Mauritii dominicanorum, quam est amplexus initio, ad exitum usque retinuit disciplinam institutionemque vitae. Recusato, quod sibi oblatum fuerat, praecipuo in provincia docendi munere, dedidit sese studio curandae salutis animorum. Iis autem, quos ad frugem corrigere instituerat, non tam sermone quam exemplo ad virtutem praemonstravit viam. Quare demissis oculis incedere, ieiuniis, flagellis aliisque generibus cruciatuum menti corpus subigere, humeros sibi defixis parieti clavis cruentare, sacco palea pleno, non culcitra neque stragulo laneo in lectulo uti consuevit. Summa erga miseros caritate claruit; nam moerentes consolari ac cibum vestesque, petita a coenobii praeside venia, cum egentibus dividere solitus fuit. Etsi eruditione florebat singulari suoque consilio episcopum urbis proceresque regi videbat, nihil tamen sibi laudis tribuendum arbitrabatur. Cum paroeciam ss. Mauritii et Dominici annos ipsos triginta sanctissime moderatus esset, VIII. kal. augusti aetatis 59, Christi an. 1728 sempiterna, ut credere par est, felicitate potiturus decessit.

2. Soror Maria Iohanna Grandia anno aetatis 27. ordini tertio dominicanarum in collegio sororum Mediolani adscripta, eximia praestitit integritate innocentiaque morum. Ingentem, quo in Deum ferebatur, amorem indicatura, cor acutis spinis acubusve ingeniose compositis finxit sibique ad pectus aptavit. Institutorum legumque ordinis diligens imprimis custos atque assidua exactrix fuit. Cilicium, cum crebris ferreis cuspidibus ad crucis modum confecisset dorsoque imposuisset, tanto dolore affecta est, ut viri gravissimi, qui ipsi a confessionibus erat, praecepto deponere coacta fuerit. Sed cum aculei penetrassent corpus, auxilio sororis, quae illud evelleret, opus fuit. Quamquam externi hi cruciatus omnes internis, quos fortissima mulier perpetiebatur, leviores erant. Quos ea hilari animo ferebat, propterea quod se sponso virginum Christo speraret similem futuram. Eius opera, existimatione, labore, industria amplificatum collegium parsque interior templi restituta atque ornata est. Permolesto diuturnoque morbo confecta XV. kal. ianuarii an. 1754, aetatis 44, mortem obiit magno moerore luctuque sociarum.

In provincia Mexicana s. Iacobi.

1. P. m. fr. Franciscus Romus virtute excelluit singulari. Nam dicto praesidibus provinciae coenobiorumque, in quibus vivebat, audiens, caritate in Deum atque in homines flagrans seque ipsum despiciens, tantam sibi in provincia laudem existimationemque comparavit, ut Ildefonso Cabrerae par, nulli inferior haberetur. Cum magna in Mexicanum eaque pestilens ingruisset lues, Romus morbo correptis adfuit, subsidia paravit, opem atque auxilium praesens tulit mortuorumque corpora suis humeris imponens in templum intulit ac per se ipse sepulcro condidit. Summo provincialium moerore decessit anno 1750.

2. P. praesentatus fr. Ildefonsus Cabrera, cum socius laborum Romi atque imitator virtutis esset, non modo caritatis, obedientiae, patientiae, observationis dominicanarum legum, in pauperes misericordiae inque mortuos, quorum corpora humeris imposita atque in templum inlata sepeliebat, pietatis laude excellens fuit, sed etiam humilis abiectusque, ut Romus, vivere maluit, quam dignitatibus honoribusque sibi oblatis ornatus aliqua apud homines in celebritate versari. Prorectoris in collegio de Porta Caeli munus obiisset numquam, nisi coactus praesidis provinciae iussu fuisset. Id enim a Romo didicerat. Anno eodem, quo Romus, diem obiit supremum, ut qui morum laborumque similitudine coniuncti fuerant, una praemium in caelo consequerentur.

In provincia Peruana.

1. P. fr. Ildephonsus del Rio Limanae academiae doctor, s. officii in Peruano regno consultor et synodalis in archiepiscopatu Limano examinator, cum apostolicum munus expleturus ad coenobium del Callao se contulisset, repenti exundatione maris oppressus v. kal. novembris an. 1746 interiit.

2. Eadem, qua Ildephonsus, nocte eodemque mortis genere parem, uti sperare quidem nobis licet, gloriam p. fr. Laurentius Pontigosus s. theol. mag. synodalisque Limani archiepiscopatus, ut vocant, examinator, adeptus in caelo est, qui singulari exemplo perplures annos in recte instituendis moribus Indorum contriverat.

3. P. fr. Didacus Velepantinus s. theol. mag., honoris Dei vindex cultorque virtutis imprimis diligens, cum illustria comitatis erga alios patientiaeque exempla reliquisset suis, v. kal. nov. an. 1746 in coenobio del Callao fluctibus exundantis maris iactatus submersusque obiit.

4. P. fr. Franciscus Rivera s. theol. praesentatus, vir singulari eruditione virtuteque praestans, cum irrumpere in oppidum Callaum mare omniaque circum loca occupari aquis remque in angustum redactam videns, hortari populum, ut suae saluti sempiternae prospiceret, aggressus esset, eodem quo superiores mortis genere sublatus est v. kal. novembris 1746.

5. P. fr. Petrus Bazozabalus, vir excellenti virtute atque doctrina, tanta sui despicientia tantaque pietatis religionisque in Deum laude illustris fuit, ut cum praedicatoris generalis appellationem recusasset indignumque sese, qui gradum ullum honoris occuparet, esse dixisset, habendis precibus tempus in ecclesia ante aram praecipue, in qua Christi servabatur corpus, traducere soleret. Missionum, quas dicimus, in portu del Callao auctor amplificatorque fuit. Is quoque exundantibus aquis eodem anno eademque nocte oppressus decessit.

6. Petrus Zumaranus collegii regens, qui plurimum doctrinae pietatisque existimatione valuit, ibidem eodem mortis genere, quo Bazozabalus sociique extinctus est.

In provincia ss. Rosarii Philippinarum.

1. In hospitio Mexicano s. Hyacinthi opinione virtutis observationisque constitutionum ordinis octogenarius decessit r. p. mag. fr. Ioannes de Foro anno fere 1746.

2. P. fr. Barnabas de la Magdalena, legum ordinis studiosissimus ardentique in Deum atque in homines amore excellens, qui barbaris Indis erudiendis instituendisque egregiam operam navavit, Manilae ante an. 1747 extremum obiit diem.

3. P. fr. Blasius de Sierra, quum in Sinensi regno convertendis ad veram religionem Christoque conciliandis ethnicis strenuam operam dedisset, in coenobio s. Dominici Manilensi obiit, percepturus in caelo, uti speramus, difficilium itinerum et laborum fructum.

4. In expeditione Paniquiensi, quam redigendorum in Christi religionem ecclesiaeque potestatem ethnicorum causa nostri susceperant, diu multumque laboratum a p. fr. Antonino del Campo fuit. Is in domo praedicatorum del Pilar de Cavayan relinquens apud socios desiderium sui decessit.

5. P. fr. Ioannes Sebastianus Tuguegarau in domo s. Petri praedicatorum religionis patientiaeque claruit opinione. Huius est in actis comitiorum provinciae Philippinarum an. 1727 cum laude facta mentio.

6. Illm̃us et rm̃us p. fr. Petrus Martyr Sansius, episcopus Mauricastrensis atque in Fo-kiena Sinarum provincia vicarius apostolicus, cum adolescens in societatem venisset Ilerdensium praedicatorum multaque virtutis specimina Aragoniensibus dedisset suis, in provinciam se transtulit Philippinarum. Eo cum pervenisset et quam ordini gloriam quantumque commodum christianae reipublicae allaturus esset, studio religionis, pietate, magnis laboribus susceptis, demonstrasset, in Fo-kienam Sinensis imperii provinciam missus est. Qua in provincia tanta in Deum atque in homines caritate, sui despicientia, assiduitate studioque convertendorum ad Christum idololatrarum floruit, ut sacrae congregationis de

Propaganda Fide consulto a summo pontifice episcopus vicariusque apostolicus, etsi invitus atque aegre ferens, quod a sustinendis dignitatibus parandisque honoribus animo esset alieno, creatus fuerit. Gravissimo munere suscepto, non modo disciplinam institutaque ordinis colere, libros legere, preces Deo diuturnas enixasque adhibere, orationes ad populum de rebus divinis habere, quaerere, quos Christo addiceret, ut ante consuerat, perrexit, sed epistolas etiam ad suos plenas optimorum documentorum scribere, hortari omnes, ut in officio manerent, arguere, obsecrare, increpare denique in omni patientia et doctrina coepit. Quam consuetudinem ad exitum usque vitae retinuit; itaque ut sibi, ita permultis Sinensibus saluti fuit. Postremo nefarii superstitiosique hominis, qui missus prorex ab rege Sinarum fuerat, scelere, ob illatum in provinciam christianum nomen captus, in carcerem coniectus postque in ius vocatus colaphisque nonaginta, quos incredibili patientia fortitudineque tulit, acriter caesus, populo inspectante, tabellam gerens, in qua scripta martyrii erat causa, praemium, ut credimus, certaminum laborumque consequuturus Fo-kei capite plexus est. Qua de re, cum anno 1748 in Europam nuncii essent allati, Benedictus XIV. pontifex maximus gravem XVI. kalendas octobris ad S. R. E. cardinales in senatu plenamque laudis habuit orationem. Fortissimi viri praestantissimae res gestae encyclicis literis Antonini Bremondii, magistri ordinis, deincepsque commentario descriptae sunt.

7. Eodem fere, quo Sansius tempore, proregis iussu comprehensi et pessime tractati atque in custodiam publicam traditi Fo-kei sunt immortales viri pp. ff. Franciscus Serranus, dictus episcopus Tipasitanorum vicariusque in provincia apostolicus, Ioannes Alcoberus, Ioachimus Royus et Franciscus Diazius. Ac priores quidem duo Granatensis s. Crucis, tertius Valentini, quartus Astigitani ss. Pauli et Dominici alumni fuerunt. Hi cum egregiam propagandae religioni christianae operam navassent fidelesque Sansio laborum socii adiutoresque fuissent, brevi se, una cum eo, sic enim fuisse a prorege constitutum acceperant, regno caelesti potituros arbitrabantur. Sed Sansio sublato, cum ipsi in carcere mansissent, dici vix potest, quos quamque acerbos cruciatus pertulerint. Nam Tipasitanus vicies alapis, quinquies autem ac vicies flagris; Royus verberibus vicies; Diazius quinquies et tricesies colaphis, ter diro ad talos cruciatu; Alcoberus molestissimis quaestionibus saepe ac multum acceptus vexatusque fuit. Interea tamen beatam spem expectantes laeto esse ac hilari animo pergebant. Denique acerbissimis doloribus maximisque laboribus christiani nominis propagandi causa perfuncti, epoto, cum nihil tale suspicarentur, venenato, ut ferunt, quod tamen ipsis minime nocuit, vino in carcere partim vi calcis suffocati, partim laqueo strangulati, in caelum, ut speramus, mercedem accepturi migrarunt. Horum item res praeclare

gestas Antoninus Bremondius, magister ordinis, non solum encyclicis literis persequutus est, sed eodem etiam commentario describendas publicandasque curavit.

8. P. fr. Petrus Martyr Ponsgravius, coenobii Barcinonensis alumnus, cum mira patientia, mansuetudine in Deum atque in homines caritate floreret, in Tunquinum regnum conciliandorum Christo ethnicorum causa profectus est. Quo in regno tantum eloquentia, doctrina virtuteque valuit, ut non modo christianos in fide contineret segnesque ad pietatis incitaret cultum, sed idololatris etiam unam esse religionem christianorum veram colendamque persuaderet. Itaque horum plurimis, ut superstitionem abiicerent Christoque se dederent, hortator auctorque fuit. Quod eum non minus studio quam precibus, quas habere assiduas consuerat, impetrasse, dictu proclive est. Multos Anamitica lingua, ut Tunquinensibus prodesset, libros perscripsit multosque restituit eorum, quos ab aliis antea perscriptos, negligentia incolarum, paene intercidisse animadverterat. Coenobia ordinis tertii sororum variis in locis e fundamentis erexit tria. Misericordia erga pauperes mira praestitit. Quae eo praecipue tempore patefecit sese, quo in regno exarsit civile bellum. Nam quum perduellionis auctores ferro atque igni multis locis vastitatem intulissent incolasque ad extremam redegissent egestatem, Ponsgravius non obvios quosque solum, sed latentes etiam quaeritans, quibus opus erat rebus, liberaliter largiterque iuvit. His exercitationibus clementiae atque pietatis quum operam diligentem daret, magno Tunquinensium detrimento fructum, ut credimus, laborum percepturus discessit e vita.

9. P. fr. Andreas Matthaeus, etsi iuvenis aetate, virtute tamen, observatione dominicanarum legum morumque integritate atque innocentia, severitate disciplinae, quam hilaritate animi vultusque tegere consuerat, animi maturus cum maximis plurimisque laboribus rei christianae publicae augendae causa in nova sanctae Crucis, quam dicimus, missione perfunctus esset, Bayombongi in nostra s. Dominici domo incredibili suorum luctu diem clausit supremum.

10. P. fr. Ludovicus Hernandorena domus s. Hyacinthi in Pangasinana provincia praeses, cum egregia patientiae in laboribus doloribusque perferendis, assiduitatis in colendis institutis ac legibus ordinis praedicatorum, inque re christiana amplificanda diligentiae exempla dedisset, morbo extinctus est.

11. In coenobio s. Dominici Manilensi fr. Iohannes Peresius conversus, vir sane pius diligensque ordinis legum et institutorum cultor, magna opinione virtutis obiit.

12. In Sinarum imperio Lucas Kin-ynus et Thaddaeus Go-chinus, qui tertium s. Dominici ordinem professi fuerant, quum religionis causa

in Tartariam missi fuissent exulatum, maximis incommodis aerumnisque debilitati, vitam hanc miseram cum felici, ut par est credere, sempiternaque commutaverunt.

In provincia s. Ludovici.

Franciscus de Robecque de Palieres, Parisiis IV. nonas februarias an. 1678 natus, vicesimo post anno institutum praedicatorum professus est. Cum pari studio virtuti literisque operam dedisset, philosophiam primum, deinde theologiam nostris iuvenibus summa cum laude explicavit. Quo tempore taciturnitate, modestia, assiduis precibus, meditatione divinarum rerum, cultu nostrarum legum tantam sibi existimationem paravit integritatis, ut, quia exigua erat statura, parvus sanctus vulgo appellaretur. Amore in Deum ac religione arsit singulari. Secundum quem Deiparam virginem coluit, sanctos ordinis, inprimisque Thomam Aquinatem, cuius doctrinae addictum sese devotumque profitebatur, veneratus est honore peculiari. Studiosissimus salutis hominum sempiternae fuit, eorumque praecipue, quos ab aliis propter egestatem negligi videbat. In his enim Christum sese intueri arbitrabatur, cuius in paupere degenda vita exempla sibi proposuerat ad imitandum. Igitur rem nullam umquam dono, etsi erant qui offerrent, a quoquam recepit. Praeclarum p. Michaelis Lequienii opus, quod « Oriens christianus » inscribitur, perfecit ac publicavit. Quum annos ageret 72. illustri sui memoria relicta, decessit IV. idus aprilis an. 1750 meruitque sibi, ut magna hominum omnium generum atque ordinum frequentia funus celebraretur.

In congregatione s. Mariae Sanitatis.

1. P. fr. Albertus de Auria Neapolitanus, cum eo profugisset, ubi degere solitarius vitam Christoque contemplatione divinarum rerum cultuque perpetuo libere famulari posset, a parentibus deprehensus domum reverti coactus est. Inde probantibus suis in societatem venit regii coenobii Neapolitani s. Petri Martyris alumnorum. Posthabitis honorum gradibus, quos in scholis docendo assequi facile potuisset, ingenti in Deum hominesque ardens caritate, dicto maioribus audiens seque ipsum despiciens, non sociis tantum exemplo singulari fuit, sed exteros etiam ad studium incendit religionis et pietatis. Pauperibus, ut quae ab laicis eleemosynae nomine impetraverat, ita maximam eorum, quae ipsi usui videbantur esse, petita a praeside coenobii venia, erogabat. Aegris salutem, oppressis solatium divinitus impetraturus, vigiliis, ieiuniis aliisque corporis afflictationibus se ipsum excruciare precesque ad multum tempus producere solitus erat. Lumbos sibi ferrea catena constrinxerat. Noctu in templo humi iacens parcum brevemque somnum capiebat. Decessit kalendis februarii an. 1744, cumque singulari pietate Deiparam coluisset, in crypta Deo in s. Virginis honorem dicata sepultus est.

2. P. fr. Thomas Salinas s. theol. mag. nobili imprimis genere Neapoli natus atque a parentibus pie liberaliterque educatus, cum frequens ad s. Thomae collegium addiscendae philosophiae causa accedere soleret, Thomae Ferrarii clarissimi viri, qui post S. R. E. cardinalis fuit, hortatu ordini praedicatorum adscriptus est. In coenobio s. Mariae Sanitatis, in quo severitas vigebat disciplinae, tam magnos brevi progressus fecit, ut litteris vix ulli sociorum, virtute autem secundus nemini existimaretur. Deinceps cum velut aetate, sic doctrina pietateque crevisset, dignus est habitus, qui moribus praeficeretur adolescentium. Inde Summani semel, ter Neapolitani Sanitatis coenobii creatus praeses, tali modo retinere augereque studuit veterem institutionem, ut comitate et gratia vincendos suos, non acerbitate offendendos arbitraretur. Itaque diligentes laudando in officio confirmare, segnes contra non tam minis inflictave poena, quam exemplo verbisque amoris benevolentiaeque plenissimis, strenue ut agerent, exhortabatur. Qua in re singulari semper prudentia usus est. Cum Deiparam Virginem, quam matrem dicere solebat, secundum Deum veneraretur, nihil esse sibi praetermittendum putabat, quod conferre ad illius honorem cultumque propagandum posset. Itaque iuvenibus, quos in varia urbis loca mittere recitatum rosarium consueverat, praeibat saepe, quidque facto maxime usus esset, demonstrabat. Quin etiam venientes ad se consilii petendi causa, veniebant autem ob existimationem viri singularem permulti, eam ut observarent pieque colerent, hortabatur. Cellae solitudine, quam paradisum appellare solitus erat, magnopere delectabatur. Quamquam saluti aliorum prospecturus, ad templum Sanitatis saepe, crebro etiam ad ecclesiam virginum dominicanarum, quandoque vero ad aedes sese laicorum vel sacramentum poenitentiae administrandi vel afferendi miseris aegrisque solatii gratia conferebat. Postremo vitae tempore, cum summa esset senectute neque descendere in templum posset, ad cellam accedentes viros, rusticos praesertim plebeiosque comiter excipiebat, in quos tanta ferebatur misericordia, ut eis ciborum, qui sibi appositi essent, partem servari distribuique faceret. Ad extremum quum ardenti in Deum hominesque caritate, continenti rerum divinarum contemplatione, severitate disciplinae, studio curandae salutis animarum ad gloriam sibi, ut pronum est credere, munisset viam, IX. kalendas iunii an. Christi 1755, aetatis 40. in coenobio s. Mariae Sanitatis tertium praeses naturae debitum reddidit. Qua re intellecta, viri mulieresque in templum turmatim eius corporis visendi causa concurrerunt. Quibus gratum facturi nostri, inhumatum tresdecim ipsos dies corpus reliquerunt; quo illud spatio non modo incorruptum atque flexibile fuit, sed ex incisione etiam venae, paullo ante, quam vir optimus decessisset, facta, vivum sanguinem reddidit. Fuerunt qui eum, dum viveret, futura prae-

nuntiasse, mortuum vero splendida facie fuisse miraque divinitus impetrasse dicerent.

In congregatione s. Marci.

1. P. fr. Antoninus de Greis, adolescens religionis studio incensus Florentiae in s. Marci coenobio ordini praedicatorum adscriptus est. Quum ita institutus esset, ut, nisi compressis pravis animi cupiditatibus, nullos se putaret in virtutis cultu progressus facturum, petiit a magistro, ut ne quid umquam ab se fieri imperaret, quod ipsi prospiceret iucundum fore. Etsi eo continentiae genere viam sibi ad singularem quamdam pietatem morumque integritatem muniverat, de se tamen adeo demisse abiecteque sentiebat, ut eum interdum, quo uti moderatore vitae consuerat, adiret rogaretque maiorem in modum, uti sese, qui minus recte antea vixisset, vestibus ordinis expoliatum, rursum induere ne gravaretur. Nam sic illi se polliceri atque recipere aiebat, sese in posterum tempus, castigate, utque dominicanum hominem deceret, victurum. Ita cum in se duriter ageret ipsumque se Christi servatoris causa demitteret atque instituta coleret praedicatorum sanctumque Dominicum quasi vestigiis persequi studeret, sic divinis assuevit rebus, nihil ut facere, loqui, cogitare, quod non ad Deum pertineret, existimaretur. Quod ab sociis cum aliis plerisque in locis saepe tum in scholis praesertim animadversum est. Quum enim excellenti ingenio exquisitaque doctrina praeditus esset, philosophiam in s. Marci collegio sic explicavit, ut praetermissis contra atque aetas ferebat quaestionibus, quae subtilitatis plurimum, utilitatis nihil aut parum haberent, copiosissime de iis ageret, quae conferre ad religionem illustrandam possent. Quibus postremis ita affici solebat, ut iis, qui disserentem audiebant, in caelo versari et cum Deo colloqui videretur. Deo ut coniunctior gratiorque esset, s. Theresiae exemplum imitari iurareque decrevit, nihil se deinceps facturum, nisi quod esse melius atque perfectius iudicaret. Qua de re, quum egregium virum, in cuius se disciplinam fidemque permiserat, consuluisset, ex eoque, quam magnum in periculum sese coniiceret, cognosset, ibi denique se, suscepto voto, perpetuo mansurum promisit, ubi observatio nostrarum legum cultusque maxime vigeret. Hic cum ad eam pervenisset aetatem, qua prodire in publicum fructumque laborum et vigiliarum ferre posset, immatura morte extinctus est. Nam annos fere 28 natus, cum rem divinam ad aram faceret, post panis consecrationem apoplexi correptus concidit, acceptoque unctionis sacramento, diem clausit extremum.

2. Fr. Thomas Maria Zinellius, coenobii ss. Iohannis et Pauli provinciae Venetae alumnus, magnam reliquit sui famam non minus ingenio, quam virtute partam. Is quum in ordinem cooptatus, tyrocinii, quod vocamus, tempore constantia, cultu legum, studiorum etiam litterariorum

exercitatione magnam de se expectationem movisset suis, quod erat amplexus institutum, post annum ipsum incredibili omnium voluntate professus est. Sed captus desiderio ducendae austerioris vitae, impetrata ab ordinis magistro venia, ad s. Marci Florentiam contendit. Quo in coenobio tantum litteris, disciplinae laude, modestia, pietate in Deum atque in Deiparam Virginem profecit, ut sociis, quorum erant aliqui doctrina virtuteque praestantes, rebus omnibus superior haberetur. Multis ante obitum mensibus, cum a daemonibus vexari vehementissime coeptus esset, tam forti eorum impetus tamque excelso animo non sustinuit modo, sed etiam repressit, ut neque remitteret quidquam de instituta vitae ratione neque hilaritatem vultus sibi peculiarem amittere visus sit. Anno aetatis primo atque vigesimo exacto, quo tempore hypodiaconi munus susceperat, cum post paullo quam in eruditorum hominum conventu de rebus divinis publicam habuerat summa cum laude disputationem, in gravem morbum incidisset, munitusque poenitentiae, eucharistiae postremaeque unctionis sacris esset, his dictis verbis « in domum Domini laetantes ibimus », idibus martii an. 1721 vita Florentiae, in aedibus novitiatus s. Marci, defunctus est.

3. P. fr. Iosephus Verrazzanius, Florentiae nobilibus parentibus natus, quum adolescens in dominicanorum s. Marci venisset societatem, brevi, qui vir quantusque futurus aliquando esset, demonstravit. Nam dicto audiens maioribus esse, adversari nemini, numquam se cuiquam praeferre, durus sibi, aliis mitis atque humanus videri coepit. Confirmata deinceps aetate, flagris se caedere, cilicium sibi induere, inedia corpus excruciare, preces habere diuturnas iisque absolutis dare studiis litterarum operam, vixque somni paullulum capere fuit solitus. Tam autem de se contemtim sentiebat, ut cum sese ab aliquo derideri despicique cerneret, summo opere laetaretur. Orationes ad populum sacras plenasque piarum sententiarum habuit perplures. Carmina italica quaedam perscripsit, quibus laudes praesertim Deiparae Virginis continerentur, suisque gratum facturus in lucem edidit. Quum quadragesimum ageret aetatis annum atque una magistri novitiorum in s. Marci coenobio moderatorisque monasterii virginum s. Luciae obiret munus, in hylicum morbum incidit. Cumque sordes continenter evomens incredibili molestia afficeretur, tantam animi constantiam patientiamque prae se tulit, ut sociis, qui ad eum frequentes adibant, moveret administrationem. In extremis quum esset atque afferri sibi corpus Christi, viatici causa, petiisset, neganti praesidi coenobii, fas esse illud evomenti dare, spero, inquit, spero, mi Pater, tam me demum felicem fore, ut eucharistia sumta Iesu potiar. Ac dictum quidem res comprobavit. Nam cum tantum esse spatii inter unam alteramque emesin animadvertisset praeses, ut ei, quod petierat dari satis

tuto posset, morem esse animam agenti gerendum duxit. Itaque susceptis poenitentiae, eucharistiae extremaeque unctionis sacris, magna de se virtutis opinione relicta, pridie kal. ianuarii an. 1723 extinctus occidit.

4. P. fr. Angelicus Maria Nardius Florentinus civis, Prati veteris in Etruria natus, iam usque ab eo tempore, quo in s. Marci coenobio tyrocinium virtutis posuit, adeo obedientiae laude, assiduitate orandi, observatione nostrarum legum, modestia, contemtu sui, prudentia, ingenii facultate excellere visus est, ut prospicere sodales possent sui, congregationi illum non ornamento modo, sed saluti etiam futurum. Exacto tyrocinio, cum in philosophicis institutus esset, totum se dedidit doctrinae divinarum rerum. Quo in genere tantum profecit, ut aequalium secundus nemini, par praestantioribus existimaretur. Quare dignus est habitus, qui studiis praeficeretur adolescentium. Ille paucorum commodis multorum utilitatem esse praeferendam ratus, orationes e suggestu ad populum de religione virtuteque colenda, elegantes illas quidem plenasque nervorum habere coepit. Sed cum facultate tanta in rebus gerendis expediendisque valeret, etsi aegre ferens, tradita tamen sibi congregationis gubernacula diu tenuit. Nam saepe variis in coenobiis magister novitiorum et praeses, quater vicarius generalis fuit. Quibus muneribus ita est perfunctus, ut omnes et gravitate in officio contineret et benevolentia devinciret sibi. Etsi infirma erat valetudine maximisque interdum incommodis premebatur, nihil tamen umquam remisit de severitate disciplinae. Suos non tam monitis quam exemplo rexit. Itaque nemo sibi quidquam esse illius imperio faciundum vidit, quod non ante ab ipso factum animadvertisset. Quum tot curis distentus esset, nihilosecius diem praeterire nullum patiebatur, quin horas aliquot in contemplatione traduceret christianae religionis mysteriorum. Anno 1721 gravi contracto morbo, versiculum psalmi repetens « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei », x. kalen. apriles diem obiit extremum.

5. P. fr. Philippus Baldinuccius, venerabilis Baldinuccii e S. I. frater, incredibili vitae asperitate integritateque claruit. Non enim solum, quod praescriptum nostris est institutis, a carnibus semper temperavit sibi, sed etiam omni obsonio egenis distributo, pane tantum ac frugibus, idque iam parce postque laborem vescebatur. Aquam, qua fere una uti consuerat, vix umquam bibebat, nisi extincturus sitim. Corpori tot modis excruciato, nihil in lectulo, quo uti poterat pauperrimo, requietis dabat. Quod enim somni ei sustentando capiundum erat, sedens caputque sella nixus capiebat. Noctu semper matutinis precibus aderat, iisque absolutis, lectioni aut scriptioni, quam sibi aliisque fructuosam fore iudicaret, operam daturus in cubiculum revertebatur. Tam diligens ordinis legum custosque tam severus erat, ut coactus superiorum iussu aliquando fuerit,

paullo ut lenius in se ageret. Quum de se non demisse solum, sed contemtim etiam sentiret, praefecturas, si quas sibi oblatas videbat, vel recusabat vel vi susceptas brevi dimittebat. Antoninum Clochium, magistrum ordinis, a quo dictus generalis vicarius congregationis fuerat, a suscepta cogitatione deterruit, non confessione quidem rerum, quibus sese impediri arbitrabatur, his enim non moveri magistrum noverat, sed precibus. Paroeciam s. Marci annis ipsis 50 incredibili constantia, fide, misericordia in pauperes administravit. Quod munus ut maiore cum fructu obire pergeret, magnis principum virorum largitionibus adiutus est. Itaque pauperum pater est appellatus. Cum in gravem incidisset morbum, multique, quibus opem attulerat ad eum lacrimantes venissent, paucisque post diebus convaluisset, fuerunt, qui precibus pauperum fuisse ei sanitatem restitutam confirmarent. Augendo amplificandoque cultui divino operam imprimis diligentem dedit. Quare ut Christi servatoris corpus splendidiore apparatu ad infirmos deferri populoque ad adorandum proponi posset, nobilium hominum, qui rem curarent, instituit societatem. Annos natos 91 migravit de vita, v. idus martias anno 1750. Exteri, ut inferri defuncti corpus in templum cognorunt, accurrerunt, dederunt oscula manibus, resciderunt vestes atque sibi inde, religionis ergo lacinias sumserunt. Benedicto XIII. annuente edidit Romae primum, tum Florentiae dissertationem, cuius haec est inscriptio : « Dissertatio. An viatica communio private infirmis administrari valeat, breviter disposita et ordinata ab anonymo ordinis praedicatorum, non tam parochis, quam ad augendam devotionem erga sanctissimam eucharistiam perutilis. Iam Romae ex commissione ss. domini nostri Benedicti XIII. in lucem edita. Romae et Florentiae an. 1726 ».

6. P. fr. Antoninus Checcaccius insigni in Deum atque in homines arsit caritate. Etsi iam inde ab adolescentia adversa valetudine conflictatus est, aliorum tamen saluti consulturus orationum de moribus et religione habendarum rationem docuit adolescentes, sacris virginibus a confessionibus aliquando fuit, atque ad extremum munus obivit magistri noviciorum. Non christianam legem modo, sed instituta quaeque ordinis tam religiose sancteque servavit, ut a minimorum quoque levissimorumque violatione summo sibi esse opere cavendum arbitraretur. Quum annis ipsis 25 phtisi laborasset, idque genus morbi incredibili aequanimitate, constantia, patientia tulisset, ut imminere sibi cognovit, quem iamdiu, videndi Dei causa, optarat, supremum diem legi sibi ab anagnoste selecta quaedam sacrarum scripturarum loca fecit. Quo tempore dici vix potest, quam suspiriis, precibus, sermone ostenderit, dissolvi sese cumque Christo manere cupere. Aetatem ad annos 55 produxit. Obiit VII. idus decembres an. 1749.

7. Soror Maria Magdalena del Nente Florentiae in monasterio s. Luciae tanta virtute animique candore insignis fuit, ut quam baptismo consequuta innocentiam est, ad extremum usque spiritum servasse integram videretur. Assidua contemplatione divinarum rerum tam expedita exercendi sese in theologicis, quas vocamus, virtutibus facultate praestitit, ut ne dimidium quidem horae praeterire, quo non eas ex animo coleret, pateretur. Christi servatoris cruciatus memoria quotidie repetens, ita afficiebatur, ut in se quidem, si minus eosdem ipsos, saltem eorum speciem quamdam transferri cuperet. Qua ex re illud cepit commodi, ut de se abiectissime iudicaret, maiorum non iussis solum, verum etiam propensioni votisque pareret, suamque semper accommodare ad voluntatem studeret Dei. Severa sibi, aliis comis mitisque erat. Aegritudines et frequentes et graves hilari animo perpetiebatur. Socias non tam sermone quam exemplo, ut in officio manerent servareque ordinis instituta pergerent, monebat. Decessit, maximo ob integritatem morum, non apud virgines modo, quibuscum vixerat, sed etiam apud Florentinos cives desiderio relicto sui.

8. Soror Maria Caecilia Orlandia, Francisci equitis Florentini filia, Florentiae in monasterio s. Luciae innocentiae, patientiae, caritatis aliorumque animi ornamentorum excelluit opinione. Quum plures coenobii praefecturam suscipere coacta esset, tanta animi fortitudine tantoque studio legum ordinis custodiendarum, ut illius opera potissimum, quam a maioribus acceperunt disciplinam, sancte retinuisse sociae videantur. Praesidum, a quibus uti mater coli solebat, nutus praeceptorum habebat loco, propterea quod in illis Deum, cui uni placere avebat, contemplaretur. Itaque siquid ab illis ex se postulari, coniectura etiam usa intelligebat, libens continuo exsequebatur. Octuagenaria XVI. kal. iulias an. 1748 diuturno morbo consumta est.

In congregatione s. Sabinae.

1. P. fr. Dominicus Caietanus Codeleoncinus Mediolanensis propagandi nominis christiani cultusque divini amplificandi studio exarsit vehementi. Itaque cum prece, contemplatione orthodoxae religionis mysteriorum, assiduitate Dei laudum in choro cum sociis celebrandarum quotidiana, flagranti in Deum atque in homines caritate, contemtu despicientiaque sui sese parasset, voluntate Antonini Bremondii, magistri ordinis, impetrata ab s. Congregatione de Propaganda Fide facultate, Mossulum ad Syros Nestorianos Christo conciliandos profectus est. Etsi annum aetatis septimum ac vicesimum vix attigerat, quod tamen excellenti ingenio doctrinaque singulari floreret, spemque non dubiam afferret fidelis operae diligentiaeque suae, eiusdem congregationis decreto vicarius et apostolicus constitutus. Quo quidem munere tanta prudentia vi-

gilantiaque perfunctus est, uti iam nostri, illius labore ac studio, magnum haereticorum numerum brevi ad ecclesiam esse reducendum confiderent. Neque eos frustrata expectatio spesque fuisset, si paullo ille longius protraxisset vitam. Nam patriarchae Nestorianorum Mossuli ad orthodoxam religionem, de qua nobis his diebus paucis est nuntiatum, accessio, secundum Deum, illius etiam sociorumque curis laborisque adscribenda est. At cum vix annos duos in apostolico munere fungendo consumsisset, longis itineribus, vigiliis, incommodis fractus, obiit pridie kalendas octobres an. 1753.

2. Fr. Dominicus Delphinus, conversus, Massae in dioecesi Ferrariensi natus, cum annos quadraginta in coenobio s. Dominici Ferrariae vixisset, nihil umquam gessit, quod non ad pietatem virtutemque exactum videretur. Quasi nihil ei cum mundo commune esset, sese totum officiis dedidit religionis. Inertis otii inimicus atque hostis fuit. Cumque plus ceteris occupatus esset, nihilo secius novos semper eosque gravissimos labores subire cupiebat. Solatium in re nulla magis quam in habendis precibus experiebatur, inque diuturna meditatione divinarum rerum. Quare positis ante aram aliquam genibus orando Christique cruciatus contemplando multis cum lacrimis magnam noctis partem traducebat. Singulari erga Christi corpus ferebatur religione. Itaque etsi indignum se eucharistica mensa ex animo profitebatur, tamen ubi ad eam accedere poterat, incredibili se gaudio expleri sentiebat. Denique ad aeternam felicitatem aspirans, meritorum plenus migravit de vita XIV. kalen. aprilis an. 1751.

3. Soror Caecilia Albericia Tridinensis cum anno tertio ac decimo aetatis ad aram Deo in s. Dominici honorem dicatam oraret, singulari numinis instinctu vocari sese ad illustre tertii ordinis sororum collegium intellexit. Superatis constantia virtuteque hostibus, qui eam ab instituta cogitatione deterrere conati fuerant, ubi se in sponsarum Christi servatoris numerum relatam vidit, curandum sibi omni ope putavit esse, ut ne quid faceret, quod suo esse instituto non omnino dignum videretur. Itaque despicientia sui afflictationibusque corporis viam sibi munire ad excellentem virtutem coepit. Quare cinere persaepe pulmenta conspergere, pectore crucem acutis clavis armatam gestare, lumbos, brachia, pedes ferreis catenulis sibi stringere. Quamobrem merita illud imprimis est, ut cum oraret, orabat autem fere continenter, incredibili iucunditate perfunderetur. Adolescentularum moribus praefecta, sermone exemploque omnes ad poenitentiae virtutisque studium incendebat. Gravissimo molestissimoque correpta morbo, cum illustria patientiae caritatisque argumenta dedisset, cupiens dissolvi et esse cum Christo, pridie nonas novembris anno 1744 diem clausit supremum.

In congregatione Veneta b. Iacobi Salomonii.

P. fr. Daniel Concina in s. Danielis provinciae Foroiuliensis oppido natus atque in Venetam nostram congregationem vigesimo aetatis anno cooptatus, colendae propagandaeque virtutis studio floruit singulari. Nam quum continenter praesentem animo gereret cogitationem rerum aeternarum, non solum vitae suae graviter sancteque moderabatur, sed homines etiam reliquos et scribendis libris, quos complures edidit, et assiduis concionibus, virtutis amore incendere conabatur. Quo in munere tanta cum laude est versatus, ut ab illustrioribus Italiae civitatibus certatim evocaretur, et amplissima saepe templa non caperent multitudinem auditorum. Ab honoribus maxime alieno fuit animo, disciplinae autem ordinis imprimisque parcitatis in omni genere studiosissimus, laborum vero sic patiens, ut supra fieri nihil posset. Tali modo quum novem et sexaginta vixisset annos perpetuoque fecisset, quae docuerat, anno denique 1756 x. kal. martias, eximiis editis exemplis virtutum, aequo placidoque animo decessit.

Finis.

PATRES VOCALES CAPITULI GENERALIS ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM ROMAE CELEBRATI ANNO MDCCLXXVII. DIE XVII. MAII, PRAESIDE SS. D. N. PAPA PIO VI., QUA DIE ELECTUS EST MAGISTER ORDINIS LXV. R.MUS P. FR. BALTHASAR QUIÑONES, S. THEOL. MAGISTER ET PROVINCIALIS TERRAE SANCTAE.

Em̃us et rm̃us d. fr. Ioannes Thomas, tituli s. Sixti S. R. E. presbyter cardinalis de Boxadors.

Reverendi admodum patres provinciales:

p. fr. Angelus Molinos mag. provincialis Hispaniae,
p. fr. Iacobus Bourgez sac. theol. prof. provincialis provinciae Tolosae,
p. fr. Franciscus Nicolaus Covard s. theol. doct. provincialis Franciae,
p. fr. Paulus Vincentius Ioannini mag. provincialis utriusque Lombardiae,
p. fr. Thomas Buoninsegni mag. provincialis provinciae Romanae,
p. fr. Antonius Maria Califano mag. provincialis Regni,
p. fr. Hyacinthus Danterlau mag. provincialis Hungariae,
p. fr. Raymundus Molenski mag. provincialis Poloniae,
p. fr. Dominicus Vincentius Bertucci mag. provincialis Daciae,
p. fr. Vincentius Maria Balsarini mag. provincialis Graeciae,

p. fr. Balthasar Quiñones mag. provincialis Terrae Sanctae, qui electus est magister ordinis,
p. fr. Franciscus Ruiz mag. provincialis Aragoniae,
p. fr. Ignatius Swietetzky mag. provincialis Bohemiae,
p. fr. Franciscus Davin s. theol. doct. mag. prov. provinciae Provinciae,
p. fr. Antoninus Presti mag. provincialis Trinacriae,
p. fr. Salvator Maria Roselli mag. provincialis Scotiae,
p. fr. Felix de Alcantara mag. provincialis Bethiae,
p. fr. Nicolaus Dominicus Falieri mag. provincialis Apuliae,
p. fr. Dominicus Maria Gapofeno mag. provincialis Calabriae,
p. fr. Martinus French praesentatus provincialis Hiberniae,
p. fr. Ioseph Georgius de Alfax et Acevedo praes. prov. de Mexico,
p. fr. Leo Dominicus Ducrabon s. theol. doctor provincialis Occitaniae,
p. fr. Thomas M.ª Vecchio praed. gen. prov. Nexsciovanensis in Armenia,
p. fr. Petrus Rivas mag. provincialis s. Hippolyti Martyris de Oaxaca,
p. fr. Hyacinthus Abbiati mag. provincialis s. Petri Martyris,
p. fr. Ludovicus de Gregorio baccalaureus provincialis Aprutii,
p. fr. Casimirus Wilamowski mag. provincialis Russiae,
p. fr. Aloysius Bukowski mag. provincialis Lithuaniae,
p. fr. Ferdinandus de los Rios praes. prov. s. Michaelis et ss. Angelorum,
p. fr. Antoninus Serra mag. provincialis Sardiniae.

Reverendi admodum patres diffinitores:

p. fr. Franciscus Cenxor mag. dif. Hispaniae,
p. fr. Hyacinthus Bel s. theol. doct. dif. Tolosanus,
p. fr. Georgius Garnier s. theol. doct. dif. Franciae,
p. fr. Angelus Dominicus Pescetti mag. dif. utriusque Lombardiae,
p. fr. Iacobus Bodchin mag. dif. provinciae Romanae,
p. fr. Vincentius Maria Zaretti mag. dif. Regni,
p. fr. Colomanus Eismann mag. dif. Hungariae,
p. fr. Ioannes Evangelista Stobieschi mag. dif. Poloniae,
p. fr. Vincentius Balaguer mag. dif. Aragoniae,
p. fr. Casimirus Hieber mag. dif. Bohemiae,
p. fr. Pascalis Vincentius Barrachin s. theol. doct. dif. provinciae Provinciae,
p. fr. Ludovicus Marullo mag. dif. Trinacriae,
p. fr. Sebastianus Diaz mag. dif. Bethiae,
p. fr. Iosephus Maria Elefante mag. dif. Apuliae,
p. fr. Thomas Catalano mag. dif. Calabriae,
p. fr. Raphael de Miranda praesentatus dif. s. Crucis Indiarum,
p. fr. Hieronymus Camps mag. dif. s. Iacobi de Mexico,
p. fr. Vincentius Navas lector dif. s. Vincentii de Chiappa,

p. fr. Hyacinthus Antonius de Buenaventura mag. dif. s. Antonii de Novo Regno,
p. fr. Ludovicus Audovi s. theol. doct. dif. Occitaniae,
p. fr. Iosephus Maria Mariani mag. dif. Venetiarum,
p. fr. Sebastianus Valverde praesentatus dif. ss. Rosarii Philippinarum,
p. fr. Emmanuel Sanz mag. dif. s. Hippolythi de Oaxaca,
p. fr. Vincentius Riveri mag. dif. s. Petri Martyris,
p. fr. Vincentius Antonius Capponi mag. dif. Aprutii,
p. fr. Onofrius Lykievicz mag. dif. Russiae,
p. fr. Dionysius Terrasse sac. theol. doct. dif. provinciae Parisiensis,
p. fr. Ludovicus Chrincevicz mag. dif. Lithuaniae,
p. fr. Iosephus Perdomo lector dif. Canariarum,
p. fr. Ioannes de Azevedo dif. prov. s. Michaelis Archangeli et ss. Angelorum,
p. fr. Claudius Valee s. theol. doct. dif. s. Ludovici,
p. fr. Vincentius Guiso praesentatus dif. Sardiniae.

Reverendi admodum patres electores:

p. fr. Franciscus Mieres mag. elector Hispaniae,
p. fr. Philippus Clappiers s. theol. prof. elector Tholosanus,
p. fr. Carolus Dominicus Salvaneschi mag. elector utriusque Lombardiae,
p. fr. Ioseph Maria Gentili s. theol. prof. elector provinciae Romanae,
p. fr. Vincentius Maria Telese exregens elector Regni,
p. fr. Petrus Greiget mag. elector Hungariae,
p. fr. Thomas Hendel praesentatus elector Poloniae,
p. fr. Dalmatius Armendariz mag. elector Aragoniae,
p. fr. Ioannes Bain s. theol. doctor elector provinciae Provinciae,
p. fr. Dominicus Corvaja mag. elector Trinacriae,
p. fr. Ferdinandus del Portillo lector elector Bethiae,
p. fr. Ioseph Maria Novelli mag. elector Apuliae,
p. fr. Reginaldus Politi magister elector Calabriae,
p. fr. Didacus Sarolongo lector elector s. Crucis Indiarum,
p. fr. Carolus O'Kelli mag. elector Hiberniae,
p. fr. Ioannes de Deo Cordova praesentatus elector s. Iacobi de Mexico,
p. fr. Iacobus Mañalich mag. elector s. Hippolythi Martyris de Oaxaca,
p. fr. Pius Franciscus Sessa mag. elector s. Petri Martyris,
p. fr. Placidus Sammartino regens elector Aprutii,
p. fr. Franciscus Blikovscki praesentatus elector Russiae,
p. fr. Nicolaus Desboulais s. theol. doct. elector provinciae Parisiensis,
p. fr. Gaspar Sulc lector elector Lithuaniae,
p. fr. Ioseph Rian lector elector Canariarum,

p. fr. Sanctius George s. theol. prof. elector s. Ludovici regis,
p. fr. Antoninus Pinto s. theol. prof. elector Sardiniae.
Omnes sunt n. 88.

Acta capituli generalis Romae in conventu s. Mariae super Minervam provincialium et diffinitorum die 17. maii 1777 sub rm̃o patre fr. Balthasare de Quiñones, ordinis praedicatorum generali magistro, ea die in eodem capitulo electo.

In nomine ss. et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti necnon b. Mariae semper virginis et beati Dominici p. n. atque omnium sanctorum.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, ss. d. n. Pium pp. VI. die 13. novembris 1775, in consistorio secreto gravissimam familiaeque nostrae honorificentissimam de fortissimorum virorum Hyacinthi Castanedae Hispani et Vincentii a Pace Tunquinensis, ordinis nostri, missionariorum apostolicorum in regno Tunquini, glorioso pro fide certamine pretiosaque morte allocutionem habuisse, atque ut novum singularis, multisque iam rebus perspectae dilectionis in nos suae testimonium exhiberet, rm̃um p. fr. Ioannem Thomam de Boxadors, qui ordini a viginti fere annis incredibili vigilantia paternaque in omnes caritate praeerat, in augustissimum S. R. E. cardinalium collegium summa catholicorum omnium regum, quibus propter generis nobilitatem egregiasque animi dotes acceptissimus et fuit et est, approbatione cooptasse; ab eoque insuper generale magisterium sanctitatis suae et apostolicae sedis beneplacito duraturum retineri voluisse. Quorum quidem tam illustrium in nos pontificis optimi maximi beneficiorum recordatio, ut mentibus nostris infixa perpetuo maneat nec ulla unquam, dum ordo consistet, oblivione deleatur, commemoratam allocutionem ab em̃o et rm̃o d. fr. Ioanne Thoma de Boxadors, tituli s. Xisti S. R. E. cardinali presbytero, tunc magistro ordinis, ad singulas provincias missam ac pluries typis impressam hoc rursus loco describimus.

Allocutio habita in consistorio secreto die 13. novembris 1775 de pretiosa morte Hyacinthi Castaneda Hispani et Vincentii a Pace Tunquinensis, ordinis praedicatorum, missionariorum apostolicorum in regno Tunquini, adiuncta promotione em̃i et rm̃i d. S. R. E. cardinalis Ioannis Thomae de Boxadors, dominicani ordinis magistri generalis.

Venerabiles fratres.

Placuit patri misericordiarum et Deo totius consolationis maximum angustiis nostris levamen afferre. Meminisse vos, venerabiles fratres, non

dubitamus, quanta formidine animique trepidatione gravissimum pontificiae dignitatis onus, in hac tanta praesertim temporum perversitate adsumeremus. Verum, divina promissione excitati, cum pro nobis atque ecclesia sua pugnaturum, qui maior semper est ad protegendum quam diabolus ad impugnandum, inter tot malorum pericula, inter anxietates et amaritudines, Deo confortante, animo non concidimus, scientes, mundi huius hospitium tristitia et lacrymis esse refertum, nec posse accipi dolorum et passionum coronam, nisi praecedat in dolore et passione constantia. Illius beneficio, ad cuius nutum tempora obsequuntur, elementa famulantur, vidimus insperato copias grandescere messium, exuberare pomis arbusta, fructibus oliveta redundare, atque ita nobis temporalis vitae impertiri subsidia. Quanto magis, etsi irruant, aggrediantur undique hostes vineam Domini, ipse custodiet eam, ut stabilis et immota sit fides nostra, fundata super firmam petram, tamquam sponsa innixa super dilectum suum.

Huius patrocinii repromissionem nuper accepimus a Domino, qui intuens catholicam religionem innumeris agitari turbinibus, suscitavit in regno Tunquini viros fortissimos et caritate fervidos, ut proprio sanguine de communi hoste insigniter triumphantes, novis coronis ecclesiam decorarent. Hoc est, quod magna nos replet iucunditate, venerabiles fratres, hoc in tanto caritatis languore tantaque morum corruptione praeclarissimum est beneficium ecclesiae collatum; hoc ipsum vobis gaudentes annuntiamus, ut sitis nostrae laetitiae participes.

Litteris ven. fratris Iacobi, episcopi Hierocaesariensis, vicarii apostolici in regno Tunquini, nuntiatum est congregationi nostrae de Propaganda Fide, missionarios duos ex praedicatorum ordine, sacrum apostolatus munus ibidem obeuntes, captos ac detentos catholicam fidem in regis conspectu invicto animo professos esse, ac pro ea ludibria et cruciatus perpessos, demum vitae contemptores, mortis triumphatores cervicem intrepide carnifici praebuisse. Eorum alteri nomen erat Hyacintho Castaneda, natione Hispano, alteri Vincentio a Pace, Tunquinensi.

Prolixam episcopi Hierocaesariensis narrationem breviter vobis in praesentia referemus. Cum quinque annos Hyacinthus in Tunquino intra assignatos sibi fines in verbi Dei praedicatione, in audiendis confessionibus ac in animarum salute satagenda versatus esset, die 11. iulii anni 1773, administratis infirmo sacramentis, domum rediens, ab infideli homine suorum cohorte stipato, ipsum insequente, comprehensus ac biduo cibi potusque expers, huc atque illuc pertractus ad progubernatorem adducitur. Magna vis auri ob eum redimendum postulabatur, quam nemo christianorum posset persolvere. Proinde in arondineam caveam coniicitur, tam arctam ac depressam, ut nec standi nec cubandi locus esset. Non diu

post captus etiam Vincentius a Pace non dissimili immanitate, simili cavea inclusus est. Hunc in modum ambo in regiam civitatem deducuntur, atque ut palam omnibus esset, cur illi detinerentur, cuique caveae inscribitur grandioribus litteris causa: « Lusitanorum legis magister », id est praeceptor legis Dei et evangelicae doctrinae. Ad regem ipsum deducti ac interrogati respondent, summi Dei legem gentibus a se annuntiari, ut eidem illi famulantes in immortali vita glorificarentur. In hac una re satis inesse criminis putatum est, ut ipsi capitali sententia et supplicio addicerentur. Quo animo operarios evangelicos haec audientes fuisse, quid dixisse aut egisse, arbitramini? Iesu Christi imaginem Hyacinthus manu elevans, eius divinitatem et incomparabilem erga homines caritatem alta voce depraedicans, peccatorum veniam exposcens, flagrantissimi erga Deum amoris actus eliciens, apostolorum symbolum distincte pronuntians, beatissimae virginis sub invocatione rosarii praesidium implorans, 7. die novembris praedicti anni 1773, tamquam ovis, quae a lupo devoranda non gemit, non clamat, non queritur, sed tacens mortem expectat et dentibus cedit voracitatis, capite truncatus est. Vincentio in eadem causa versanti oblata erat opportunitas feralem sententiam evadendi; regni enim leges solum missionarios europaeos, non autem indigenas supplicio afficientes decernebant; iamque nonnulli ipsius causam iterum agi ac recognosci postulabant. Ipse tamen sociae mortis aemulatione incensus atque invicto animo absistens, ut communem cum Hyacintho habebat causam, ita parem sententiam habere et pro Christo mori cupiens, eodem mortis genere eademque die apostolatus sui cursum gloriose consummavit.

Confertissimum christianorum agmen, qui spectaculo intererant, exemplo Tobiae, qui plus Deum timens quam regem, occisorum rapiebat corpora et mediis noctibus sepeliebat, missionariorum cadavera collecta in ecclesia pagi Liulineh pio ritu tumularunt. Rex ira concitatus, efferatam contra christianos publico edicto persequutionem indixit, qualem sub Romanis principibus describit s. Hieronymus, unde carceres oppleti, pecuniae extortae, templa destructa, domus eversae, christianorum secessiones ad antra, omnes tamen, devicta temporis adversitate, fame, periculis contemptis, galea salutis induti, cuncta superabant propter eum, qui dilexit nos.

Dum haec legeremus, consolationis lacrymis gratisque singultibus opprimebamur, videntes, quod nostrae fidei veritas, quo magis effundi contenditur, eo lucidioribus radiis illustratur. Quae de utroque Christi pugile ex hactenus allatis litteris annuntiamus, plane indicant, odio in catholicam religionem adductum fuisse tyrannum ad religiosissimos viros perimendos, eosque pro orthodoxa fide ad mortem pertulisse; ex quo rite consequitur, ex aequali causa, ex aequali supplicio aequalem consummati martyrii palmam esse ab utroque reportatam.

Hoc fortissimorum hominum trophaeum in memoriam nobis revocat prisca illa tempora, quibus Christi fides, cum per orbem terrae pullulatura foecundius innumerorum pene martyrum sanguine sereretur, in Sinarum imperium, cuius ferunt olim Tunquinum fuisse provinciam, vel ante Nestorianam infectionem pervasit, laetamurque in Domino vehementer, neque hodie deesse homines divites in virtute, qui effuso sanguine eamdem fidem illic instaurare contendunt. Scimus item, alios plures inventos esse, qui non multis abhinc annis magna hac martyrii laude praestiterunt; sed Hyacinthi et Vincentii laus eo est utilior et fructùosior, quod sua corona, plurimis aliorum martyrum coronis addita, non solum longinquis iis partibus profuerunt, sed nostris etiam regionibus prodesse maxime valent, in quibus hodierna aetate christiana fides virulentis doctrinis impetitur.

Quidquid contra nitantur catholicae professionis aggressores, intelligant sane vel inviti, necesse est ad caetera nostrae fidei certitudinis argumenta magnum eccedere robur ex martyrum virtute et in moriendo alacritate. Quomodo enim ad martyrium ultro plures accurrissent, quam quibus interimendis sufficeret ipsa saevientium immanitas? Quomodo genere atque honoribus praestantes, divitiis et vitae commodis affluentes ad supplicia convolassent? Quomodo fuissent tot virgines impavidae, adolescentes intrepidi, rudes invicti, tortores conversi, nisi Deus legitimae veritatis causa certantibus in adspectabili ratione adveniens, martyrii peregisset cursum, ut qui solus sensum atque naturam vincere possit? Idcirco iure ac merito sancti patres docuerunt per martyrium discere homines Christo credere, ambigentes confirmari, religionem defendi, ecclesiam roborari.

Quapropter quanto acriori extiterunt adversariorum impetus, tanto palma ex ferocientibus tyrannis reportata, aliae ex aliis uberiori semper germine pullularunt. Illustris de hoc est Sulpicii Severi sententia: Dum omnis, inquit, fere orbis sacro martyrum cruore infectus erat, certatim gloriosa in certamina ruebatur; multoque avidius tunc martyria gloriosis moribus quaerebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Consonae sunt patrum adsertiones; comprobant idipsum sacra monumenta; apostolicarum missionum propagatio confirmat.

Utinam igitur nostrorum martyrum documento saeculi huius sapientes falsis renuntient opinionibus, sicut illi pro fidei veritate vitae renuntiarunt, et dum eos sequi non possunt per supplicia, sequantur per virtutem. Utinam intimo corde recogitent, quod dum martyres nobis fidem veram duro agone commendant, afflictionem praecedentium, instructionem Deus efficit posterorum; illos examinat, ut nos erudiat, illos conterit, ut nos acquirat, eorumque cruciatus nostros vult esse profectus.

Postquam haec vobis ingenti animi gaudio commemoravimus, opportunum esse arbitramur iucunditatem nostram, non solum enuntiatione, sed publica etiam significatione expromere. Idcirco cogitationem nostram convertimus ad praeclarum praedicatorum ordinem, omni commendatione dignissimum, a quo, quemadmodum duo praelaudati alumni huic nostrae allocutioni iucundissimum argumentum praebuerunt, ita alii quamplurimi sanctitate, doctrina, dignitate praestantes, iamdudum nostram excitarunt devotionem, ut illius nomen assumeremus, qui dominicanae familiae simul et apostolicae cathedrae gloriam amplificavit. Ut igitur singularis nostrae benevolentiae erga eundem ordinem testimonium exhibeamus, eum purpura decorare statuimus, qui a viginti ferme annis tanta illi praeest cum laude, ut nullius incongruae voluntati deserviverit, magistrum nempe Ioannem Thomam de Boxadors; a quo insuper retineri volumus generale magisterium, nostro et sedis apostolicae beneplacito duraturum, perinde ac a praedecessoribus nostris actum fuit in promotione cardinalium Caietani, Iustiniani, Gallamini et Pipiae, qui omnes simili honore decorati in generalitio praedicatorum magisterio una cum cardinalatu perstiterunt.

Praeterea ut animi nostri laetitiam quisque cumulatius comprehendat, declarare intendimus, duos alios collegas vestros, quos in pectore reservavimus in consistorio secreto habito die 17. iulii currentis anni, alterum Franciscum Mariam Banditi, archiepiscopum Beneventanum, alterum vero Ignatium Boncompagni, prolegatum Bononiae. Habemus in primo egregia merita in gesto episcopatu Montis Falisci et in generali praefectura sui ordinis clericorum regularium, a quibus collegium vestrum habuit cardinales non minus pietate, quam litterarum scientia conspicuos, et catholica religio operarios, qui in remotissimis regionibus orthodoxam fidem disseminarunt. Splendent in alio vividum ingenium, agendi robur, ut merito sperandum sit, quod aemulator fiat virtutum insignium eius propinquorum, praesertim utriusque Gregorii XIII. et XV. ac Alexandri VII. de hac apostolica sede ac Romana curia optime meritorum. Atque id coniicere iam nunc possumus ab assiduo et plane feliciter impenso ab ipso studio in exsiccatione paludium Bononiensium, permagni quidem momenti opere; quod nos impulit, ut iampridem declararemus, nos illi veniam non daturos, ut ab incoepto, etiam post adeptum cardinalatum, desisteret, quo magis in dies de nobis benemereri possit.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, ss. apostolorum Petri et Pauli ac nostra declaramus S. R. E. presbyterum cardinalem Franciscum Mariam Banditi et diaconum cardinalem Ignatium Boncompagni; insuper creamus presbyterum cardinalem Ioannem Thomam de Boxadors cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis, et praesertim quod constitutiones, de-

creta, leges, usus et consuetudines in ordine praedicatorum vigentes non obstent praefato cardinali Ioanni Thomae in prosequutione magisterii generalis eiusdem ordinis, ut prius. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

2. Denuntiamus, emum et rmum d. d. fr. Ioannem Thomam de Boxadors, tituli s. Xysti S. R. E. presbyterum cardinalem et magistrum ordinis, annuente ss. d. n. Pio VI. die 3. iulii anni 1776 capitulum generale electivum magistri ordinis, qui ipsum in munere subsecuturus esset, ad diem 17. maii, quae futura erat pervigilium Pentecostes anni 1777, Romae habendum indixisse, datis ad singulos, quibus in electione magistri ordinis ferendi suffragii ius erat, encyclicis litteris, quas subiicimus.

In Dei filio sibi dilectis reverendis adm. patribus provincialibus, diffinitoribus generalibus et electoribus in capitulo generali ordinis praedicatorum fr. Ioannes Thomas de Boxadors, tit. s. Xysti S. R. E. presbyter cardinalis et eiusdem ordinis humilis magister generalis et servus, salutem.

Quam effusa in ordine fratrum praedicatorum, imo et in nosmetipsos, qui imparibus meritis eidem ordini iam inde ab annis viginti praesumus, ss. d. n. Pii, divina providentia papae VI. sit dilectio, ab unde satis vobis licuit pernoscere ex egregia illa allocutione, quam habuit in consistorio secreto die 13. novembris superioris anni 1775, cum ordinem nostrum in ipsa amplissimis laudibus ornaverit, gloriosum pro fide certamen alumnorum eiusdem Hyacinthi nempe Castaneda Hispani, et Vincentii a Pace, Tonquinensis, triumphali morte perfectum mirifica commendatione enuntiaverit, tandemque Nos prorsus immerentes S. R. E. presbyterum cardinalem creaverit, insuper voluerit a Nobis retineri generale magisterium, sanctitatis suae et sedis apostolicae beneplacito duraturum. Tam praeclarae pontificis O. M. benevolentiae significationes, ut nemini vestrum laterent, continuo curavimus, missis ad singulas ordinis provincias commemoratae allocutionis exemplaribus, quibus nihil a Nobis addendum esse duximus, rati, quidquid de nostro adiiceretur, vim, pondusque verborum tanti pontificis minuere certe posse, aequare autem nullo modo posse.

Nunc vero iam ratio officii nostri postulat, ut recordationem, nunquam interituram tam singularis benignissimi principis in Nos amoris atque voluntatis, ut vires nostrae ferunt, grato libentique animo exultantes, quae impraesentiarum ad ordinem pertinent, cuius cura adhuc Nobis commissa est, vobis hisce litteris significemus.

Itaque ad praescriptum constitutionum nostrarum, sectantes exempla maiorum, qui, ut Nos, cardinalatus dignitate decorati illud integrum in

primis servari voluerunt, annuenteque ss. d. n. Pio VI. capitulum generale electivum magistri ordinis, qui Nos in munere subsequuturus est, ad diem 17. maii, quae erit pervigilium Pentecostes proximi sequentis anni 1777, indicimus et denuntiamus. Locus autem, in quo praedictum capitulum habendum erit, quo Nobis cum ob ingravescentem iam aetatem, tum ob alia, quibus distinemur, negotia facilior sit copia, decessuris a diuturno munere, amplexu paterno suscipiendi quotquot ex filiis ordinis ad comitia convenerint eisque coram nonnulla, quae longo usu et experimento ad utilitatem ordinis plurimum conducere cognovimus, uberius, quam per epistolas datur, exponendi urbem Romam auctoritate officii nostri, probante etiam pontifice summo, designamus.

Ad hanc ergo almam urbem et opportuno tempore veniant, singulis, quibus ius suffragii est in electione magistri ordinis, edicimus, volumusque, ut, si aliquis gravi ex causa, ne accedat ad comitia, impediri se arbitretur, quibus iuxta leges ordinis fas non est, ut conciliis intersint, vetamus Urbem adire vel ad eam accedere, nisi si quae ad id eos compellat necessitas, quae a Nobis tamen prius dignoscenda est et probanda. Qui vero prudenter existimaverint, e re ordinis esse aliquid comitiis significandum, id sat facile praestare poterunt litteris commendatis propriae provinciae diffinitoribus, qui illas patrum iudicio subiicient. Quae autem provinciarum nomine proponenda vel petenda fuerint, ex auctoritate signoque cuiusque provinciae, ut sint munita, iubemus.

Curent diligenter provinciarum et congregationum praesides, ut in singulis conventibus et monasteriis eo fundantur ad Deum preces, quae a constitutionibus ordinis praescriptae sunt causa capituli generalis, quibusque fortunatum iter et reditus convenientibus ad ipsum faustusque rei universae exitus imploretur.

His ita constitutis, iam non est, dilectissimi filii, quibus concredita est electio novi magistri ordinis, cur multis vos monemur. Quanti ordinis intersit opus, quod perfecturi estis, probe, ut arbitramur, intelligitis.

Agitur de eligendo in primis viro iis ornato dotibus, quibus tam sancte, prudenter feliciterque praedicatorum, qua late patet, familiam moderetur, ut universae christianae reipublicae, quae ex eadem familia proficisci possunt, commoda cuncta, incommoda nulla obveniant. Agitur praeterea de iis sive confirmandis sive statuendis, quibus mala, quae in ordinem hominum infirmitate irrepserint, tollantur, pristinaque virtutum exempla restituantur. Agitur etiam de fovendo roborandoque in alumnis ordinis sacrarum disciplinarum, praesertim s. Thomae Aquinatis germanae doctrinae studio, quam quo sanctius coluerimus, eo nos utilius ecclesiae catholicae, cuius exigua portio sumus, amplificationi et gentium

omnium saluti servituros fore putamus. Quo animo comparati par est, ut conveniant, qui ad res tantae molis gerendas vocati sunt, ipsa rerum magnitudo vos admonet. Nullum privatum studium, nulla proprii commodi spes, sed solus recti bonique amor, unumque desiderium meliora atque opportuniora faciendi vos incitare movereque debet. Id si praestiteritis, singuli, quod certe nobismetipsis a vobis pollicemur, facile concordia accedet animorum, cum omnes ad unum eumdemque scopum contenderitis. Id a vobis expectat ordo etiam universus per tot dissitas regiones diffusus, quasi oculos coniectos in vos habens, quibus et salutem et pacem et felicitatem suam commisit.

Accedite ad Urbem, carissimi filii, accedite ad patrem, qui vos peramanter praestolatur. Utinam et incommoda longi itineris, quod felix faustumque adprecamur, vobis levare possemus; quamvis haud dubitemus, eos esse vos viros, quos consideratio utilitatis, ob quam illa sustinetis, abunde soletur. Id interea vobis promittere non veremur, nullum vobis, cum ad Urbem perveneritis, humanitatis, charitatis, sed et amicitiae in vos nostrae officium esse defuturum.

Verum et longe maioris profecto solatii, imo et gaudii vobis occasio erit, conspectu frui suavissimo clementissimi et ss. d. n. pontificis Pii VI., qui quam impense nos omnes diligat, tot acceptis singularis benevolentiae pretiosis pignoribus iam experti estis; cuique una mecum obsequentis, grati perpetuoque devincti animi demissas, quamvis impares, vobis datum erit rependere significationes. Valete, nostri sociorumque memores in sacrificiis et precationibus vestris.

Datum Romae in conventu nostro s. Mariae super Minervam die 3. iulii anni 1776.

Fr. Iohannes Thomas
cardinalis de Boxadors, magister ordinis.

3. Denuntiamus, ad praefinitam diem 17. maii ss. d. n. summa, qua in nos est, clementia, ut comitia nostra maiestatis suae praesentia decoraret atque electioni magistri ordinis praeesset, mane ad hoc coenobium splendido nobilique cardinalium ac procerum comitatu venisse, aulamque habendae electioni designatam ingressum, ibi ex pontificio throno tot tamque insignibus laudibus praedicatorum institutum atque angelici praeceptoris s. Thomae Aquinatis doctrinam celebrasse, ut nihil magnificentius dici potuisse videatur. Quamobrem, ut aliquam saltem debiti officii partem, grati animi testificatione, optimo principi et pontifici benemerentissimo persolvamus, hanc quoque eius allocutionem, quae tantum patribus universis laetitiae voluptatem attulit, quantam adeo praeclaram principis apostolorum successoris et supremi catholicae ecclesiae

capitis de nostro ordine et de s. Thomae doctrina debuit afferre, horum comitiorum actis inserendam et commendandam memoriae hominum sempiternae ducimus.

Ss. d. n. Pii papae VI. allocutio, habita in comitiis generalibus fratrum ordinis praedicatorum in conventu s. Mariae super Minervam celebratis in pervigilio Pentecostes xvii. kal. iunii 1777.

Gravissima hodie, dilecti filii, deliberatio est vobis demandata, cum ex praeelecta a dilecto filio nostro Ioanne Thoma de Boxadors magisterii ordinis vestri dimissione eligendus sit, qui locum ipsius impleat, ut dominicanae familiae praesideat. Rei magnitudo postulat, ut nonnulla ex praedecessorum nostrorum instituto proferamus; sed prius tantisper ab argumento digrediemur ad eam exprimendam iucunditatem, qua vehementer afficimur, verba facientes in loco, ad quem vix Romam adolescentes advenimus, gressus nostros direximus, et quem plurium annorum spatio frequentavimus, prout a nobis incoeptum vitae curriculum exposcebat. Recreat Nos sane huius aulae conspectus, hi plutei, codices, volumina, quae provectionum nostrarum exordia nobis compararunt; sed grati animi sensus minime patitur a nobis praeteriri, non parum nos, si quid tum profecimus, debere humanitati dilecti filii Pii Thoma Schiara, meritissimi congregationis Indicis secretarii, qui tunc in praefectura insignis huius bibliothecae omni officiorum genere studia nostra fovit et comprobavit. At ad propositum redeuntes, non minus laetamur nos coram alloqui selectiores scholae dominicanae alumnos, quos ex sacris litteris et ex sanctorum sui ordinis doctrinis hausisse certum habemus, quidquid in hoc praecipuo negotio agere oportet. Et profecto quantopere referat, ut iudicia vestra in eum dirigatis, qui omnium aptissimus sit et clarioribus virtutibus emineat, suasum vobis propterea esse debet, quod ad supremum magisterium electus nullo unquam suae vitae tempore ab eo decidit, quodque familiae praeesse debet, cui ab illa, quam semper complexa est, erga ecclesiam universam devotione et praesidio non solum recedere, sed vel elanguescere nefas esset. Ideo vestrum nos ordinem ob praeclara ipsius merita et laudes peculiari semper benevolentia dileximus et eximio animi sensu prosecuti sumus, ut plures, qui inter vos hic versantur, testari possint; quod quidem satis esse putamus, ut a prolixiori laudis genere abstinendum nunc sit, postquam huic studio erga eumdem ordinem cumulate, iam satisfecerimus cum verbis, tum rebus ipsis, allocutione nimirum illa, qua coram venerabilibus fratribus S. R. E. cardinalibus significavimus praetiosam mortem sodalium vestrorum Hyacinthi Castañeda et Vincentii a Pace, simulque praesentem hunc generalem magistrum vestrum purpurae honore liberaliter decoravimus. Ex ipsis allocutionis, typis editae, exemplis, quae ad singulas vestras pro-

vincias laudatus cardinalis transmisit, percipere potuistis, quanti familiam vestram faciamus, quantaque sit in eamdem propensio nostra; sed hanc uberius vobis expromere non possumus, quam hoc ipso, quod hisce comitiis vestris interesse voluimus, ac vos serio cohortari ad opus recte perficiendum, pro quo in unum convenistis. Sciamus equidem, vos zelo et doctrina praestare ac, ut innuimus, ignota vobis non esse praecepta, quibus gravissimum hoc negotium pertractetur et feliciter compleatur. Tamen scientibus etiam legem loqui et secundis ventis navigantes impellere opportunum et fructuosum esse, semper fuit existimatum. Verum prae omnibus summopere ad rem pertinet, ut vobis aperiamus, pro nullius Nos misceri persona, nec alium prae alio fore magis acceptum, nullius partes nos suscipere, nullius virtutes deprimere nec merita extollere. Ab hac animi affectione sicuti constanter abhorruimus, ita hoc praesertim accessimus, ut vestram magis asseramus libertatem et arbitrium tueamur. Ita tamen hoc uti debetis, ut omni excussa aut propensione aut aversione, metu, perturbatione et privatae utilitatis respectu, ministerium, quod in domino accepistis, implere satagatis ad perfectam sanctitatis disciplinam et ad communem vestri ordinis incrementum, ecclesiaeque utilitatem. Quoniam nihil potest esse utilius singulis, quam quod est utile universis. In eum itaque cogitationes vestras intendite, quem nullo ambitionis indicio praeoccupatum considerastis; nam ambitiosus sibi uni credit, caeteraque omnia negligit et conculcat, et similis est alteri ex vocatis ad coenam magnam, qui dixit, se emisse villam, antequam eam videret et priusquam onera, labores, difficultates exploraret, ut nimirum illam incolentibus dominaretur et agri colonis imperaret. Utinam qui primos appetunt accubitus, intelligerent, quam sit arduum et onerosum aliis mandare, aliis tribuere, aliis negare et pro omnibus vigilare; nam tum profecto nonnisi inviti et reluctantes ad honores raperentur! Hoc apprime agnovit beatus pater vester, qui iussu pontificis Honorii III. adductus, ut praeesset ordini a se instituto, vix elapso unius anni cursu, enixe rogavit fratres suos, ut se a suscepta praefectura abdicare permitterent, nec sine eorum lacrymis victus a sententia recessit.

Interest praeterea quam maxime, ut industriam omnem conferatis in perscrutando minimeque dubii sitis, ut, quem caeteris praeferre iudicabitis, velit in scholis custodiri germanam doctrinam angelici vestri magistri neque, seu ingenii elevatione aut nimio contentionis amore vel ambitione triumphi, propensus sit ad alienas sententias et opiniones, quae placeant partibus, ad quarum studium etiam leviter praesumpsit adhuc inclinare. Hic omnino esset gravi malo culpandus, ut protinus repudietur. Inter multiplices scholas Thomas Aquinas, sol doctrinae et theologorum antesignanus iure fuit appellatus, cum nihil, nisi e sacrarum

litterarum patrumque consensu afferat, ac quidquid scripsit, meruerit, ut pie fertur, divina voce confirmari; proindeque praedecessores nostri eximiis praeconiis commendarunt tamquam christianae religionis clypeum, firmumque ecclesiae praesidium, ac novissime Benedictus XIV., cuius sapientiae intimi admiratores fuimus, thomisticam doctrinam restitui iussit in collegio s. Dionysii Areopagitae Montis Jllipulitani extra civitatem Granatensem, proposita sacrorum interdictionis poena cuicumque, qui ab ea recessisset (1).

Incumbite igitur ac suffragia vestra dirigite in eum, de quo haud incertum sit, an a maiorum vestrorum studiis non abscesserit, an in hodierna doctrinae depravatione in tanta ecclesiasticae disciplinae perturbatione ac pene interitu, neque indulturus neque ullo modo passurus sit, ut divinum Thomae eloquium, quasi novella doctrina discutiatur et otiosa disputatione impugnetur.

Plura adhuc vobis de vestri generalis magistri eligendi prudentia, charitate, experientia aliisque dotibus addere possemus, sed, ne diutius protrahatur actio, ad quam parati estis, contenti sumus graviora delibasse, et ut abunde, quae adhuc desunt, suppleamus, vivum vobis proferimus exemplar, vos adhortando in eum intueri, qui spontanea excedit abdicatione, ut illi similem subrogetis, ne cogamini postea eum ipsum saepe nimisque dolenter desiderare. Accingimini idcirco, dilecti filii, ac confortamini, et licet morum, linguarum et nationum varietate disiuncti, consentientibus et conspirantibus animis, Dei honorem solum et ordinis vestri felicitatem attendite, ut nostris omniumque votis egregie respondeatis. Quapropter in patre luminum cogitatione defixi, fidenter humiliterque supernum implorate praesidium, ut repleti spiritu timoris Domini sanctam peragatis electionem, ut sub vigili patrefamilias dominicanus ager uberes virtutis ac doctrinae fructus pergat emittere.

4. Denuntiamus, eadem die 17. maii vacaturo totius ordinis magisterio ex praeelecta ab emo et rmo d. d. fr. Ioanne Thoma de Boxadors magisterii eiusdem dimissione, continuo post enuntiatam novi magistri electionem, servatis omnibus, quae ad canonicam magistri ordinis electionem pertinent, praesente ac praesidente eodem ss. d. n. Pio papa VI. canonice electum fuisse in magistrum ordinis rmum p. fr. Balthassarem de Quiñones, Toletani s. Petri Martyris coenobii alumnum clarissimum, et cuivis negotio atque insigni prudentia parem, qui .... (2)

(1) Cf. supra pag. 219 l. 32 sqq.

(2) Spatium, quod secretarius capituli vacuum reliquit, hisce fere de studiis, honoribusque praelaudati magistri adnotationibus suppleveris: « (qui) non adhuc emenso consueto annorum spatio in magistrum studentium renuntiatus, munus accepit tradendi de locis theologicis Melchioris Cani institutiones et postea angelici doctoris praecepta

ac denique a rmo magistro ordinis, nunc S. R. E. cardinali de Boxadors, in socium pro Hispaniarum provinciis delectus et honoraria Terrae Sanctae praefectura ornatus, gravissimum munus tanta fide ac sedulitate sustinuit, ut dignissimus habitus fuerit, cui suprema universi ordinis gubernacula traderentur, et quem statim ac recitatum electionis decretum fuit, ad se deductum idem sanctissimus dominus noster ad beatorum pedum oscula incredibili comitate admitteret, et gratulantibus omnibus praeclaris eximiae benignitatis testificationibus amplecteretur. Cui quidem sanctissimo domino pro immortalibus in nos beneficiis, pro eoque nominatim honore, quo universum ordinem eo die dignatus esset, emus cardinalis de Boxadors, eiusdem ordinis exgeneralis, communi nomine in haec verba gratias egit:

Beatissime Pater,

Ex quo pro catholicae ecclesiae utilitate ad indefectibilem Petri cathedram evectus es, tot tamque amplas paternae benevolentiae erga ordinem praedicatorum significationes dedisti, quas hodierno amoris testimonio Tibi placuit cumulare, ut dies me deficeret, si eas numerando recensere vellem. Quae certe huiusmodi sunt, ut multas grati devinctique animi exigua praedicatorum familia testificationes addere possit, quae illas, non dicam, exaequerit, sed nec ipsis digne respondeant. Conabitur haec tamen, ut beneficentissimae voluntati Tuae non desit: Te colet, Te venerabitur, Te impense diliget, dignitatisque Tuae inconcussa iura, ut fecit huc usque, defendet. Tu vero, Pater dulcissime, in sinu tuo hos Tui amantissimos filios complectere, fove, protege, tuere: ut sub umbra tua quiescentes ecclesiae catholicae, cuius Te unum verum visibile caput profitentur, inservire valeant, et pro diuturna Tua vita et felicitate tranquilla ad Deum Optimum Maximum continenter preces effundant.

5. Denuntiamus, ss. d. n. eadem die, antequam ex capitulari aula discederet, vicepraesidem capituli ad singulas actiones, quae electionem consequuturae erant, suo sanctaeque sedis nomine, vivae vocis oraculo, ingenti patrum gaudio instituisse emum cardinalem de Boxadors, exgeneralem ordinis, qui demandatum sibi munus libentissimo animo suscepit, tum quod novum pignus esset eximiae voluntatis sanctitatis suae erga praedicatorum familiam et erga ipsum, tum quod occasionem quamdam ei praeberet, ut carissimo sibi ordini, cui diu maximo eiusdem ordinis emolumento praefuerat, prodesse adhuc aliquo modo posset.

6. Denuntiamus, die 22. maii, quinta post electionem, magistrum ordinis electum omnesque vocales eorumque socios a sanctitate sua in

---

interpretandi. Accedit aliud ornamentum, egregia scilicet dicendi vis; hinc inter Caroli III, Hispaniarum regis, concionatores summo omnium consensu ascriptus » (ac).

aula ducali palatii Vaticani ad beatissimorum pedum oscula clementissime fuisse admissos, ac deinde sanctitatem suam eos sequentibus verbis humanitatis caritatisque plenissimis allocutam.

Magna cum iucunditate interfuimus comitiis vestris, in quibus peracta fuit canonica electio in generalem ordinis vestri magistrum, quem hic praesentem intuemur. Quamvis antea nec personam nec eius merita noverimus, tamen ex privato colloquio, cum ipso postmodum habito, apprime percepimus, esse illum zelo, doctrina, prudentia aliisque virtutibus praeditum, ut merito post probata eius opera in munere socii pro provinciis Hispaniarum sub transacto generalatu, dignus existimatus fuerit, qui universo ordini vestro praesideret. Gratulamur itaque summopere de laudabili electione a vobis expleta, quam felices successus habituram non dubitamus; et sicuti electum nos semper peculiari benevolentia complexuri erimus, ita vos, qui eum elegistis, promerita laude commendamus; imo huiusmodi electionem accipimus in argumentum enixi studii vestri, quo voluistis, ut nos magis magisque accendamur ad ordinem vestrum ornandum et amplificandum. Interea indulgentias omnes et gratias spirituales, quas Benedictus XIV., praedecessor noster, indulsit patribus vocalibus capituli generalis, habiti anno 1756, vobis concedimus et in paterni nostri amoris pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Indulgentiae autem et gratiae spirituales, quas Benedictus XIV. patribus vocalibus capituli generalis, habiti anno 1756, indulsit, fuerunt (1).

7. Denuntiamus decretum, quo immortalis memoriae Benedictus papa XIV. anno 1756, prima septembris, ordini nostro officium proprium pro festo ss. Rosarii concedit hoc decreto:

Ordinis praedicatorum.

Cum rmus p. fr. Ioannes Thomas de Boxadors, magister generalis ordinis praedicatorum, nomine etiam capituli generalis nuper habiti, ss. d. n. Benedicto papae XIV. humillime supplicaverit pro approbatione officii ss. rosarii b. Mariae V. una cum missa propria recitandi et celebrandi ab universo suo ordine, sanctitas sua ad relationem mei secretarii praedictum officium et missam, prout iacent, de mandato sanctitatis suae revisa, approbavit et benigne indulsit, ut in praefato eorumdem praedicatorum ordine recitari et respective celebrari possint et valeant. Die 1. septembris 1756.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

Marius Marefuscus s. Rit. cong. secr.

---

(1) Cf. supra pag. 242 l. 35 sqq.

8. Die 1. septembris eiusdem anni potestatem facit celebrandi in universo ordine octavas solemnes ss. Augustini et Thomae Aquinatis, quae antea sub ritu simplici celebrabantur. Est autem decretum hoc:

Decretum. Ordinis praedicatorum.

Cum rmus p. fr. Iohannes Thomas de Boxadors, magister generalis ordinis praedicatorum, nomine etiam capituli generalis nuper habiti, ss. d. n. Benedicto papae XIV. humillime supplicaverit pro facultate celebrandi in universo suo ordine octavas solemnes ss. Augustini et Thomae Aquinatis, quae usque adhuc celebratae sunt ritu simplici, sanctitas sua ad relationem mei, secretarii, gratiam petitam oratoribus benigne concessit, dummodo non omittatur officium in dominica quadragesimae, servata etiam in caeteris diebus dispositione rubricarum missalis et breviarii ordinis. Die 1. septembris 1756.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

Marius Marefuscus s. Rit. cong. secr.

Rubrica vero infra octavam s. Thomae Aquinatis servanda sequens est:

Quotiescumque de octava agitur, in matutinis duae primae lectiones erunt de homilia feriae, et tertia erit de octava; missa vero conventualis dicetur de feria. In dominica infra octavam solum fit memoria s. Thomae, ita ut officium dominicae incipiat in sabato praecedenti a capitulo, et tunc dicetur officium quotidianum b. Virginis ad vesperas et completorium, et dicentur preces. Si feria quarta Cinerum evenerit infra octavam, de ea, feria nimirum, fiet officium usque ad nonam, et memoria s. Thomae cum officio quotidiano b. Virginis in matutinis, et terminatur in nona. Quando in feria secunda celebratur dies octava, in primis vesperis psalmi et antiphonae erunt de dominica et officium incipiet a capitulo; si autem occurrat in sabato, secundae vesperae erunt de octava cum memoria dominicae, et non dicetur officium quotidianum b. Virginis. Quotidie infra octavam in completorio dicatur ps. « In pace » etc., quando regulariter dicitur.

9. Anno domini 1757, die 26. martii, probantur lectiones secundi nocturni novae die octava s. Augustini recitandae hoc decreto:

Decretum. Ordinis praedicatorum.

Sacrorum Rituum Congregatio ad humillimas preces rmi p. fr. Iohannis Thomae de Boxadors, magistri generalis ordinis praedicatorum, lectiones secundi nocturni proprias in die octava s. Augustini, confessoris et ecclesiae doctoris, recitandas ab emo ac rmo d. card. Tambu-

rino, ponente, una cum rev. p. domino fidei promotore revisas et examinatas benigne adprobavit et in die octava eiusdem s. doctoris ab universis praefati ordinis utriusque sexus religiosis recitari posse concessit, si ss. d. n. visum fuerit. Die ... martii 1757.

Factaque deinde per me infrascriptum secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 26. martii 1757.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

D. M. de Lerma s. Rit. cong. secr.

10. Denuntiamus decretum, quo s. mem. Clemens papa XIII., anno domini 1760, die 15. aprilis, b. Sebastiani Magii, ord. praed., cultum a sacra Rituum congregatione probatum apostolica auctoritate confirmat.

Decretum. Ianuen. Canonizationis b. Sebastiani Magii, sacerdotis professi ordinis praedicatorum.

Ad supplices instantias rm̃i p. magistri fr. Iohannis Thomae de Boxadors, magistri generalis ordinis praedicatorum, postulatoris causae b. Sebastiani Magii, proposito in s. Rituum congregatione ordinaria ab em̃o et rm̃o d. card. Feroni, ponente, dubio: An sententia lata per rm̃um archiepiscopum Ianuensem super casu excepto a decretis s. mem. Urbani papae VIII., sive super cultu ab immemorabili tempore b. Sebastiano Magi exhibito sit confirmanda in casu, et ad effectum, de quo agitur. S. Congregatio, audito rev. p. d. fidei promotore, qui scripto et voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuit « Affirmative », si ss. d. n. placuerit. Die 29. martii 1760.

Factaque deinde per me secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 15. aprilis eiusdem anni 1760.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

D. M. de Lerma s. Rit. cong. secr.

11. Die 16. decembris eiusdem anni benigne indulget, ut recitetur officium, et missa de eodem b. Sebastiano de communi confessoris non pontificis cum oratione propria in universo ordine et in civitate Ianuensi, ubi sacrum illius corpus in nostro s. Mariae templo, cui a Castello sumpta est appellatio, beatae incorruptionis insigniis ornatum, singulari religione colitur.

Decretum est huiusmodi:

Die 16. decembris in festo b. Sebastiani Magii, sacerdotis professi ordinis praedicatorum. Oratio.

Deus, qui beatum Sebastianum, confessorem tuum, singularis disciplinae et evangelicae perfectionis singulari studio mirabilem effecisti, concede propitius, ut eius imitatione, carne mortificati et vivificati spiritu, aeterna praemia consequamur. Per dominum.

Decretum. Ordinis praedicatorum.

Humillime sacrorum Rituum congregationi supplicante rm̃o p. fr. Iohanne Thoma de Boxadors, magistro generali ordinis praedicatorum, pro concessione officii et missae de communi confessoris non pontificis in honorem b. Sebastiani Magii pro universo ordine praedicatorum et civitate Ianuensi, ubi conditum requiescit sacrum illius corpus, in sequelam casus excepti in vim temporis immemorabilis, in causa b. Sebastiani, adprobati die 29. martii labentis anni 1760, sacra eadem congregatio ad relationem em̃i et rm̃i d. card. Feroni, ponentis, audito rev. p. d. fidei promotore, qui suam sententiam voce exposuit, petitum officium et missam cum suprascripta oratione propria sub ritu duplici minori, ab omnibus utriusque sexus universi praedicatorum ordinis, qui ad horas canonicas tenentur, tantum die 16. decembris recitari ac respective celebrari concessit, si ss. d. n. placuerit. Die 9. decembris 1760.

Facta deinde per me infrascriptum secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 16. eiusdem mensis et anni 1760.

D. F. card. Tamburinus praef.

Loco † sigilli.

D. M. de Lerma s. Rit. cong. secr.

12. Anno domini 1761, die 22. iulii, lectiones secundi nocturni proprias pro festo eiusdem b. Sebastiani concedit decreto, quod subiicimus:

Decretum. Ordinis praedicatorum.

Ad humillimas preces rm̃i p. fr. Iohannis Thomae de Boxadors, magistri generalis ordinis praedicatorum, sacrorum Rituum congregatio lectiones secundi nocturni proprias in officio b. Sebastiani Magii, sacerdotis professi eiusdem ordinis recitandas, ab em̃o et rm̃o d. card. Feroni, ponente, una cum rev. p. d. fidei promotore accurate revisas et examinatas benigne adprobavit, ac in festo eiusdem beati ab universis praefati ordinis utriusque sexus religiosis recitari posse concessit, si ss. d. n. visum fuerit. Die 21. iulii 1761.

Factaque deinde per me infrascriptum secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 22. iulii 1761.

T. M. card. Feroni praef.

Loco † sigilli.

D. M. de Lerma s. Rit. cong. secr.

13. Anno domini 1762, die 2. februarii, declarat, constare de virtutibus theologalibus et cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico venerabilis servi Dei fr. Iohannis Massias, laici professi ordinis praedicatorum, hoc decreto:

Decretum. Limana.

Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei fr. Iohannis Massias, laici professi ordinis praedicatorum.

Super dubio: An constet de virtutibus theologalibus: fide, spe et charitate in Deum et proximum, ac de cardinalibus: prudentia, iustitia, fortitudine ac temperantia earumque adnexis in gradu heroico in casu, et ad effectum, de quo agitur.

Postquam duplici examini iampridem subactae fuerunt virtutes a venerabili servo Dei fr. Iohanne Massias, laico professo ordinis s. Dominici exercitae: Primo nempe in congregatione antepraeparatoria, coacta die 18. iulii 1741, secundo vero in congregatione praeparatoria die 22. maii 1753, atque ex prolatis in utraque congregatione suffragiis, res eo deducta videbatur, ut ultimum magis solemne examen in sacra Rituum congregatione generali coram ss. pontifice de more celebranda subire possent, instauratum postremo revera fuit hoc iudicium coram sanctitate sua die 2. decembris elapsi anni. Et quoniam ipsa sanctitas sua, auditis tum consultorum tum uniformibus S. R. E. cardinalium congregationi sacrorum Rituum adscriptorum suffragiis, adprobari intellexit heroicas christianas virtutes huius servi Dei, hasque inter commentari praecipue insignem cordis humilitatem, iuge orationis studium, charitatem in Deum et proximum ferventissimam, admirabilem carnis macerationem, et totius denique vitae puritatem et innocentiam veluti angelicam. Quamquam tunc usque ex tanta opinionum concordia se se etiam moveri praesenserit, nihilominus, ut maturius procederet, rectam tutamque iudicandi rationem a patre luminum exquisiturus, ad hanc usque diem decreti promulgationem distulit.

Itaque hac solemni die Purificationis b. Mariae Virginis, peractis sacris misteriis, accitis coram se rmis S. R. E. cardinalibus Feroni, causae dicti venerabilis servi Dei relatore, et sacrorum Rituum congregationis praefecto, et Cavalchino necnon rev. p. d. Caietano Forti, fidei promotore, me infrascripto secretario eiusdem congregationis, et post divinum iterum imploratum praesidium, dubio coram se in dicta congregatione generali proposito, adfirmativum responsum dedit, hoc est, constare de virtutibus theologalibus: fide, spe et charitate in Deum et proximum, ac de cardinalibus: prudentia, iustitia, fortitudine et temperantia earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum, de quo agitur; et prae-

sens decretum in acta dictae sacrae congregationis referri et publicari mandavit. Hac die 2. februarii 1762.

T. M. card. Feroni praef.

Loco † sigilli.

D. M. de Lerma s. Rit. cong. secr.

14. Anno domini 1763, die 27. februarii, decernit constare de virtutibus theologalibus, et cardinalibus earumque adnexis venerabilis servi Dei Martini Porres, religiosi donati professi ordinis praedicatorum, in gradu heroico. Est autem decretum hoc:

Decretum. Limana. Beatificationis et canonizazionis ven. servi Dei Martini Porres, religiosi donati professi ordinis praedicatorum.

Super dubio: An constet de virtutibus theologalibus: fide, spe et charitate in Deum et proximum, necnon de cardinalibus: prudentia, iustitia, fortitudine et temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur.

Ut primum ven. servus Dei Martinus Porres, donatus professus ordinis praedicatorum, mortalem vitam cum aeterna commutavit, maxima sanctitatis opinione, die 3. novembris 1639 in civitate Limae, Mexicani regni, instructa fuit ab archiepiscopo Limano, auctoritate sua ordinaria, rigida inquisitio super illius sanctimonia vitae, cuius vigore signata commissione introductionis causae a s. mem. Clemente pp. IX. die 10. septembris anni 1668, accurate subinde expleta fuerunt ea omnia causae acta, quae ad praescriptum apostolicarum sanctionum peragenda erant. Et institutum postremo heroicarum illius virtutum examen in congregationibus primum antepraeparatoria die 24. ianuarii 1741 et praeparatoria die 27. maii 1755, restauratum tandem fuit per rm̃um cardinalem Feroni, sacrorum Rituum congregationis praefectum et causae relatorem, in congregatione generali, habita die 25. praeteriti mensis ianuarii coram ss. d. n. Clemente pp. XIII.

In ea autem sanctitas sua, licet ex plenissimis rm̃orum cardinalium sacrorum Rituum congregationi praepositorum et consultorum suffragiis commendari plurimum audiverit praeclarissima virtutum merita eiusdem ven. Martini, qui in ardua evangelicae perfectionis via alacriter incedens, omnium oculos in se converterat, innocentia vitae, obedientia, castitate, paupertate et perfecta regularis disciplinae custodia, quique per asperrimam carnis macerationem et iugem divinarum rerum contemplationem vas suum possidens secundum apostolum in sanctificatione et honore, heroica ediderat argumenta maximae fidei, firmissimae spei et ardentissimae charitatis in Deum et proximum, nihilominus sententiam suam, de

more, distulit, ut interim tam suis quam aliorum precibus coeleste praesidium a patre luminum imploraret.

Recurrente autem hac die dominicae secundae quadragesimae, in qua Dominus apostolos ducens in montem excelsum, claritatem suae gloriae illis demonstravit, sanctitas sua ferventius divinae claritatis lumen implorando, post oblatum incruentum omnipotenti Deo sacrificium, accitis coram se rm̃o cardinali Feroni, sacrorum Rituum congregationi praefecto et causae ponente, necnon rev. p. d. Caietano Forti, fidei promotore, meque infrascripto secretario, decrevit: Constare de eiusdem servi Dei Martini Porres virtutibus theologalibus: fide, spe et charitate in Deum et proximum, ac de cardinalibus: prudentia, iustitia, fortitudine ac temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur.

Et huiusmodi decretum in acta sacrorum Rituum congregationis referri et publicari mandavit. Hac die 27. februarii 1763.

T. M. card. Feroni praef.

Loco † sigilli.

S. Burghesius s. Rit. congr. secr.

15. Anno Domini 1765, die 6. februarii, adprobat cultum b. Benvenutae Boiani, monialis tertii ordinis nostri, hoc decreto:

Decretum. Utinen. Canonizationis Benvenutae Boiani, monialis tertii ordinis s. Dominici.

Ad supplices instantias rm̃i p. magistri fr. Ioannis Thomae de Boxadors, magistri generalis ordinis praedicatorum, postulatoris causae canonizationis b. Benvenutae Boiani, proposito in sacrorum Rituum congregatione ordinaria ab em̃o et rm̃o d. card. s. Angeli, ponente, dubio: An sententia lata per em̃um et rm̃um d. card. archiepiscopum Utinen. super cultu publico ab immemorabili tempore ven. Christi ancillae exhibito, sive super casu excepto a decretis fel. rec. Urbani pp. VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum, de quo agitur. Sacra eadem congregatio, audito prius rev. p. d. Caietano Forti, fidei promotore, qui scripto et voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuit: « Affirmative », si ss. d. n. placuerit. Die 26. ianuarii 1765.

Factaque deinde de praedictis per me infrascriptum secretarium eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 6. februarii 1765.

T. M. card. Feroni praef.

Loco † sigilli.

S. Burghesius s. Rit. congr. secr.

16. Die 27. martii eiusdem anni concedit, ut in die festo eiusdem b. Benvenutae officium et missam de communi virginis cum oratione propria recitari liceat.

Decretum. Die 29. octobris, in festo b. Benvenutae Boiani, monialis tertii ordinis s. Dominici.

Oratio.

Gratiam nobis, Domine, poenitentiae, orationis et humilitatis infunde, ut b. Benvenutae virginis imitatione possimus, et carnem mortificantes, spiritu vivere, et coelestia iugiter cogitantes nosque despicientes in te solo Deo requiem et gloriam invenire. Per Dominum.

Ordinis praedicatorum.

Enixe supplicante rm̃o p. mag. fr. Ioanne Thoma de Boxadors, magistro generali ordinis praedicatorum, ss. d. n. Clementi pp. XIII., quatenus indulgere dignaretur universo suo ordini officium et missam de communi virginum cum suprascripta oratione propria b. Benvenutae, monialis tertii ordinis s. Dominici, sanctitas sua, audito etiam r. p. d. Caietano Forti, fidei promotore, ad relationem per me infrascriptum secretarium factam, petitum officium et missam cum suprascripta oratione propria pro universo ordine praedicatorum, die 29. octobris sub ritu duplici minori recitari, oratori benigne concessit. Die 27. martii 1765.

T. M. card. Feroni praef.

Loco † sigilli.

S. Burghesius s. Rit. congr. secr.

17. Anno Domini 1766, die 29. ianuarii, lectiones secundi nocturni proprias de eadem b. Benvenuta Boiani probat.

Decretum. Ordinis praedicatorum.

Cum per ss. d. n. Clementem pp. XIII. die 27. martii 1765 officium et missa de communi virginum cum oratione propria b. Benvenutae Boiani, tertii ordinis s. Dominici concessum fuerit universo ordini praedicatorum, modo ex parte rm̃i p. mag. fr. Ioannis Thomae de Boxadors, magistri generalis dicti ordinis, pro adprobatione suprascriptarum lectionum secundi nocturni, in officio dictae b. Benvenutae a praefato ordine praedicatorum recitandi, sacrorum Rituum congregationi humillime supplicatum fuit, et sacra congregatio, audito prius rev. p. d. Caietano Forti, fidei promotore, ad relationem em̃i et rm̃i d. card. s. Angeli, ponentis, supradictas lectiones recitandas in officio ipsius beatae benigne adprobavit, si ss. d. n. visum fuerit. Die 21. ianuarii 1766.

Factaque deinde per me secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 29. ianuarii 1766.

T. M. card. Feroni praef.

Loco † sigilli.

S. archiep. Theodosiae s. Rit congr. secr.

18. Anno Domini 1767, die 22. februarii, b. Antonii Neyrot a Ripulis, ordinis praedicatorum, Tuneti anno 1460 ab impiis Mahumeti cultoribus in odium christianae fidei interfecti, cultum a sacra congregatione Rituum probatum affirmat. Decretum est huiusmodi:

Decretum. Taurinen. Canonizationis b. Antonii a Ripulis, ordinis praedicatorum, Tuneti anno 1460 ab impiis Mahumeti cultoribus in odium christianae fidei interfecti, signata per ss. d. n. Clementem pp. XIII., praevio concilio et voto congregationis.

Sacrae Rituum congregationi die 20. decembris elapsi anni commissione introductionis causae b. Antonii de Ripulis, ordinis praedicatorum, propositum deinde atque discussum fuit ad instantiam rev. p. fr. Ioannis Thomae de Boxadors, magistri generalis ordinis praedicatorum, postulatoris in eadem causa, in congregatione sacrorum Rituum ordinaria, habita sub infrascripta die, ad relationem em̃i et rm̃i d. card. Cavalchini, ponentis, dubium: An sententia iudicis et adiunctorum ab em̃o et rm̃o d. card. Roverio, olim archiepiscopo Taurinensi, deputatorum, lata super cultu ab immemorabili tempore praedicto beato exhibito, sive super casu excepto a decretis s. mem. Urbani pp. VIII. sit confirmanda in casu, et ad effectum, de quo agitur, em̃i patres eidem sacrae congregationi praepositi, audito prius rev. p. d. Carolo Alexio Pisani, fidei promotore, qui scripto et voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuerunt: « Affirmative », si ss. d. n. visum fuerit. Die 21. februarii 1767.

Factaque deinde per me infrascriptum secretarium eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 22. praedicti mensis et anni 1767.

T. M. card. Feroni praef.

Loco † sigilli.

V. Macedonius s. Rit. congr. secr.

19. Die 7. martii eiusdem anni indulget, ut de eodem b. Antonio officium et missa de communi unius martyris cum oratione propria recitetur.

Decretum. Die 10. aprilis in festo b. Antonii Neyrot de Ripulis, martyris ordinis praedicatorum.

Oratio.

Deus, qui beatum Antonium ad lucem veritatis tuae mirabiliter revocatum et misericorditer eximium martyrem effecisti, praesta, ut eius intercessione simus semper in fide stabiles et in opere efficaces. Per Dominum.

Ordinis praedicatorum.

Supplicante rm̃o p. fr. Ioanne Thoma de Boxadors, magistro generali ordinis praedicatorum, ss. d. n. Clementi pp. XIII. pro indulto recitandi officium et celebrandi missam de communi unius martyris cum suprascripta oratione propria, iam a rev. p. d. Carolo Alexio Pisani, fidei promotore, revisa, in memoriam b. Antonii Neyrot de Ripulis, martyris, in universo ordine praedicatorum, die anniversaria eius obitus sub ritu duplici, sanctitas sua, ad relationem per me infrascriptum secretarium factam, gratiam petitam oratori benigne concessit. Die 7. martii 1767.

T. M. card. Feroni praef.

Loco † sigilli.

V. Macedonius s. Rit. congr. secr.

20. Anno eodem die 8. iulii lectiones secundi nocturni proprias in officio eiusdem b. Antonii ab universo praedicatorum ordine recitandas approbat.

Decretum. Ordinis praedicatorum.

Sacrorum Rituum congregatio ad humillimas preces rm̃i p. fr. Ioannis Thomae de Boxadors, magistri generalis ordinis praedicatorum, lectiones secundi nocturni proprias in officio b. Antonii Neyrot de Ripulis, sacerdotis professi et martyris eiusdem ordinis recitandas, ab em̃o et rm̃o d. card. Cavalchino, ponente, una cum rev. p. d. Carolo Alexio Pisani, sanctae fidei promotore, accurate revisas et examinatas, benigne adprobavit ac in festo eiusdem beati ab universis praefati ordinis utriusque sexus religiosis recitari posse concessit, si ss. d. n. visum fuerit. Die 4. iulii 1767.

Factaque deinde per me infrascriptum secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 8. eiusdem mensis et anni 1767.

Flavius card. Chisius praef.

Loco † sigilli.

V. Macedonius s. Rit. congr. secr.

21. Denuntiamus decretum, quo s. mem. Clemens pp. XIV. anno Domini 1769, die 19. iulii, cultum b. Aemiliae Bicchieri, monialis tertii

ordinis nostri, sacrae Rituum congregationis consulto probatum apostolica auctoritate confirmat.

Decretum. Vercellen. Canonizationis b. Aemiliae Bicchieri, fundatricis monasterii s. Margaritae Vercellorum ordinis praedicatorum.

Cum a sacra Rituum congregatione ordinaria sub die 21. ianuarii currentis anni ad relationem emi et rmi d. card. Collini, ponentis, admissa fuerit signatio commissionis introductionis causae b. Aemiliae Bicchieri, et a s. mem. Clemente pp. XIII. postmodum signata, iuxta tenorem praefatae commissionis ad instantiam rmi p. mag. fr. Ioannis Thomae de Boxadors, magistri generalis ordinis praedicatorum, postulatoris, propositum fuerit ab eodem emo et rmo d. cardinali, ponente, atque in dicta sacra congregatione discussum infrascriptum dubium: An sententia lata per rmum episcopum Vercellensem super cultu ab immemorabili tempore praedictae venerabili Christi famulae exhibito, sive super casu excepto a decretis fel. rec. Urbani pp. VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum, de quo agitur, sacra eadem congregatio, audito prius rev. p. d. Carolo Alexio Pisani, fidei promotore, qui suam sententiam scripto et voce exposuit, rescribendum censuit: « Affirmative », si ss. d. n. visum fuerit. Die 15. iulii 1769.

Factaque deinde de praedictis per me infrascriptum secretarium eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 19. eiusdem mensis et anni 1769.

Flavius card. Chisius praef.

Loco † sigilli.

V. Macedonius s. Rit. congr. secr.

22. Die 29. eiusdem mensis et anni universo praedicatorum ordini facultatem impertitur recitandi quotannis officium et missam de communi virginis cum oratione propria de eadem b. Aemilia.

Decretum. In festo b. Aemiliae Bicchieri virginis.

Oratio.

Deus, qui b. Aemiliae virginis tuae terrena cuncta despicere et te solum quaerere tribuisti, eius meritis et intercessione concede, ut spretis perituris illecebris, te toto corde diligamus. Per Dominum.

Ordinis praedicatorum.

Cum rmus p. fr. Ioannes Thomas de Boxadors, magister generalis ordinis praedicatorum, ss. d. n. Clementi pp. XIV. humillimas preces porrexerit pro concessione officii et missae de communi virginum cum suprascripta oratione propria quotannis die 17. augusti sub ritu duplicis minoris recitari in memoriam b. Aemiliae Bicchieri, tertii ordinis s. Dominici, a fratribus et monialibus breviario praefati sui ordinis utentibus,

sanctitas sua, audito prius rev. p. d. Carolo Alexio Pisani, fidei promotore, qui suam sententiam exposuit, ad relationem per me infrascriptum secretarium factam, praedicta officium et missam cum oratione propria iuxta petita oratoribus benigne concessit. Die 29. iulii 1769.

Flavius card. Chisius praef.

Loco † sigilli.

V. Macedonius s. Rit. congr. secr.

23. Anno Domini 1770, die 24. februarii, lectiones secundi nocturni proprias de eadem b. Aemilia in universo ordine recitandas concedit.

Decretum. Ordinis praedicatorum.

Ad humillimas preces rm̃i p. fr. Ioannis Thomae de Boxadors, magistri generalis ordinis praedicatorum, sacrorum Rituum congregatio lectiones secundi nocturni proprias in officio b. Aemiliae Bicchieri, monialis tertii ordinis s. Dominici, recitandas ab em̃o et rm̃o d. card. Feroni, ponente, una cum rev. p. d. fidei promotore accurate revisas et examinatas benigne adprobavit ac in festo eiusdem beatae ab universis praefati ordinis utriusque sexus religiosis recitari posse concessit, si ss. d. n. visum fuerit. Die 17. februarii 1770.

Factaque deinde per me infrascriptum secretarium de praedictis eidem ss. d. n. relatione, sanctitas sua benigne annuit. Die 24. februarii 1770.

Flavius card. Chisius praef.

Loco † sigilli.

V. Macedonius s. Rit. congr. secr.

24. Denuntiamus, catholicum Hispaniarum regem Carolum III. pro singulari sua in ordinem nostrum clementia fratribus provinciae nostrae s. Iacobi de Mexico curam quatuordecim missionum in Californiae regione demandasse, eoque ex Hispania tres et viginti ordinis nostri sacerdotes una cum duobus conversis, regiis expensis fuisse deductos, qui illuc appulsi tanta sollicitudine creditam sibi vineam excolere coeperunt, ut brevi, Deo adiuvante, idololatras amplius bis mille ad christianam religionem adduxerint ac missiones duas novas erexerint. Quare in eam spem adducimur fore, ut barbari illi omnes a misera daemonum servitute ad unius veri Dei notitiam cultumque traducantur.

25. Denuntiamus decretum, quo ss. d. n. Pius pp. VI. die 12. aprilis anni 1777, certas indulgentias pro hoc ipso capitulo generali benigne concedit.

Decretum. Ex audientia sanctissimi die 12. aprilis 1777.

Quum, sicut humillime exponebatur, capitulum generale universi ordinis fratrum praedicatorum in domo regulari s. Mariae supra Minervam nuncupata, eiusdem ordinis de Urbe, in vigilia Pentecostes praesentis anni, benedicente Domino, celebrandum sit, ss. d. n. Pius pp. VI., ut christifideles ad ecclesias eiusdem ordinis visitandas et alia opera pia exercenda promptiores reddantur, quo ex dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, eisdem omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus, confessis ac sacra communione refectis, qui in dominica infra octavam Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, necnon in vigilia et in festo Pentecostes, ac in singulis eius octavae diebus ecclesias, loca et domos fratrum dicti ordinis, ubicumque existentes, devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam, in festo autem Pentecostes ac singulis actualis praedicti capituli celebrationis diebus ecclesiam s. Mariae supra Minervam huiusmodi devote etiam visitaverint et, ut praefertur, oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit. Praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris, et absque ulla brevis expeditione suffragari, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex secretaria sacrae congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae audientiae.

L. card. Calinus praef.

I. Caesar de Somalia s. congr. Indulg. secr.

26. Denuntiamus, eumdem SS. die 8. iunii anni eiusdem decrevisse, constare de martyrio et causa martyrii venerabilium servorum Dei Petri Martyris Sans, episcopi Mauricastrensis et vicarii apostolici provinciae Fo-Kien in regno Sinarum, Francisci Serrano, electi episcopi Tipasitani et vicarii apostolici eiusdem provinciae Fo-kien, Ioachimi Royo, Ioannis Alcober et Francisci Diaz, sacerdotum et missionariorum ordinis nostri. Decretum est huiusmodi:

Decretum. Sinarum. Beatificationis et canonizationis seu declarationis martyrii venerabilium servorum Dei Petri Martyris Sans, episcopi Mauricastrensis et vicarii apostolici provinciae Fo-Kien in regno Sinarum, Francisci Serrano, electi episcopi Tipasitani et vicarii apostolici eiusdem provinciae Fo-Kien, Ioachimi Royo, Ioannis Alcober et Francisci Diaz, sacerdotum et missionariorum ex ordine praedicatorum, ab idololatris Sinensibus in odium christianae religionis interfectorum.

Rex martyrum Iesus Christus, qui multifariam multisque modis olim pugiles suos ad gloriosa certamina ducens, eorum sanguine fidem, quam ipse plantaverat, rigavit atque propagavit, novissime diebus istis eadem instauravit exempla virtutis ac suscitavit sibi viros fortissimos, ordinis fratrum praedicatorum alumnos: Petrum Martyrem Sansium Mauricastrensium, Franciscum Serranum, electum Tipasitanorum episcopos, Ioachimum Royum, Ioannem Alcoberium et Franciscum Diaz, quorum prior Fo-Kiensis provinciae in Sinarum imperio vicarius apostolicus, caeteri vero laborum ac praedicationis ipsius consortes bella Domini strenue praeliati sunt adversus hostes catholicae religionis, cui in barbaris illis dissitisque regionibus proprio cruore nova incrementa dederunt. Illuc enim missi, ut regnum Dei populis in tenebris et umbra mortis sedentibus annuntiarent, postquam innumeros filios per evangelium Christo genuerunt, ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, tentati per omnia, ac fideles inventi, repositam sibi iustitiae coronam per mortem, constantissime toleratam, sunt assequuti.

Ut itaque consummatum ab ipsis pro Iesu nomine martyrium iuxta sanctissimas ecclesiae leges vindicaretur de martyrio ipso deque eius causa instituta fuit disceptatio in congregatione antepraeparatoria, habita die 22. aprilis anni 1776 in aedibus r̃mi card. Columna, ac rursus instaurata in congregatione praeparatoria in palatio apostolico Quirinali die 3. septembris eiusdem anni, absoluta tandem fuit in generali congregatione die 3. iunii anni huius coram ss. d. n. Pio VI. pontifice maximo celebrata, in qua eodem r̃mo card. Columna dubium referente « An constet de martyrio et causa martyrii in casu et ad effectum, de quo agitur », etsi de unanimi consensu tum r̃mi cardinales, tum consultores sentirent de eo constare, attamen sanctitas sua, ut in re tam gravi superni luminis praesidium invocaret, nihil eo die decernendum esse censuit.

Hoc vero die, dominica tertia post Pentecosten, perficiens, quod feliciter immortalis memoriae pontifex Benedictus XIV., praedecessor suus, dum de pretiosa eorumdem Christi militum morte semel et iterum in consistorio secreto diebus 19. septembris 1748 et 24. ianuarii 1752 gravissime ac disertissime dixit eosque summis laudibus decoravit, post sacrum religiosissime peractum, accitis coram se r̃mis cardinalibus Marco Antonio Columna, causae relatore, Mario Marefusco, sacrorum. Rituum congregationi praefecto ac Ioanne Thoma de Boxadors, exgenerali magistro dicti ordinis praedicatorum, una cum rev. p. d. Dominico de Sancto Petro, fidei promotore, meque infrascripto secretario, declaravit atque decrevit, constare de martyrio et causa martyrii praedictorum venerabilium Dei servorum in casu et ad effectum, de quo agitur, atque huius-

modi decretum in acta sacrorum Rituum congregationis referri et publicari mandavit. Hac die 8. iunii anni 1777.

Marius card. Marefuscus praef.

Loco † sigilli.

M. Gallo s. Rit. congr. secr.

27. Denuntiamus, magistrum rmum ordinis, summa patrum approbatione, indixisse proximum capitulum generale anno 1780, ultra montes celebrandum Toleti, clarissima Hispaniae urbe, in coenobio s. Petri Martyris, cuius quidem coenobii ipse est alumnus.

28. Denuntiamus, praelaudatum rmum, quo recta et iusta subordinatio subditorum ad caeteros immediatos superiores servetur, declarasse assignationes quascumque ab ipso emanandas non obstituras, quin provinciales, si pro conscientia sua cognoverint bono provinciarum suarum aliter expedire, possint per novas assignationes de subditis suis disponere, idque ad assignationes etiam a suis praedecessoribus datas vel confirmatas voluit omnino extendi, demptis assignationibus ab ordinis magistro datis vel dandis ad conventus, qui eiusdem magistri curae unice subduntur. Quin etiam praecipit, ut fratres, qui ab ipso assignabuntur ad quoscumque conventus, de huiusmodi assignationibus suos respective priores provinciales continuo certiores reddant. Caeterum declarat in priorum provincialium potestate minime fore, praedictas assignationes ullo modo retardare.

Declarationes.

1. Cum provinciarum praesides id quoque oneris habeant, ut studiorum cultum promoveant et coenobia, in quibus scholae sunt, obeuntes in lectorum diligentiam atque in progressus, quos in litterarum cognitione studentium quisque fecerit, inquirant, et examinibus caeterisque scholasticis exercitationibus praesint, declaramus conf. 5. pro studiis postremi capituli generalis Romani, qua rursus sancitum est, ne in conventibus, in quibus studium viget, in priorem eligi aut confirmari possit, qui philosophiam et theologiam ante cum laude non docuerit, de illis etiam, qui in priores provinciales eligendi sunt, deinceps esse intelligendam, atque adeo neminem eligi in priorem provincialem posse, qui lectoris philosophiae ac theologiae munus laudabiliter non gesserit, nisi magister ordinis eius eligendi potestatem fecerit. Excipimus tantum magistros titulo praedicationis.

2. Quoniam ad ordinis decus hoc valde interest, ut coenobiis, quae in urbibus reperiuntur, ubi sunt episcopi, praeficiantur viri non solum moribus et vita, sed etiam scientia probati, declaramus ord. 3. eiusdem

capituli generalis Romani pro provinciis Hispaniae, Aragoniae et Baeticae latam, qua praecipitur, ut in priores eiusmodi coenobiorum ii dumtaxat eligi et confirmari possint, qui aut gradu praesentaturae vel magisterii iam ornati sunt, aut per tempus a legibus definitum theologiam cum laude docuerint, in aliis quoque provinciis religiose observandam esse.

3. Si vel expleto legitimo tempore muneris, vel munere ante expletum legitimum tempus a conventuum officialibus dimisso, alius in eodem munere, sive tamquam interinus, sive etiam in proprietate surrogetur, ac deinde elapsis aliquot a surrogatione mensibus, qui officium absolverat vel officio se abdicaverat, ad officium idem denuo assumatur, declaramus, huius assumptionem irritam esse, planeque requiri, ut integrum interstitiorum tempus pro singulis muneribus, nostris legibus praescriptum, obierit vel dispensatio ab habente legitimam potestatem concessa intercesserit, ut aliquis rursus assumi ad idem munus possit.

4. Declaramus, capitulo generali Bononiensi anni 1725, decl. 2., cuius haec sunt verba: « Quilibet provincialis pro tempore in sua provincia respective, iusta urgente causa, dispensare valeat super interstitiis, quoties opus esse crediderit, ut quis denuo instituatur supprior, syndicus, depositarius, sacrista maior vel in aliquo alio consimili inferiore officio confirmetur », non aliam patribus provincialibus facultatem fuisse tributam, quam facultatem dispensandi super interstitiis eiusmodi officiorum, quoties, id est si opus esse crediderint, prima dumtaxat vice. Hanc enim capituli illius fuisse mentem aperte demonstrant verba, quae proxime sequuntur: « Moderantes proinde decl. 13. capituli Bonon. 1706 circa suppriores, et praeterea extendentes ad idem officium supprioris et ad provinciales omnes, quod pro alio biennio dumtaxat concessum fuerat solis provincialibus ultramontanis quoad alia officia inferioris notae ».

5. Ad omnem non modo fraudem, sed etiam fraudis suspicionem removendam, declaramus priorem unius conventus, si in priorem alterius conventus eligatur et confirmetur, ad regimen conventus, cui praesidet, dimittendum et ad gubernacula alterius recipienda cogi a praeside provinciae nullo modo posse.

6. Illum pariter, qui intra duos menses ante electionem prioris conventus, in quo est assignatus, in priorem alterius conventus eligitur vel confirmatur vel instituitur, declaramus gaudere iure suffragii in electione prioris conventus, in quo assignatus erat, dum in priorem alterius conventus electus vel confirmatus vel institutus fuit. Quod etiam de vicariis localibus et caeteris omnibus, qui ad officia quaelibet infra idem spatium ante prioris conventus, in quo assignati sunt, electionem assumuntur, intelligi volumus.

7. Quia singula officia, quae fratribus conversis demandantur, a nutu praesidis coenobii unice pendent, officium vero syndici iuxta ord. 26. ca-

pituli generalis Vallisoletani anni 1605 est biennale, declaramus, nullum conversum, ne prioribus quidem provincialibus annuentibus, vel ab ipsis prioribus provincialibus institui syndicum posse. Hoc unum indulgemus, ut, si opus fuerit, conversus adiutor syndico detur, ea tamen lege, ut nihil eorum, quae syndicus nomine conventus agit, eodem nomine agere converso liceat, et conversus omnium, quae ipsi committentur, rationes syndico reddat.

8. Decl. 7. capituli generalis Romani anni 1694, qua statuitur, « quod in posterum nullus ad habitum nostri ordinis recipi possit, qui ex quacumque altera religione, etiam ante professionem solemnem emissam, expulsus fuerit », et inhibetur « superioribus sub poena absolutionis ab officiis ipso facto incurrenda et patribus ac fratribus sub poena privationis vocis activae et passivae ad triennium, ne eiectum ex quocumque ordine regulari, etiam ante professionem emissam in ea religione, a qua eiectus est, vel eam [fortasse in editione mendose legitur eam pro quam] sua sponte deseruerit, ad habitum ordinis nostri recipiant; et si receptus fuerit, ne ad professionem in ordine nostro admitti possit, sed per rr. pp. provinciales compellantur superiores conventuum sub poenis iam latis eos ab ordine expellere », declaramus, ita intelligi oportere, ut, si quis ante emissam professionem ab ordine quocumque, etiam nostro, eiectus fuerit vel habitum ordinis sive nostri sive alterius cuiuscumque sua sponte dimiserit, is deinceps absque expressa et speciali magistri generalis licentia in nullo quovis conventu recipi possit, ne in illo quidem, in quo habitum nostrum sua sponte seu coactus dimiserit. Quod si secus, etiam annuente priore provinciali, factum fuerit, receptionem et professionem ipso facto nullam esse decernimus.

9. Declarationem quoque 8. eiusdem capituli, quae sic habet: « Declaramus, et inhaerendo ord. 6. capituli Valentini 1647 inhibemus, ne iuvenis non admissus ad habitus nostri receptionem in uno conventu, possit in alio conventu admitti et recipi; similiter, et qui eiectus est ab uno conventu, in alio nullo modo recipiatur, irritam et inanem professionem cuiuscumque decernentes, si secus factum fuerit, etiamsi accedat assensus provincialis, sed omnino requiritur licentia magistri ordinis, ut qui reiectus est ab uno conventu, in alium recipi possit », declarando statuimus, ut si quis ad habitum nostri ordinis admissus non fuerit in uno conventu, sed a consilio vel a capitulo reiectus, hic sine speciali magistri ordinis licentia non solum in nullo alio conventu recipi possit, sed ne in illo quidem, in quo reiectus fuerit; aliter receptio et professio ipso facto nulla sit et irrita, et qui eum receperint aut ad professionem admiserint, etiam priore provinciali consentiente, enuntiatas superiori declaratione poenas luant.

10. Ord. 11. capituli generalis Romani anni 1583 his verbis expressam : « Ordinamus, quod alias ordinationibus capitulorum generalium cautum est in omnibus provinciis, quod confessarii monialium non maneant ultra biennium », in memoriam revocantes, declaramus, monialium confessarios continuo post exactum in eo munere biennium omni prorsus iure ac facultate excipiendi confessiones monialium eius monasterii, cuius confessarii erant, et caetera peragendi, quae eius muneris sunt propria, decidere, nec munus ipsis vel ad diem prorogari ab ullo praeterquam a magistro ordinis posse.

11. Quae de trino examine subeundo ab iis, qui studentatus munere expleto sive actu non legunt sive nunquam legerunt, tum etiam ab iis, qui lecta tantum philosophia, lectiones theologicas per triennium non habuerunt, in pluribus generalibus capitulis, ac novissime in Romano anni 1756 decl. 1. sancita sunt, innovantes declaramus, eos, qui post triennium, quod inter dicta examina in studiis generalibus, aut aliis a magistro ordinis pro tempore designandis ponenda debet intercedere, elapso mense aut longiori spatio item a magistro ordinis pro provinciis, in quibus dissita nimis sunt coenobia, ubi examen, nisi obtenta a magistro ordinis prorogatione aut dispensatione, non subierint, institutoque examine approbati non fuerint, ipso facto non solum voce activa et passiva in electione priorum, sed etiam facultate confessiones cum nostrorum hominum tum externorum audiendi privari.

12. Ut conveniens inter studia ordo servetur, declaramus, non esse in potestate eius, qui in studio aliquo, inito examine pro approbatione ad confessiones reiectus fuerit, in alio studio examen inire, nisi dispensatio magistri ordinis intercedat.

13. Iam vero examinibus, quae approbationis eiusmodi causa suscipiuntur, declaramus, interesse omnino debere priorem conventus vel rectorem collegii, ubi examen instituitur, nisi forte conventus priore aut collegium rectore careat, sive prior aut rector legitimo impedimento detineatur ; regéntes item legitime non impeditos in iis provinciis et congregationibus, in quorum studiis generalibus et collegiis regentes, vel ut lectiones habeant vel ut studiis moderentur, institui solent, tum eos, qui regentis munere in eo studio vel collegio sunt perfuncti, si praesentes sint, moderatoresque caeteros cum habituales tum actuales, ut studii cuiusque collegiive statuta a magistris ordinis edita vel eorum auctoritate confirmata postularint. Quod si aliquibus ex istis legitime impeditis, ad quinarium examinatorum numerum explendum alii evocandi sint, declaramus, habita antiquitatis professionis et gradus ratione, patres, qui gradus obtinent, evocandos esse, ipsisque deficientibus, illos, qui theologiam docuerunt, in quibus item evocandis professionis antiquitatem spectari

volumus. Patres autem a consiliis, eo tantum nomine, quod a consiliis sint, nullo in his examinibus vel suffragiis vel examinis iure potiri.

14. Cum quo tempore generales scholarum feriae aguntur, plerique examinatores a coenobiis collegiisve, in quibus haec examina iniri oportet, ut plurimum absint; tempore autem quadragesimae, quo exquisitiori cura et diligentia divina officia celebranda sunt, caeteraque pietatis munera praestanda, quae sacri illi dies maxime requirunt, minime deceat, patres sacerdotes a coenobiis, quibus addicti sunt, discedere ac se itineri committere, declaramus, examina ad confessiones neque generalium vacationum neque quadragesimae tempore haberi posse.

15. Quandoquidem is, cui horas canonicas dicendi, psallendique munus necessario impositum sit, nisi praescripta formula utatur divini officii recitandi, debito satisfacere nullo modo potest, in constitutionibus autem nostris dist. 1. cap. 1. text. 4. peculiarem proprium in divinis laudibus persolvendis ritum ab apostolica sede confirmatum, quem ordo noster adhibet, uniformiter observare iubemur, declaramus, eos, qui officium de festis, de quibus iuxta ordinarium nostrum celebrandum non est, recitant vel alio ritu recitant, officii recitandi debito non satisfacere.

16. Constitutionum nostrarum dist. 1. cap. 13. text. 3. edicitur, ut « nullus recipiatur in fratrem clericum ad probationem vel professionem nisi a priore provinciali, vel ab eo, cui super hoc dederit licentiam specialem, vel a priore conventuali, cum assensu totius vel maioris partis capituli. Conversum autem non recipiat prior provincialis nec aliquis de eius licentia, nisi de consensu prioris et duarum partium fratrum, qui sunt de conventu, pro quo fuerit induendus », quare declaramus neminem ad habitum sive clericorum sive conversorum sive tertiariorum a provinciarum congregationumve praesidibus recipi posse absque conventus, pro quo recipiendus est, consensu, aliter receptio nulla sit et irrita.

Confirmationes.

1. Quo studiosius atque utilius praeclara illa Deum precandi ratio, quae rosarium dicitur, a ss. patriarcha Dominico beatissimae Virginis Mariae monitu instituta a christiano populo frequentetur et latius propagetur, superiorum capitulorum generalium Bononiensis anni 1748 et Romani anni 1756 conf. 1. vestigiis inhaerentes mandamus, ut in singulis coenobiis deligentur viri pietate et cultu in Deiparam Virginem praestantes, et convenienti ad id munus obeundum doctrina et eruditione instructi, qui non modo rosarium in tres partes divisum singulis hebdomadis publice in ecclesiis nostris a fidelibus recitandum curent, sed etiam eius mysteria christianae plebi accurata narratione evolvant; quanta vis huic precationi, et ad Dei opem implorandam, et ad vitia extinguenda insit, narrationibus ex probatis scriptoribus acceptis confirment;

et quibus laudibus pium hoc institutum Romani pontifices extulerint, quibus privilegiis auxerint, exponant.

2. Sicut confraternitatum Rosarii, ita sodalitatum ss. Nominis Iesu constituendarum ius praedicatorum ordini tributum a summis pontificibus fuit, ut quorum opera, maximisque laboribus institutae sodalitates istae fuerant, eorum diligentia conservarentur. Quamobrem in illud omni studio incumbant nostri, ut quibus in urbibus atque oppidis eiusmodi sodalitates hactenus erectae non fuerunt, vel negligentia hominum interierunt, in iis erigantur aut restituantur; ubi autem vigent, floreant atque amplificentur, ut detestabile blasphemandi periurandique scelus, pravaque in colloquiis familiarum ac levium rerum iurandi consuetudo tollatur, et sacrosanctum Dei nomen assiduis, ut par est, laudibus celebretur.

3. Cum institutum nostrum praedicatione potissimum contineatur, ut praedicatorum nomen ordinis nostri alumnis inditum declarat, gravissime iniungimus, ut in ecclesiis nostris Dei verbum, quam frequentius potest, fidelibus annuntietur, atque in maioribus coenobiorum templis omnibus dominicis et solemnibus diebus festis aliquod christianae doctrinae caput ex sacris litteris, maxime ex evangelio, quod eadem die perlectum in missa fuerit, explicetur.

4. Ne autem desint, qui parvulis coelestem panem petentibus frangant, conf. 4. et 5. postremi capituli generalis Romani innovantes, eos, « qui amplissimo titulo et honore praedicatoris generalis frui volunt, officio vero fungi, ubi et quando opus est, vel a lege praescriptum, recusant », sive « a priore provinciali vel a provinciali capitulo ad praedicationem, necessitate postulante, deputati id muneris renuunt obire », « titulo et voce activa in comitiis provincialibus » privatos, « et generali praedicatura amotos esse sancimus »; ac praeterea iubemus, « ut praedicatores generales sub poena amissionis praerogativae et vocis ac praedicaturae generalis teneantur residere in iis conventibus, pro quibus sunt praedicatores generales, nisi aliter postulaverit manifesta utilitas aut necessitas ordinis, ab habente auctoritatem iuxta ipsius ordinis leges cognoscenda ».

5. Huc etiam, quod alias saepe et novissime in eodem capitulo generali conf. 3. sancitum est, referentes, denuo « praecipimus, ut in diffinitorio cuiuscumque capituli provincialis viri scientia, desiderio salutis animarum, moribus convenientique eloquentia praestantes deligantur atque in actis eiusdem capituli nominentur, qui ea solum quaerentes, quae Dei sunt, totos se ad missiones in civitatibus oppidisque obeundas conferant. Quibus etiam, ne aliquid desit praemii, ultro concedimus, ut laborum, quos in missionibus posuerint, in capitulo provinciali exponen-

dorum ea ratio haberi possit, ut pro iis ad praedicaturam generalem promovendis magistro ordinis, cuius erit merita singulorum expendere, a provincia supplicetur ».

6. Quoniam vero illud etiam suscepti a nobis instituti ratio postulat, ut confessionibus audiendis, cum res exigit, operam demus, praecipimus, ut quicumque ex nostris idonei ad tam praeclarum christiano populo tantopere necessarium munus exercendum sunt, illud libenter atque assidue exerceant. Si qui autem magistri, praesentati, lectores aliique prudentia et scientia praediti vel id ministerii obire absque legitima causa recusent, vel in eo obeundo se admodum difficiles ac negligentes ostendant, poenis privativis ad normam ord. 5. pro observantia regulari capituli generalis Bononiensis anni 1725 arbitrio magistri ordinis plectantur.

7. Nihil ad regularem disciplinam tuendam restituendamve in religiosis familiis tantopere confert, quam recta illorum, qui in eas cooptantur, institutio, haec autem a magistris novitiorum maxime pendet, itaque superiorum generalium capitulorum vestigiis inhaerentes decernimus, ut novitiorum cum simplicium tum professorum cura illis tantum demandetur, qui anteactae vitae exemplo, pietate, doctrina caeterisque dotibus, quas Romanorum pontificum decreta legesque ordinis requirunt, praestent, ac si fieri potest, philosophicarum et theologicarum lectionum curriculum perfecerint. Ut vero qui ad id muneris deliguntur, ipsum alacrius suscipiant, nec ullus, qui idoneus in Domino censeatur, eo fungi recuset, quae alias statuta sunt, rata habentes volumus, ut magistri novitiorum, qui sex ad minus novitiis praesunt, quamdiu hoc officium exercent, ab hebdomadariae onere exempti sint et paternitate consilii gaudeant, ac si eodem officio per decennium cum laude perfuncti atque a provincialis capituli diffinitorio approbati fuerint, omnibus praemiis, quibus eos generalia capitula afficiendos esse sanxerunt, potiantur; illos autem, qui a capitulo provinciali ad hoc ministerium designati, illud suscipere renuntient, inhabiles prorsus ad alios quoscumque gradus declaramus.

8. Ut fratres conversi in semitam mandatorum Dei et regulae atque constitutionum ordinis, cui fidem suam obligarunt, feliciter dirigantur, ord. 5. postremi capituli generalis Romani confirmantes iubemus, ut in omnibus coenobiis conversorum magister instituatur, qui verbo et exemplo eos ad omnem pietatem et regularem observantiam informet, et festis saltem diebus de christianae fidei rudimentis, de votorum, quibus se adstrinxerunt, vi et ratione et de instituti nostri legibus, quas servare tenentur, erudiat et in illos, qui adeo salubri institutioni adesse negligant, debitis pro modo culpae poenis animadvertat; quod si alicubi eiusmodi conversorum magister ob exiguum fratrum numerum constitui non pos-

sit, ipsi per se conventuum praesides semel omnino singulis hebdomadis conversis christianam doctrinam explicent.

9. Quia vero non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur, ut in epistola ad Romanos cap. II. vers. 13. apostolus gravissime scribit, invigilent conversorum magistri et coenobiorum praesides, ut fratres conversi missae sacrificio quotidie ministrent, poenitentiae et eucharistiae sacramenta devote frequentent, credita sibi officia summa integritate et sedulitate expleant, ac patres sacerdotes ea, qua debent, reverentia prosequantur. Qui in his deliquerint, constitutas legibus nostris poenas luant.

10. Nullum religiosarum familiarum tranquillitati et decori scelus detractione perniciosius esse constat. Quamobrem ne tam pestifer morbus in ordine nostro serpat, poenas omnes in detractores a constitutionibus nostris et a capitulis generalibus sancitas confirmamus; tum provinciarum, cóngregationum et coenobiorum praesidibus graviter iniungimus, ut in eos, qui fratrum defectus sive aliis fratribus sive, quod deterius est, externis hominibus, nulla necessitate cogente, patefaciunt, diligenter inquirant et singulari severitate, quae caeteris exemplo sit, agant.

11. Quia etiam postremi capituli generalis Romani ord. 10. pro bono regimine exemplum sequuti innovamus ordinationem capituli generalis, Romae pariter habiti anno 1589, conf. 8. his verbis: Confirmamus etiam ordinationem saepe ac saepius factam, necnon sub praecepto formali et sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, praecipimus, ne frater aliquis, cuiuscumque conditionis vel status existat, litteras criminosas, diffamatorias aut famosos libellos per se vel per alium absque proprii nominis subscriptione adversus quemcumque sive intra sive extra ordinem scribere praesumat; praecipientes omnibus praelatis in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, ut, si quos huiusmodi ordinis destructores repererint, pro tanto flagitio gravissime puniant et excommunicatos declarent.

12. Ad maxima incommoda, quae ex malorum vel inutilium librorum editione derivare solent, praecavenda quaecumque a nostris constitutionibus et generalibus capitulis, praesertim Vallisoletano anni 1605 ord. 5. et Romano anni 1608 conf. 5. de librorum impressione decreta sunt, in memoriam revocantes innovantesque, sub poenis a capitulis iisdem et a Romanis pontificibus latis praecipimus omnibus et singulis ordinis nostri fratribus, ut nullum opus, quodcumque tandem sit, publicare audeant, nisi eius publicandi facultatem ab iis, ad quos spectat, impetraverint. Qui autem librorum, quos nostri homines composuerunt atque in publicam lucem emittendi sunt, examini ab ordinis superioribus praeficiuntur, integrum opus accurate perlegant inspiciantque, non modo

utrum in eo nihil catholicae fidei decretis, incorruptae morum disciplinae doctrinaeque angelici praeceptoris minus congruum occurrat, nec ne, sed etiam utrum christianae litterariaeque reipublicae utilitati et ordini ornamento esse eiusdem operis editio possit; aliter nec ipsi opus approbent, nec provinciales eius imprimendi potestatem faciant.

Pro bono regimine.

1. Cum supremo ordinis moderatori ad rectum ordinis sibi commissi regimen statum eiusdem cognitum esse oporteat, ord. 5. pro bono regimine postremi capituli generalis Romani in memoriam revocantes innovantesque, singulis prioribus provincialibus et congregationum vicariis iniungimus, ut catalogum omnium fratrum et sororum suae provinciae vel congregationis accurate perficiant, eiusque exemplum ad magistrum ordinis quantocius mittant, atque idem quilibet provinciae vel congregationis praeses, antequam munus suum expleat, omnino praestet. In hoc autem catalogo, ut ex eo, quanti quisque sit, uno prospectu scire magister ordinis possit, uniuscuiusque nomini et cognomini subiiciantur patria, aetas, tempus, a quo ordini est adscriptus, et a quo professionem emiserit; officia, quae gessit aut gerit, gradus, si quos obtinet, ingenium, doctrina, mores, vitae ratio, rerum experientia et munera, quibus exercendis aptior existimatur. Caveant autem provinciarum et congregationum praesides seu visitatores, ne in his referendis indicandisve aliquid privato affectui tribuant, sed unum Deum et commune ordinis bonum prae oculis habeant.

2. Pari ratione « confirmantes ord. 19. capituli generalis Valentini anni 1647, mandamus iisdem patribus prioribus provincialibus et congregationum vicariis, ut post completam visitationem suarum provinciarum seu congregationum, si quae gravia et periculosa invenerint a tempore visitationis ultimo factae, licet correcta sint, studeant denuntiare magistro ordinis, cui etiam referre debebunt de his, quos visitaverint, fratribus, si in pace continui, in studio assidui, in praedicatione ferventes; quae de eis fama, quis fructus; si in victu et vestitu et aliis secundum institutionem ordo servetur; volentes insuper, quod, si qui casus singulares acciderint, statim de eisdem eumdem magistrum ordinis admonere curent, ut ille possit in omnibus, quae accidunt, ea quae pro bono ordinis regimine necessaria sunt, disponere ».

3. Quod capitulum generale anni 1615 Bononiae habitum ord. 13. sanxit, ne a prioribus provincialibus novae pro officii sui usu et necessitatibus contributiones provinciis inconsulto ordinis magistro imponerentur, hoc singuli provinciarum praesides omnino servent, et cum ipsi tum visitatores iuxta adm. 3. capituli generalis Barcinonensis anni 1574 dent operam, ut non solum quam diligentissime, sed etiam quam celerrime coenobiorum et monasteriorum visitationem conficiant.

4. Ad electionum libertatem, cui Tridentina synodus quam maxime consultum voluit, salvam et incolumen in singulis conventibus praestandam in memoriam revocantes ordinationem capituli generalis Bononiensis anni 1564, in capitulo generali Vallisoletano anni 1605 ord. 11. et in Ulyssiponensi anni 1613 ord. 4. innovatam, praecipimus patribus provincialibus congregationumque vicariis, ut neminem electoribus, nisi gravi necessitate cogente, proponant, cumque aliqui proponendi erunt, non pauciores quam tres proponant pro singulis electionibus; et si electores quempiam, qui dignus sit, quamvis non ex propositis elegerint, electionem nihilominus confirment.

5. Ut autem dissidiis, quae electionum occasione maximo ordinis malo oriri quandoque solent, quantum diligentia atque studio nostro possumus, viam aditumque obstruamus, ord. 12. capituli generalis Valentini anni 1596 confirmantes, sub poena gravioris culpae in eadem ordinatione constituta, mandamus omnibus et singulis, qui in electione suffragii ferendi iure gaudent, ne de illa ante diem unam naturalem tractent, aliis vero, qui eo iure carent, ne illi sese aut verbo aut scripto sive per se sive per alios immiscere ullo modo audeant.

6. Ne perpetuis missarum oneribus coenobia nostra temere graventur, non modo singula, quae Romani pontifices in decretis super celebratione missarum provida sanxerunt, inviolate custodiri iubemus, sed etiam volumus, ut nulla deinceps ad certas missas perpetua obligatio nisi de consensu capituli conventus suspiciatur. Ad onera vero iam suscepta quod attinet, edicimus, ut in ecclesiarum nostrarum sacrariis tabella, in qua eadem distincte perspicuis litteris descripta sint, palam servetur, praesidesque provinciarum et congregationum in coenobii cuiusque et monasterii visitatione sedulo inquirant, utrum impositis oneribus reipsa satisfiat nec ne, ut, si quos coenobiorum praesides in re tanti momenti desides repererint, eos ab officiis absolvant et inhabiles ad ea rursus obtinenda declarent, ut in capitulo generali Romano anni 1694 adm. 8. praecipitur.

7. Quo temporalium ordinis bonorum conservationi prospiciamus, in memoriam revocantes ord. 14. capituli generalis Romani anni 1553 in aliis capitulis saepe confirmatam omnibus provinciarum, congregationum et coenobiorum praesidibus sub poenis iampridem latis mandamus, ne ulla bona immobilia vel perpetuos redditus, quicumque tandem sint, alienare audeant, nisi ea alienandi expressam a magistro ordini licentiam in scriptis obtinuerint.

8. Capitalia, si qua distracta fuerint, redintegrentur. Si vero aut aliqua pecuniae summa occupanda sit, aut societas ineunda, aut locatio facienda, debitae facultates impetrentur, ac necessariae cautiones adhibeantur.

9. Ut litibus et controversiis, quae permultae et variae de fundorum limitibus existere solent, occurratur, iubemus, ut quibus in fundis sive conventuum sive monasteriorum termini appositi non fuerint, in iis, prout iuris est, apponantur, appositi vero singulis annis recognoscantur. Quam in rem provinciarum et congregationum praesides ac visitatores in obeunda coenobiorum visitatione inquirant.

10. Quae ad necessarios conventuum usus pertinent, ut quam opportune emantur, praesides coenobiorum sedulo curent, eoque nomine in communis depositi arca certa semper pecunia servetur, quam in alios sumptus impendere non liceat.

11. Census passivi, nisi gravi et evidenti necessitate, cui alia ratione occurri non possit, cogente, ne creentur. Cum autem creantur, ad legum nostrarum praescriptum creentur, nec eos creandi licentia detur, nisi coenobiorum praesides authenticum testimonium, ex quo de consilii et capituli conventus assensu constet, exhibeant.

12. Census activos priores provinciales et congregationum vicarii aut visitatores in singulis visitationibus recognoscant. Ut autem, quae coenobii cuiusque actiones sint, perspicere facile possint, in quolibet conventu, ubi confectus non est, conficiatur liber, in quo iuxta ordinationem capituli generalis Parisiensis 1611, in capitulo generali Bononiensi 1748, pro bono regimine n. 7. confirmatam, non modo omnes domus, agri, silvae, praedia, eorum conditionibus et finibus singillatim indicatis, sed etiam iura, annui census et redditus quicumque, sive ad ecclesiam sive ad conventum pertinentes, describantur.

13. Ord. 26. capituli generalis Vallisoletani 1605 et conf. 17. capituli generalis Romani anno 1608 de syndicorum electione et confirmatione in memoriam revocantes innovantesque, praecipimus, ut nemini syndici munus, nisi consentientibus per secreta suffragia maiori ex parte cum patribus consilii tum vocalibus capituli conventus, aut demandetur aut prorogetur.

14. Nec priores nec syndici coenobii, cui praesunt vel cuius bona administrant, nomine notabiles impensas absque consilio patrum faciant; neque aliquid mutuum, sive illud magni sive parvi momenti sit, accipere possint, non impetrato consensu capituli, cui eorum, quae mutuo accipienda sunt, summa fideliter indicetur. Qui contrafecerint, ab officiis absolvantur aliisque poenis arbitrio magistri ordinis plectentur.

15. Quoniam vero facilius in rei familiaris parvorum coenobiorum procurationem vitia irrepunt, prioribus seu vicariis conventuum, in quibus duodenarius fratrum numerus non alitur, interdicimus, ne quidquam gravis momenti in rerum temporalium administratione, praeside provinciae vel congregationis non consulto, et consilio patrum maioris con-

ventus vicinioris non adhibito agant; quod secus, quam decretum a nobis est, factum fuerit, nullum sit et irritum, et qui fecerit, pro eius merito a magistro ordinis severe puniatur.

16. Ne quae in nostris constitutionibus dist. 2. cap. 1. text. 7. salubriter decreta sunt de aedificiis non inchoandis absque patrum a consiliis et praesidis provinciae assensu, maturoque consilio peritorum in arte, inspecta totius domus construendae formula, quam non liceat transgredi pro voluntate varia praesidentium, et de aedificio ab uno priore inchoato, ab alio qui eidem proxime succedit, continuando, magno rei temporalis coenobiorum malo negligantur, prioribus provincialibus et congregationum vicariis iniungimus, ut in conventuum superiores, quos in his deliquisse compererint, absolutionis ab officio poena animadvertant.

17. Neminem praeterit, ex legum nostrarum in communi coenobiorum deposito observatione rectam rei familiaris conventuum administrationem plurimum pendere, itaque capituli generalis Romani anni 1650 conf. 9. verba usurpantes, serio inculcamus ea, quae in glossis const. dist. 2. cap. 1. text. 7. litt. M. ex capitulis generalibus Vallisoletano 1605, Romano 1608 et Parisiensi 1611 de regulis ac legibus communis depositi adferuntur, mandantes patribus provincialibus et prioribus sub poena privationis vocis activae et passivae ad quinquennium ipso facto incurrenda, ut eas non tantum accuratissime servent servarique faciant, verum etiam efficaciter procurent, quatenus eaedem per omnes conventus tam in camera communis depositi, quam in officina procuratoris transcriptae loco conspicuo affigantur.

18. Huc quoque referentes et confirmantes, quod in capitulo generali Romano anni 1656 inch. 1. decretum est sub poena inhabilitatis ad omnia ordinis munia, districte mandamus omnibus prioribus conventuum, quod infra mensem ultimum sui officii coram toto patrum consilio instituant computum, exhibendo ratiocinia totius suae administrationis, simulque integre ac fideliter exponant universum statum rei familiaris, in quo conventum relinquunt; qui praecipui sint benefactores, qui creditores ac debitores, quae, quanta, qualia debita tam activa quam passiva; quid melioratum in fabrica, possessionibus, fundis; quis status aerarii vel depositi, quae et quanta provisio victualium etc. Quorum omnium distinctam seriem in scriptis ac manibus singulorum ibidem firmatam recipiat supprior, et secundum eam venturo priori, mox ut ille sui officii possessionem inierit, exactissimam omnium, quae tempore vacantis prioratus sive recepta sive exposita fuerunt, coram eodem consilio reddere teneatur, idque sub eadem poena ut supra.

19. Praeterea volumus, ut in rerum omnium, quae ad ecclesiam, sacrarium et singulas officinas pertinent, legale inventarium conficiatur; eius

inventarii duo exempla fiant, quorum alterum in arca depositi communis servandum reponatur, alterum sacrista maior et officiales reliqui conventus apud se custodiant atque, ubi officio decedent, severa accurataque administrationis suae ratione reddita, successori tradent. Ipsa autem inventaria, cum opus fuerit, renoventur, et quaecumque accessio vel immutatio facta fuerit, in eadem continuo referatur.

20. Ut patribus a consiliis ad negotia, de quibus deliberandum est, penitus cognoscenda spatium sit, decernimus, ut quotiescumque habenda consilia sunt, praecedenti die singulis patribus, qui a consiliis sunt, a secretario scheda tradatur, in qua summa rerum omnium, de quibus consultatio futura est, capita proponantur; quod si patres a consiliis praemoniti hac ratione non fuerint, quidquid in consilio agetur vel decernetur, nullius momenti sit, et coenobii praeses arbitrio provincialis aut vicarii congregationis puniatur. Ipsa autem consilia nunquam immediate post prandium aut post coenam habeantur, sed alio opportuniori tempore, quod item patribus a consiliis, ut adesse possint, denuntiandum erit.

21. Quacumque de re sive in consilio sive in capitulo deliberetur, liceat quidem cuique sententiam suam modeste dicendo exequi, res tamen aliter quam latis occulte suffragiis, hoc est per fabas vel aliquid eiusmodi, non decernatur. Quidquid contra huiusmodi decretum praescriptum fuerit statutum, id irritum prorsus esse iubemus. Illud etiam praecipimus, ne quid capitulo proponatur, quod maior pars patrum a consiliis ratum non habuerit.

22. Tandem in memoriam revocamus ord. 3. capituli generalis Romani anni 1694, quae sic habet: « Ordinamus, ut priores defuncti cameras ingredi non possint absque duobus patribus a consiliis deputatis, necnon depositariis conventus, qui, facta visitatione, cameram sigillo muniant et inventarium faciant, nec penes eos sit disponere de bonis fratrum, sed secundum constitutiones dist. 2. cap. 14. text. 5. in glos. lit. I, et servatis, quae in capitulis generalibus constituta sunt; et hoc sub poena suspensionis ab officio ad sex menses, et reintegrationis bonorum, ea quidem bona omnia conventibus respective incorporata dicimus et unita declaramus ». Quin etiam statuimus, ut defunctorum fratrum cellae nonnisi praeside coenobii et patribus commemoratis praesentibus aperiantur.

Pro regulari observantia.

1. Ne cultus, qui publicae horarum canonicarum recitationi a nobis Deo est adhibendus, ulla ratione minuatur, graviter praecipimus, ut omnes ex nostris, quibus divini officii persolvendi onus incumbit, choro tam diurno quam nocturno frequentes intersint, nec ab eo quisquam, praeter magistros et lectores actu legentes et quos generalia capitula vel magi-

stri ordinis a chori sequela exemptos esse voluerunt, absque legitima causa a coenobii praeside, cuius in diem Domini conscientiam oneramus, approbanda abesse omnino audeat.

2. Quae de matutinarum precum recitandarum tempore in capitulo generali Valentino 1647 et in Bononiensi anni 1725 ord. 1. sancita sunt, in memoriam revocantes confirmantesque sub poenis ab iisdem capitulis constitutis iubemus, ut quibus in conventibus laudabilis matutinum officium media nocte persolvendi consuetudo viget, in iis omnino retineatur; in illis autem, in quibus vel hominum desidia vel alia quacumque ex causa intercidit, siquidem magno numero fratres sint, quotidie aut certis saltem per hebdomadam diebus restituatur; ubi vero ob exiguum fratrum numerum restitui nulla ratione possit, matutinum officium in nocte recitetur, ita ut nocturno tempore coeptum de nocte etiam absolvatur, idque in omnibus conventibus, non solum ubi novitiatus purus sed etiam ubi professorium est, observetur.

3. Exercitationes spirituales, quibus nihil est utilius ad excutiendum mundanum pulverem, quo dum per varias rationes vitae huius sollicitudo distenditur, necesse est etiam religiosa corda tardescere, ut praeclare inquit s. Leo Magnus, sermone IV. de Quadragesima, a pluribus capitulis generalibus, et nuperrime a Romano anno 1756 praescriptas in singulis coenobiis collegiisque per decem dies peragi quotannis volumus, et coenobiorum et collegiorum praesides, qui testimonialibus litteris a fratribus sui respective conventus vel collegii subscriptis exercitationes easdem semel in anno rite ab omnibus peractas fuisse, non docuerint, suffragii in provincialibus comitiis ferendi iure privamus.

4. Atque huic quidem de spiritualibus exercitationibus semel in anno habendis legi parochos etiam et fratres, qui in ruralibus coenobiorum domibus praediorum curam acturi morantur, subiicimus. Ne vero per eos dies, quos parochi in pio isto recessu transegerint, paroeciae aliquid detrimenti capiant, priores provinciales vel coenobiorum praesides idoneum patrem designabunt, qui in qualibet paroecia toto illo tempore infirmis, si qui erunt, praesto sit, et alia parochi munera exerceat.

5. Etsi autem coenobiorum collegiorumque praesidibus permittamus, ut pro sua prudentia definiant, quo tempore, qui eorum curae subduntur, dare operam tam salubri instituto debeant, tamen ad lectores actu legentes et studentes quod attinet iubemus, ut spiritualia exercitia habeant, dum scholasticae feriae iuxta legum nostrarum praescriptum agun, tur, quo curis omnibus soluti totos se tradere divinis commentandi possint.

6. Quo maiori possumus studio commendamus observationem ord. 4. capituli generalis Bononiensis anni 1706, quam capitulorum Bononiensis

item anno 1748 et Romani anno 1756 exemplo sectati hic ad verbum transcribimus: « Vitam communem seu perfectam rerum omnium communitatem statui religioso adeo individuam et necessariam, qua, dum vigeret, effloruit semper religio et tot fere sanctos aluit, quos habuit religiosos, ut in omnes provincias ac conventus revocent priores seu provinciales seu conventuales, iam toties in capitulis generalibus ordinatum, inculcatum et sub interminatione divini iudicii praeceptum est, ut supervacaneum videri possit illius introducendae nova dare praecepta seu novas condere leges. Nihilominus quia necdum obtineri potuit, ut in omnes omnino conventus introduceretur, mandamus ac districte praecipimus, ut iis in conventibus, in quibus introducta est, custodiatur quam diligentissime, nec rimam admittant superiores, qua e conventibus erumpere possit; ubi vero necdum perfecte introducta est, curent satagantque, si nequeunt aliter, sensim et sensim illam introducant, eas statuendo depositi leges talemque in vestitu et supellectili fratrum praescribendo modum, qualia in variis capitulis generalibus praescripta sunt et statuta, ut, quoad fieri poterit, ad vitam perfecte communem accedant quam proxime. Superiores hac in parte muneris sui potissima negligentes seu indulgentiores a suis officiis volumus amoveri, eosque inhabiles praesenti decreto declaramus ad quaevis ordinis nostri munia, et si quem contingat eligi in priorem conventualem seu provincialem, quem in consilio patrum per vota secreta constiterit non esse vitae communis amantem, districte prohibemus, ne huiusmodi electus confirmetur, sed alius vitae communi seu custodiendae seu introducendae aptior eligatur ».

7. Ut omnis privata rerum possessio et re et verbo tollatur, neque ullus quidquam ut proprium, etiamsi ad necessitatem concessum adhibeat, omnibus et singulis ordinis nostri fratribus sub poenis iampridem constitutis denuo praecipimus, ut prioribus suis intra primum ab inito regimine mensem accuratam rerum omnium, quas ad usum habent, notam tradant, quam priores, ubi perlegerint, in communis depositi arca reponent; semel quoque singulis annis, ut in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 14. text. 4. cavetur, omnia sibi commissa iisdem exponant pariter et exhibeant eorum dispositioni relinquendo. Qui autem extra claustra in seminariis lectoris munus obeuntes degunt, praesidi provinciae, intra cuius fines morantur, quotannis rerum omnium, quae ad ipsos pertinent, rationem summa fide reddant.

8. Ad haec inhaerentes ord. 9. capituli generalis Romani anni 1694 et ord. 8. capituli generalis Bononiensis anni 1725 mandamus, ut omnes fratres nostri in communi dormitorio habitent, nec quisquam religiosam cellae formam excedat; tum coenobiorum praesidibus sub poena absolutionis ab officio iniungimus, ut singulas fratrum cellas visitent, et si

quid in eorum supellectile superfluum aut paupertati et modestiae minus conveniens repererint, id continuo amoveant et in communem coenobii utilitatem redigant, nec ullos in privatis cameris caminos esse patiantur, sed eos obstruendos curent.

9. Quo facilius omnis vel minima corporis cultus in eiusdem instituti alumnis dissimilitudo in hominum oculos et reprehensionem incurrit, eo diligentius est vitanda. Itaque in memoriam revocantes, quae de capillorum tonsura ac de vestium internarum colore alias saepe decreta sunt, provinciarum et coenobiorum praesidibus edicimus, ut eos, qui comam nutriunt vel ad legum nostrarum praescriptum non radunt aut vestibus internis, quae albi coloris non sint, vel religiosos viros minus deceant, utuntur, poenis a generalibus capitulis indictis coerceant.

10. Ne pravus lineas ad carnem vestes adhibendi usus, qui in nonnullis maxime provinciis grassatur, invalescat, poenas omnes a generalibus capitulis hactenus latas adversus illos, qui absque legitima causa a magistro ordinis, cui uni in hac lege dispensandi potestatem esse declaramus, probata, lineis ad carnem utuntur, innovamus atque ab iisdem repeti omnino volumus, mandantes prioribus provincialibus, ut in obeunda coenobiorum visitatione praesides conventuum, quos in constitutionis huius inter praecipuas nostri ordinis connumerandae observatione urgenda, reisque puniendis desides invenerint, ab officiis absolvant.

11. Praeterea quas poenas generale capitulum in fratres absque legitima causa lineis ad carnem utentes sanxerunt, eas nos singulas in illos ferimus, qui impetrata lineas subuculas ferendi venia, eas clam non deferunt, ita ut nemini esse offensioni possent.

12. Quia in incessu, statu, habitu et in omnibus motibus nostris nihil fieri debet, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem, ut in s. Augustini regula, quam profitemur, iubetur, sub poenis alias constitutis interdicimus, ne quisquam ex fratribus nostris frequenter aut solus aut sine superioris licentia a coenobio exeat vel non satis compositus incedat.

13. Quamquam in glossa constitutionum nostrarum dist. 1. cap. 14. text. 3. lit. E. declaratum fuerit, religiosum absque habitu suae religionis in publicum prodeuntem vel habitum ipsum absque legitima causa occultantem agere contra votum obedientiae et mortaliter peccare, sunt tamen ex nostris, qui in itinere vel habitum ordinis dimittere vel breve dumtaxat scapulare aut hoc ipsum sub nigri vel alterius coloris veste deferre non verentur. Igitur, ne abusus iste latius serpat, omnibus et singulis fratribus nostris gravissime praecipimus, ut etiam cum iter faciunt, nisi necessaria causa intercedat, integro ordinis habitu palam induti prorsus incedant; aliter latas in eos, qui habitum ordinis temere dimittunt, poenas luant.

14. Ad tuendam abstinentiae ab esu carnium disciplinam in ordine nostro, iam inde ab eius exordio sancitam, in memoriam revocamus et innovamus ord. 11. capituli generalis Romani anni 1694, qua absolutionis ab officio poena indicitur superioribus, qui cum toto conventu aut in communi refectorio vel in conventibus parvis, in quibus ob tenuitatem domus et illius paupertatem et ob exiguum fratrum numerum carnium esus dissimulatur, feria 2. et feria 4. aut in adventu dispensare praesumunt.

15. Ieiunia quoque legibus nostris praescripta et maxime ieiunium a festo exaltationis s. Crucis usque ad pascha in omnibus coenobiis, etiam parvis, omnino servari volumus; praesidesque coenobiorum etiam parvorum, qui huic ordinis constitutioni non paruerint, poenae absolutionis ab officio subiicimus.

16. Quoniam vero ut caetera omnia ordinis instituta, sic latas de epulis privatim non celebrandis et de ciborum delectu leges a patribus, qui comitiis sive generalibus sive provincialibus intersunt, coli quam diligentissime oportet, idcirco ord. 18. capituli generalis Romani anni 1694 et ord. 3. capituli generalis Romae pariter anno 1706 habiti confirmantes, prohibemus, ne toto tempore, quo capitulum sive generale sive provinciale habetur, mensae privatim instruantur, et in illis quoque provinciis et conventibus, in quibus ex pontificis indulgentia aliquot per hebdomadam diebus vesci carnibus fas est, carnes in mensa apponantur, sed omnes atque in primis capitulares, iis dumtaxat demptis, quibus legitime valetudinis causa medicus esum carnium praescripserit, ad commune refectorium accedant iisque cibis utantur, quibus ex nostrarum legum praescripto uti licet.

17. Non modo generatim mandamus, ut quaecumque a Romanis pontificibus Clemente VIII. et Urbano VIII. in decretis de largitione munerum sancita sunt, accurate ab omnibus serventur, sed etiam singillatim praecipimus, ne occasione examinum sive studentium sive lectorum, et ne concursuum vel acceptationis graduatorum causa quidquam, ne minimum quidem, neque ante neque postea examinatoribus vel aliis quibuslibet detur aut ab examinatoribus vel aliis quibuslibet etiamsi oblatum fuerit, accipiatur, secus et qui dederint et qui acceperint, poenas omnes in commemoratis decretis indictas subeant.

18. Quam gravem regularis disciplinae morumque dissolutionem in coenobia monasteriaque scenica spectacula invehant, experientia et usu compertum est. Quare capitulorum generalium Avenionensis anno 1561, Bononiensis anno 1564 et Romani anno 1694 vestigiis insistentes sub poena privationis utriusque vocis ipso facto incurrenda, a qua absolvendi potestatem nemo praeter magistrum ordinis habeat, decernimus, ut nullae prorsus comoediae vel tragoediae, cuiuscumque generis sint, in nostris

conventibus et monasteriis agantur, eademque proposita poena fratribus omnibus interdicimus, ne ad comoedias vel tragoedias extra claustra spectandas, ubilibet tandem edantur, accedant.

Pro studiis.

1. Quanti ad ordinis nostri decus et incolumitatem intersit, ut omnes eius alumni germanam angelici nostri praeceptoris s. Thomae Aquinatis doctrinam hac praesertim aetate summa religione custodiant ac tueantur, nec ab ipsa vel latum unguem discedant, ss. d. n. Pii VI. pontificis optimi maximi allocutione, quam den. 3. scripsimus, satis superque intelligitur. Itaque, ut in re tanti momenti, quam par est, curam sollicitudinemque praestemus, ordinationes omnes a superioribus capitulis generalibus et a magistris ordinis, praesertim a rmo p. fr. Ioanne Thoma de Boxadors, nunc S. R. E. cardinali, in encyclicis litteris die 30. aprilis anni 1757 de sequenda s. Thomae doctrina latas, poenasque singulas adversus eiusdem doctrinae desertores provide sancitas confirmamus et innovamus; quin etiam ipsas emi cardinalis de Boxadors, quas modo indicavimus encyclicas litteras capitularibus hisce statutis inseri volumus, idemque omne auctoritatis nostrae votum adiungimus, mandantes omnibus et singulis provinciarum congregationumque praesidibus sub poena absolutionis ab officio et inhabilitatis ad quaelibet ordinis munera ipso facto incurrenda, ut quae in iisdem litteris sapientissime saluberrimeque praescripta sunt, ab omnibus reipsa opere perficienda curent.

In Dei filio sibi dilectis universis adm. rr. patribus prioribus, provincialibus, vicariis generalibus, magistris, lectoribus caeterisque patribus ac fratribus clericis ordinis fratrum praedicatorum fr. Ioannes Thomas de Boxadors, s. theol. prof. eiusdemque universi ordinis humilis magister generalis et servus, salutem et thomisticae doctrinae cultum.

Perlatum ad nos rumore quodam primum, tum sermone aliquorum est, nonnullis nostrorum hominum inveniri, qui angelici magistri s. Thomae Aquinatis doctrinam non satis cognitam habentes atque adeo minoris facientes, quam pro summa eius praestantia ac dignitate deceat, ab ea discedere auderent, et opiniones aut plane novas aut certe a prisca perpetuaque thomisticae institutionis ratione alienas sectati, eas probarent, iactarent, neque id solum, sed etiam auditoribus suis nonnunquam confidenter traderent. Etsi vero neque his rumoribus sermonibusque tam facile credendum arbitremur, et, si qui etiam nostrorum fortasse sint tali morbo instituti, eorum certe numerum neque per se magnum, et pro tanta ordinis scholaeque amplitudine exiguum esse necesse sit; res tamen est huiusmodi, in qua non modo periculo sit praeveniendum, sed vel suspicio periculi diligentissime removenda. Agitur enim summa ordinis

dignitas, thomisticae disciplinae constanti professione verissime parta, quae ut privati cuiusquam levitate et inscitia minui videatur, ferri nullo modo potest; agitur etiam ipsius ordinis salus, quae in doctrinae sanctitate et confessione consistit; aguntur denique publicae ecclesiae rationes, quarum causa pontifices maximi mirifico consensu s. Thomae doctrinam summis semper laudibus ornandam et auctoritate tuendam atque ab iniuriis vindicandam putaverunt.

Atque his de causis maiores nostri in comitiis legem de ea doctrina colenda sancteque retinenda tam saepe tulerunt, ut vix fere alia res ulla fuisse videatur, de qua tantopere laboraverint. Iam usque ab anno 1278, qui annus ab excessu sanctissimi praeceptoris quartus fuit, ex comitiis Mediolanensibus missos in Angliam fuisse constat quaesitores de contempta a nonnullis s. Thomae doctrina, datis severe in contemptores animadvertendi mandatis. Proximo autem anno Parisiis res ipsa perpetua lege sancita est, tum anno 1286 comitiis item Parisiensibus adm. 12. constitutum fuit, ut, si quis unquam nostrum aliquid contra Thomae sententiam affirmare esset ausus, poenas luere cogeretur et docendi munere privaretur, neque ei deinceps docere, nisi universi ordinis magistri aut comitiorum decreto liceret. Quae lex consequenti tempore et creberrime repetita, ut anno 1309 Caesaraugustae ord. 2., anno 1313 Metis ord. 8., quo tempore nondum Thomae religiosos honores ecclesia decreverat; ut Cistarici ord. 2. anno 1329, hoc est anno post illius nomen sanctorum virorum fastis adscriptum sexto; et quum ecclesiae in eum pietas ac religio maiorem in modum continenter amplificaretur, eadem lex novis poenarum accessionibus confirmata est. Itaque Avenione anno 1561 conf. 5. decretum fuit, ut s. Thomae dogmatum desertoribus quivis gradus honoris in perpetuum adimeretur; rursum Parisiis anno 1611 ord. 6. poena gravioris culpae est indicta; denique Bononiae anno 1615 capite, quod pro reformatione studiorum inscribitur, privatio etiam activae et passivae vocis adiecta est. Ac leges hae omnes poenaeque legibus iisdem decretae, consequentibus porro fereque perpetuis comitiis sunt renovatae.

Sed quoniam aut ignoratio harum legum aut certe spes impunitatis alere iam fertur nonnullorum temeritatem, has dare litteras constituimus, quibus non modo earum legum memoriam revocaremus, sed vobis etiam universis significaremus, certum omnino nobis planeque deliberatum esse, easdem leges tueri vigilantia et severitate, atque in hanc maxime rem contendere omnes nervos auctoritatis nostrae.

Itaque colligentes nunc uno loco ea, quae diversis temporibus variisque comitiis sapientissime a patribus decreta et provisa sunt, hoc primum iubemus atque interdicimus, ne quisquam omnino homo nostri ordinis, quocumque sit loco aut dignitate, audeat sive privatim sive pu-

blice tueri aut probare sententiam ullam a s. Thomae doctrina sensuque alienam, aut quae cum eadem doctrina non omnino consentiat. Quod etsi universim de quocumque quaestionum genere praescriptum accipi velimus, imprimisque de theologicis rebus, distincte tamen et plane peculiari ratione de iis praecipimus, quae sunt de divina gratia, adeoque de scientia et voluntate Dei, de praedestinatione deque caeteris controversiis, quae cum quaestionibus de gratia nexae colligataeque sunt, quaeque thomisticae scholae veluti summam continent, ex perpetuo ecclesiae sensu atque ex veterum patrum, imprimisque ex s. Augustini doctrina conflatam, ab angelico quidem praeceptore praeclare explicatam et constitutam, a maioribus autem nostris semper sine ulla studii intermissione retentam et opportunissimis temporibus egregie propugnatam.

Atqui mentem sensumque s. Thomae non eum quidem dicimus, quem suo quisque arbitratu ac iudicio statuat; qua ratione nonnullos eo esse progressos videmus, ut quum adversas repugnantesque s. Thomae doctrinae opiniones induxerint, eo nihilominus auctore gloriari pergant; sed eum dicimus, qui communi Thomistarum, imprimisque nostrorum sententia ex s. doctoris verbis serieque et colligatione doctrinae conclusus atque expressus est.

Qua ex re sequitur, ut in iisdem controversiis de gratia nostrum singulis non modo vis et efficacitas gratiae omnino nativa atque, ut appellari consuevit, ab intrinseco, verum etiam explicandae rei ratio illa tenenda et propugnanda sit, quae ex physica praemotione ducitur. Neque id ita maiores decreverunt, neque ita nunc ipsi iubemus, quasi rationes alias a doctis catholicisque viris, iisdemque ab efficaci, item ab intrinseco gratia stantibus defensas notare velimus; quas contra carpi a nostrorum quoquam non patiemur, quum nullo sint ecclesiae iudicio improbatae, sed fungimur officio nostro, ut maneat constanter in ordine ea doctrinae descriptio, quam ab angelico magistro eodemque fidelissimo imprimis Augustini discipulo acceptam maiores nostri diligentissime integerrimaque fide coluerunt, cuiusque praesidio ita in rei difficillima tractatione versati sunt, ut et rei summam egregie defenderint et quamlibet suspicionem erroris non modo ratione, sed etiam ecclesiae publico iudicio repulerint.

Iam vero ut in disputationibus de divina gratia, ita in explicanda morum disciplina, quod alterum est potissimum caput thomisticae scholae, singularem ab nostris fidem exigimus, exquisitumque studium s. Thomae doctrinae, ut, quoniam pars haec theologiae agendae vitae rationem continet, ex qua salus sempiterna animorum pendet, ad quam ex instituto ordinis partim sacrorum, imprimisque poenitentiae, administratione, partim concionibus, partim tradenda doctrina et consiliis expe-

diendis mortales reliquos dirigere et informare debent, habeant muneris tam difficilis tamque gravis tuto ac praeclare exsequendi expeditam facultatem. Non enim ferendum est, ut, quum habeant divino beneficio domi, quem sequantur, moralis scientiae magistrum divinae voluntatis interpretem, doctrinamque eius, quam teneant, sanam, incorruptam, tutam et sine ullo prorsus errore conscriptam, quam possint inoffenso pede decurrere, hanc temere deserant et committant sua culpa, ut cum sua ipsorum aliorumque pernicie in alterutram fortasse partem imprudentes declinent, ut aut christianam vivendi severitatem ab evangelica et ecclesiastica institutione revocent ad consuetudinis libertatem licentiamque sentiendi, aut immoderata praeceptorum acerbitate hominis a cultu virtutis absterreant. Atque huic quidem gravissimae rei maiores nostri, ut semper sua sponte singulari cura, ita anno 1656, voluntate etiam Alexandri VII. pontificis maximi, consuluerunt; qui pontifex, quum haberentur Romae eo anno comitia nostri ordinis, patribus in mandatis dedit, ut in actis comitiorum legem de ea re rursus scriberent, utque ab iis, qui in ordine maxime idonei existimarentur, libros de moribus ex severiori et tuta s. Thomae doctrina componendos vulgandosque curarent.

Quod si erit nihilominus inventus aliquis, qui contra facere aut omnino loqui non vereatur, ei iam ab hoc tempore poenas omnes denuntiamus legibus, quas supra commemoravimus, sancitas; eumque propterea continuo de quibuslibet sive muneribus sive honorum gradibus in perpetuum deiectum, omni spe restitutionis omnique in posterum tempus cuiuslibet in ordine muneris aut honoris capessendi facultate prorsus adempta, et activa ac passiva voce privatum, iisque poenis obnoxium, quae graviori culpae lege sunt constitutae, edicimus ac pronuntiamus; idque ita, ut his poenis, nonnisi universi ordinis magistri aut comitiorum auctoritate absolvi possit.

His autem mandatis hisque castigationibus non eos solum, qui domi vivunt et scholas ordinis tenent, verum illos quoque perstringimus, qui foris versantur et in seminariis, universitatibus aut gymnasiis quibuslibet munus docendi gerunt. Ac reminiscantur hi quidem, non sua ipsorum causa omnino, sed propter thomisticae disciplinae existimationem se potissimum ab episcopis verisque principibus scholis fuisse praefectos, neque vero magistros ordinis potestatem illis fecisse suscipiendi muneris, ut desererent, si vellent, s. Thomae doctrinam, sed ut cum reipublicae utilitate et cum laude ordinis propagarent, nunquam facturos, si munere abusuros putassent.

Ne vero quis aliqua eiusmodi spe ducatur, fore, ut clam sit, si deliquerit, eorum, qui primas in scholis ordinis obtinent, sive regentium sive lectorum primariorum sive alio quovis nomine appellentur, partes

esse decernimus, si quis in hac re quid deliquerit, ad nos per litteras continuo distincteque deferre; quod si ipsi scholarum primi peccarint, delationem ad eos pertinere, qui eis fuerint loco proximi. Quisquis autem hoc deferendi officium praeterierit, eum non solum deiiciemus de munere, quod nobis non fuerit dicto audiens, sed praeterea castigabimus graviter propter peccati tacitam consensionem. Prioribus quoque provincialibus mandamus, itemque congregationum vicariis, ut in obeundis provinciarum suarum congregationumve coenobiis, in hanc rem peculiari studio inquirant, tamque in eos, qui foris, quam qui domi docent, et quae inquirendo repererint, nobiscum communicent. Denique sic universim praedicimus ac pollicemur, nullam nos vigilantiae partem praetermissuros, quin quae agantur, et quemadmodum res procedat, fiamus quam diligentissime certiores; deque iis potissimum et locis et hominibus attentius inquisituros, de quibus fuerit iniecta suspicio, aut in quos visa fuerit facilius posse cadere; cognitos autem iudicatosque sic tractaturos, ut eorum poena reliquis exemplo magnoque ac perspicuo certissimae voluntatis nostrae indicio esse possit.

Verum quamquam constitutum est nobis leges, quarum nobis custodia una cum ordinis regimine commissa est, impune violari nunquam pati, optamus tamen vehementer, ut apud carissimos filios nostros plus ratio valeat, quam poenae metus, et paterna benevola hortatio, filiorum obsequio, praeoccupet tollatque omnes causas adhibendae animadversionis. Pro hac igitur benevolentia lenitateque animi nostri, simul ut non modo pauci illi, si qui fortasse fuerint, qui levitate atque imperitia deseruerint officium suum, iam ratione adducti redeant ad bonam mentem, sed et confirmentur reliqui omnes in sententia et fide. Hortamur etiam atque etiam universos vos, fratres, ut reputetis diligenter vobiscum ipsi, cuiusmodi doctrina vobis sit ad sequendum proposita, eademque quantum semper existimatione atque utilitate creverit. Non enim ignoratis, s. Thomam ingenii facultate, natura atque exercitatione excellentem, et incredibili praeditum memoriae vi, legendi autem meditandique perpetua assiduitate usum, ex certissimis fontibus, hoc est ex sacris scripturis et pontificum et conciliorum decretis, exque patrum operibus disciplinam universam hausisse, quam via et ordine luculentissime tradidit, et difficillimos quosque ad percipiendum locos divinitus potissimum illustratum expedivisse. Atque ecclesia quidem, cuius iudicio doctorum auctoritas aestimanda est, non solum quae ab eo sunt scripta, magnifice praedicavit et christianis hominibus singulari studio commendavit, verum ipsa quoque plurimum semper eius auctoritati tribuit. Et quum illustria testimonia pontificum maximorum et synodorum oecumenicarum exempla sint magno numero, memoriam imprimis repetiti Tridentini concilii; quo in concilio decreta pleraque de

religione sic fuerunt condita, non ut sententiis modo ex libris s. Thomae depromptis, sed ut ipsius fere verbis saepe canones contexerentur; quum ad eum quidem patres, tamquam ad lydium lapidem, si quid ambiguitatis aut controversiae fuisset exortum, communibus votis referendum existimarent; eorumque nemo esse videretur, cui religio non esset, quum de fidei dogmatibus ageretur, a Thomae sententia vel latum unguem recedere aut ab illa provocare. Porro autem vos quoque ipsos respicite, et cuius ordinis alumni sitis, quibusque maioribus successeritis, considerate. Vivitis enim in eo ordine, cui Deus optimus maximus singulari providentiae consilio ad communem ecclesiae utilitatem tantum magistrum dedisse existimatur; vivitis autem post eos patres, qui retinendae, tuendae ac propagandae s. Thomae doctrinae constantia, fide, studio et maxima commoda in rempublicam intulerunt, et ipsi ordini eam, quam obtinet, gloriae laudem perpetua eiusdem doctrinae consensione pepererunt effeceruntque, ut, quum multi in omni memoria thomisticae disciplinae cultores fuerint, et sint continenter plurimi, propria tamen semper laus haec fuerit praedicatorum.

Agite igitur, dilectissimi, quando via est vobis constituta, qua in rebus gravissimis tuto versemini, vobismetipsis etiam atque etiam gratulamini; et angelici magistri doctrinam, quae solidam vestram gloriam continet, amate et colite. Huic date operam assiduam ac diligentem, ut possitis vim et pondus sententiarum comprehendere animo; ne, quod nonnullis usuvenit, si superficiem veluti tantum doctrinae attigeritis, nihil haereat, et levitate animi ex rerum ignoratione profecta a praeclarissimis institutis coeco impetu, tamquam tempestate delati, divellamini. Quae praecepta si tenueritis, habebunt profecto in vobis, ut semper in vestris maioribus habuerunt, ecclesia quidem idoneos administros, fideles autem alumnos ordo, verique nominis discipulos s. Thomas.

Nos denique parati animo exequi rebus ipsis, quum opus fuerit, quae nunc praecipiendo hortandoque persequuti sumus; ut nullus cuiquam excusandi locus reliquatur, mandamus provinciarum congregationumque nostrarum omnium praesidibus, ut, quum litteras has nostras acceperint, earum singula exempla ad praesides singulorum coenobiorum mittant; praesidibus autem ipsis coenobiorum iubemus, ut acceptum exemplum quamprimum ad mensam publice recitari faciant, ac deinceps porro quotannis initio quidem scholastici anni, quibus in coenobiis sunt scholae, in quibus vero nullae sunt, infra octavam s. Thomae; quod si praetermiserint aut neglexerint, sciant se ab officio absolutos fore. Eos autem, qui in externis scholis versantur neque in coenobiis degunt, a provinciarum congregationumve praesidibus, quorum in ditione sunt, de his nostris litteris certiores fieri volumus.

Valete, dilectissimi, et nos sociosque nostros sacrificiis et precationibus vestris commendatos habete.

Datum Romae in conventu nostro s. Mariae supra Minervam die 30. aprilis anno 1757.

Fr. Ioannes Thomas de Boxadors
magister ordinis.

2. Hic quoque referendam et in omnium memoriam revocandam duximus ord. 1. capituli generalis Bononiensis anni 1615, qua omnibus regentibus, baccalaureis, magistris studentium et lectoribus nostri ordinis sub poena privationis vocis activae et passivae et omnium officiorum ac inhabilitatis perpetuae ad omnes gradus suscipiendos praecipitur, ut in theologicis doctrinam s. Thomae, ut est in littera, singulariter specifica et expressa nedum quantum ad ipsam substantiam, sed etiam quantum ad verba exactissime proponant, explicent, doceant et defendant tam in publicis, quam in privatis disputationibus, repetitionibus aliisque scholasticis exercitiis, ita ut, si fieri possit, textum s. Thomae integrum memoriae commendent, et eiusdem loquendi modo, stilo et verbis assuefiant.

3. Ut quibus ex locis ad dogmata sua confirmanda, et ad sententias adversariorum refellendas argumenta ducere theologus possit, quaeque argumentorum, quae ex singulis locis ducuntur, vis pondusque sit, iuvenes nostri penitus addiscant, magnamque sibi praeterea eruditionis doctrinaeque copiam parent, decernimus, ut in omnibus studiis generalibus novae cathedrae ad eosdem in egregio Melchioris Cani nostri de locis theologicis opere per annum exercendos constituantur.

4. Cum maxime theologiam inter ac divinam scripturam sacrosque canones coniunctio intercedat, et theologo, qui in ecclesiastica historia sit hospes, nec orientales linguas, hebraicam potissimum et graecam attigerit, nimis multa desint ad scientiae, quam profitetur, usus necessarios, quae de divinarum scripturarum, sacrorumque canonum, historiae ecclesiasticae et linguarum orientalium, hebraicae praesertim et graecae, in generalibus capitulis saepe decreta sunt innovantes, vehementer optamus atque etiam praecipimus, ut huiusmodi scholae in provinciis et congregationibus, ubi intermissae sunt, restituantur, et ab adolescentibus nostris, qui theologiae dant operam ea, qua magister ordinis pro sua sapientia praesentet, ratione frequententur.

5. Quod in capitulo generali Bononiensi anno 1748 ord. 3. pro studiis sancitum fuit, et in capitulo generali Romano anni 1756 num. 4. confirmatum, ut in singulis provinciis et congregationibus coenobium designaretur, ubi ad divini verbi praedicandi munus ordinis alumni in-

stituerentur, hoc ratum habemus; ac praeterea volumus, ut novitii diebus festis atque illis, quibus scholis vacant, ecclesiasticae rhetoricae praeceptis imbuantur atque in concionibus ad eorumdem praeceptorum normam componendis exercitentur.

6. Quamquam eos, qui de fide, de religione, de vitae disciplina agunt, de rebus magis quam de verbis laborare oporteat, tamen cum rebus ipsis plurimum momenti a verbis, quibus efferuntur, accedat, in id quoque magistri novitiorum et lectores curam suam conferant, ut iuvenes nostri catechismi Romani atque aliorum eiusdem generis librorum lectione atque imitatione sinceram germanamque latine loquendi et scribendi rationem assequantur.

7. Ut in studiis omnibus una eademque ratio servetur, et perniciosa vacandi facilitas cohibeatur, mandamus, ut ad normam ord. 6. capituli generalis Vallisoletani anni 1605, et ord. 2. et 3. capitulorum generalium Romanorum anni 1694 et anni 1721 lectiones et litterariae exercitationes ubique a festo exaltationis s. Crucis inchoentur, nec aliis per annum diebus scholae aut litteraria exercitia cessent, quam illis, quibus aut vacatio a scholis aut litterarii alicuius exercitii intermissio iisdem ordinationibus permittitur, neque ullas extra ordinem vacationes facile regentes concedant. Caeterum salva esse volumus peculiaria provinciarum et collegiorum statuta, magistrorum ordinis auctoritate confirmata, eaque imprimis quibus severior studiorum disciplina sancitur.

8. Qui magisterio vel gradibus in ordine sunt ornati, circulis et conclusionibus, quam frequentius possunt, intersint.

9. In thesibus, quae exercendi ingenii causa non modo publice, sed etiam privatim proponi solent, nulla omnino propositio exponatur, quae potestati sive ecclesiasticae sive laicae offensioni esse possit; neque controversiae, ex quibus ordini confletur invidia, attingatur.

10. Theses autem omnes sive quae publice, sive quae privatim in singulis studiis ad defendendum proponentur, in librum, eo nomine comparatum, referri iubemus, ut ex eo provinciarum congregationumque praesides in sancta visitatione, et ipse ordinis magister, cum voluerit, quae propositiones in studio quolibet expositae fuerint, cognoscere facile possit.

11. Aut nullos aut certe parvos in scientiis processus iuvenes efficiant necesse est, si tempus, quod privatim litteris est dandum, inanibus colloquiis vel obambulationibus terant. Quare inhaerentes ord. 2. capituli generalis Romani anni 1686 et ord. 16. capituli generalis Bononiensis anni 1706, studentibus quibuslibet graviter mandamus, ne quo tempore in cellis vacare studio debent, per coenobium aut collegium vagari aut aliorum condiscipulorum seu religiosorum cubicula ingredi, aut cum ullo sermonem miscere audeant. Qui huic sanctioni contraierint, a coenobio-

rum collegiorumve praesidibus et a studiorum moderatoribus deprehensi, poenis ab eisdem capitulis definitis plectentur.

12. Ne qua vero studentibus iisdem et aliis, qui litterariis occupationibus destinentur, serotini temporis pars detrahatur, omnibus et singulis coenobiorum, in quibus studia vigent, superioribus sub poena absolutionis ab officio iniungimus, ut quotiescumque legitima de causa matutinae preces, ad quas recitandas de nocte surgere oporteret, pridie sero persolvendae erunt, ea prorsus hora extremum earum recitandarum signum detur, quo aliis diebus signum coenae aut collationis pro tempore dari consueverit.

13. Ubi ad scholas nostras saeculares admitti solent, vel certae sunt ad saeculares erudiendos cathedrae constitutae, in codicem eius rei causa confectum, a secretario studii vel a lectore, qui cathedram moderatur, singulorum, qui ad scholam quamlibet admittuntur, nomina, cognomina, patria, necnon annus, mensis diesque, quo admissi fuerint, summa fide referentur; tum quotannis pari fide adnotetur, qua diligentia singuli lectionibus caeterisque scholasticis exercitationibus interfuerint, quos in scientiis progressus fecerint, et quos actus sive privatim sive publice habuerint; atque ex illis, quae descripta in huiusmodi codice fuerint, testimoniales de studio legitime peracto litterae singulis, cum petantur, dandae conficiantur; nec studii secretario vel lectori testimoniales litteras conficienti quidquam vel addere vel detrahere omnino liceat.

14. Cum ex praescripto constitutionum nostrarum dist. 2. cap. 14. text. 8. nullus fieri publicus doctor nec disputare nisi de licentia prioris provincialis et diffinitorum capituli provincialis debeat, statuimus, ut provinciae nullo modo agant suo gradibus ordinis conferendis lectoribus nostris, qui in seminariis externisque scholis munus docendi gerunt, nisi huius muneris gerendi facultatem a magistro ordinis vel a provinciae praeside impetraverint.

15. Ut nostris hominibus opportuna ad quaslibet disciplinas instituti nostri proprias optimorum librorum copia suppetat, quae in nostris constitutionibus cap. cit. text. 10. et in pluribus capitulis generalibus hac de re provide sancita sunt, in memoriam revocantes iubemus, ne libri fratrum defunctorum, sive qui coenobiis ex dono, legato vel alia quacumque ratione obvenient, distrahantur, vel alicui fratri ad usum simpliciter concedantur, sed in communem coenobii bibliothecam, siquidem in ea desiderantur, continuo inferantur; si vero ipsis bibliotheca instructa iam sit, permutentur aut vendantur, pretiumque omne in alios libros, quibus bibliotheca careat, et fratres potissimum indigeant, impendatur.

16. Ad haec innovantes conf. 7. capituli generalis Romani anni 1694 iniungimus singulis coenobiorum praesidibus, ut ex communibus conventuum redditibus tantum pecuniae quotannis reponant, quantum pro vestibus tribui singulis fratribus consuevit, et in communi deposito reponant, donec certa conflata summa de patrum consilio utiliores pro bibliotheca libri emantur. Quidquid etiam pecuniae ex redditibus, si qui proprii bibliothecae sint, provenit, in alios usus quacumque necessitate urgente, ne expendatur, iubemus, mandantes prioribus provincialibus et congregationum vicariis, ut in singulis visitationibus, an haec ordinatio a conventuum superioribus servetur, inquirant, et quos eidem non paruisse repererint, poenis iampridem indictis afficiant.

17. Bibliothecae cura in quolibet coenobio de consilio patrum uni alicui ex gravioribus patribus committetur. In eo autem deligendo non minus integritas et sedulitas, quam doctrina et eruditio spectentur. Qui vero praefectus bibliothecae fuerit, singulis annis accuratam dati et accepti rationem patribus a consiliis, necnon priori provinciali aut vicario congregationis sive visitatori reddat.

18. Demum, ut lectorum commodo prospiciatur, simulque sumptibus in libris transvehendis occurratur, decernimus, ut in coenobiis, in quibus studia praesertim generalia constituta sunt, et in collegiis quibuslibet certae singulis lectoribus actu legentibus cellae assignentur, librisque ad minus illis, quos ad manus habere singuli debent, instruantur.

Admonitiones.

1. Quandoquidem nullum est opus, quod maiori sanctitate et veneratione tractari oporteat, quam divinum missae sacrificium, superiorum capitulorum generalium exempla sectantes, primum singulos patres sacerdotes admonemus ac per viscera D. N. Iesu Christi obsecramus, ut tantum mysterium, qua maxima possunt, interna animi munditia et externa pietatis specie peragant; priusquam ad altare sacrificaturi accedant, se se per aliquod tempus colligant, sacroque expleto debitas Deo gratias agant, nec in sacro faciendo alias caeremonias adhibeant aut preces recitent, quam quae in ordinis nostri missali praescribuntur, inque iis adhibendis recitandisque nec nimis festinanter, nec nimis lente procedant. Deinde provinciarum, congregationum et coenobiorum pro tempore praesidibus, eorum conscientiam in diem domini onerantes, praecipimus, ut quam diligentissime inspiciant, an sacerdotes eorum curae crediti, rem divinam ad legum nostrarum praescriptum faciant, et si quem forte compererint, qui missam non ea, qua par est, dignitate et pietate celebret, in ipsum, nisi semel admonitus resipuerit, suspensionis poena, prout iuris est, animadvertant.

2. Ne verbum Dei ministrorum vitio ad ipsum revertatur vacuum, sed ut faciat, quaecumque vult, et prosperetur in his, ad quae mittit

illud, graviter monemus omnes et singulos ex nostris, quibus concionandi munus commissum est vel deinceps committetur, ut memores eorum, quae in pluribus capitulis generalibus, ac praesertim in Romano anni 1650 adm. 2. et in Romano item 1694 adm. 13. Innocentii XII. P. M. iussu praescripta commendataque sunt, sacram scripturam iuxta sanctae Romanae ecclesiae sensum et unanimem ss. patrum interpretationem exponant; nec aliam, quam tutam et inconcussam angelici nostri praeceptoris et catechismi Romani doctrinam tradant; supervacuas quaestiones, quae ad aedificationem non faciunt, evitent; incerta vel quae specie falsi laborant, non proferant; auditoribus risum argutiis iocisve non eliciant, nec vanam facundiae atque eruditionis commendationem aucupentur; sed locos tractent ad pietatem excitandam, fovendamque accommodatos, oratione dilucida, perspicua, gravibusque sententiis distincta utantur; et illud toto animo totisque viribus, adiutrice gratia, incumbant, ut verbis perpetuo aequalem, paremque vitam agant.

3. Quae de supervacaneis et longioribus, quam res ipsa postulat, litteris ad magistrum ordinis non scribendis et de forma in subscriptionibus servanda, alias saluberrime constituta sunt, in memoriam revocantes admonemus omnes fratres nostros, ne absque necessitate ad magistrum ordinis scribant, et ne eadem de re litteras germinent, vel ad magistrum ordinis simulque ad socios epistolas dent atque ut, dimissa inani prolixitate verborum, simplici stylo quae petunt vel nuntiant, quam brevius potest, exponant, propriumque nomen et cognomen una cum titulis, quibus in ordine fruuntur et officio, si quo funguntur, et locum coenobiumque, in quo degunt, et provinciam vel congregationem, ad quam coenobium pertinet, adscribant, et annum, mensem, diem apponant, ac siquidem simplices sacerdotes aut studentes aut novitii professi aut conversi sint, hoc indicent.

PETITIONES PROVINCIARUM.

Povincia Hispaniae.

Petit conventus s. Dominici civitatis Lucensis, ut studium generale in eo erectum a p. magistro generali Bremond anno 1752 confirmetur, et praedictus conventus erigatur in universitatem cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus alii conventus per capitula generalia in universitates erecti gaudent.

Arbitrio magistri ordinis, qui habita ratione circumstantiarum decernet.

Provincia Tolosana.

Petit 1., ut confirmentur et approbentur laudabiles consuetudines eiusdem provinciae.

Ad 1. Confirmentur non oppositae consuetudinibus ordinis sub iisdem terminis capituli 1725.

2. Ut provinciali liceat confessarios monialium, etsi biennium aut quadriennium compleverint, ad idem officium in eodem monasterio deputare aut instituere, idque quia idonei ad id munus vel pauci sunt vel obire renuunt.

Ad 2. Arbitrio magistri ordinis.

3. Derogando ordinationi generali, qua praecipitur, ut moderatores et regentes studiorum vocentur ad examina eorum, qui approbari desiderant ad confessiones excipiendas, conciones habendas et ad lectoratus officium exercendum, ut statuatur loco praefatorum ad eadem examina vocandos una cum patre priore conventuali quinque aut ad minus quatuor theologiae professores, qui per quinquennium legerint aut actu legant theologiam, incipiendo ab antiquioribus, qui soli iure examinis et suffragii gaudebunt, idque sub poena nullitatis examinis. Id postulatur, quia in hac provincia non sunt nec moderatores nec regentes et plures ex patribus a consiliis, qui iure examinis et suffragii gaudere gloriantur, non semper habiles sunt ad iudicandum mature de idoneitate examinandorum.

Ad 3. Examinatores sint professores, qui actu legunt, non patres a consiliis, ita ut non excludatur professor, alias pater a consiliis, idque in conventibus, ubi non sunt regentes.

Provincia utriusque Lombardiae.

Petit 1., ut praescriptus patrum provinciae titulo praedicationis senarius numerus ad octonarium augeatur.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis, ut capituli nomine agat.

2. Ut qui examen pro excipiendis confessionibus sunt subituri, ad illud admitti in generali studio Bononiensi, etiam tempore quadragesimae, libere possint.

Ad 2. Conceditur pro fratribus in conventu Bononiensi degentibus, vel qui Bononiae erunt, caeteris exclusis.

Provincia Romana.

Petit 1., ut unicus novitiatus pro novitiis simplicibus constituatur, atque his praeficiatur, qui praeter dotes legibus nostris praescriptas ad magisterii gradus approbatus sit; et postquam in hoc munere per sexennium integrum laudabiliter se gesserit, habendus sit, tamquam lectionem moralem, magisterium studiorum et baccalaureatum formalem egisset, adeo ut ad lauream magisterii obtinendam nonnisi regente in studio Minervitano vel Perusino munus exercere opus sit.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis.

2. Petit erectionem duplicis magisterii provinciae iis conferendi, qui

non modo ad praedicationis officium, sed etiam ad lecturam artium et theologiae in studiis generalibus approbati praeter omnia ad postulationem pro generali praedicatura iuxta provinciae morem requisita, adhuc graviora zeli, doctrinae fructuosaeque praedicationis monumenta praestiterint a rm̃o magistro ordinis decernenda.

Ad 2. Concessum, quod petebatur, sed iuxta formam provinciae Lombardiae.

Provincia Regni.

Petit 1., ut novitii professi, postquam geometriae elementis et orientalium linguarum rudimentis imbuti fuerint, philosophiae per triennium operam navent.

Ad 1. Admissa simpliciter petitio.

2. Ut renovetur et inviolate servetur lex pro hac provincia olim edita, qua statuebatur, ne ullus fratrum, baccalaureis et magistris exceptis, praefici Neapolitanis coenobiis possit, nisi prioris munere in parvo alio coenobio functus antea fuerit.

Ad 2. Constituatur, ut in coenobiis Neapolitanis prior esse nequeat, nisi qui in coenobiis studiorum iuxta leges ordinis.

3. Ut abrogetur lex pro hac provincia lata, qua cavetur, ut qui uni praefuit coenobio, alteri praefici non possit, nisi inter unam alteramque praefecturam integer annus intercedat; et deinde liceat fratribus unius coenobii eum sibi priorem etiam eligere, qui hoc munus in alio coenobio vel actu exercet vel paulo ante exercuit, ubi id necessitas postulat.

Ad 3. Placet abrogari et ad terminos iuris redigi.

4. Ut ultra definitum pro hac provincia numerum magistrorum titulo lectionis, duo alii eodem titulo addantur magisterii gradus, quia non pauci ad hunc gradum pro meritis iam diu postulati, ipsum assequi ob praefinitum magistrorum numerum minime potuerunt.

Ad 4. Arbitrio magistri ordinis.

Provincia Hungariae.

Petit 1., ut patribus professoribus scholarum inferiorum iuxta decreta Caesareo-Regia in diversis locis institutis et adhuc instituendis, postquam per sexdecim annos laudabiliter docuerint, concedantur privilegia, quae in hac provincia praesentatis conceduntur.

Ad 1. Magister ordinis, auditis pp. provinciali et diffinitore Hungariae definiat, decernat, quod ordini conveniet.

2. Ut promoveatur causa beatificationis b. Margaritae de Hungaria, virginis ordinis nostri.

Ad 2. Admissa petitio, modo provincia Hungariae documenta mittat.

Provincia Poloniae.

Petit 1., ut definiatur, quomodo se gerere debeant conventus ad

hanc provinciam pertinentes, quos Borussorum rex, sub cuius ditione sunt, urget ad proprium vicarium generalem eligendum.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis, qui re mature expensa definiat.

2. Ut fratribus, qui ab uno conventu ad alium assignantur, provideatur de vectura, ita ut conventus, a quo recedunt, medietatem, et ille, ad quem accedunt, aliam medietatem solvat.

Ad 2. Stetur legibus ordinis, et provincia utatur iure suo.

3. Ut lectores theologiae iuxta praescriptum elenchum eam tradere iubeantur.

Ad 3. Examinato elencho providebitur.

4. Ut, si quis frater divisionem provinciae attentet, iuxta ordinationem capituli Romani 1644 reprimatur.

Ad 4. Iam provisum.

5. Ut instetur apud sanctam sedem pro approbatione cultus quadraginta novem martyrum Sandomiriensium.

Ad 5. Instabitur, si iudicio peritorum expedire videbitur.

6. Ut fratres missionarii gaudeant privilegiis, quibus in caeteris provinciis gaudere solent.

Ad 6. Significentur privilegia, et arbitrio magistri ordinis.

7. Ut ultra duo loca magisterii titulo praedicationis obtinenda alia instituantur.

Ad 7. Arbitrio magistri ordinis.

8. Ut in conventu Lublinensi, ubi insignis est portio ligni sanctissimae Crucis, qualibet hebdomada feria sexta, non impedita, possit recitari officium de sancta Cruce.

Ad 8. Recurrant ad sedem apostolicam.

Provincia Bohemiae.

Petit 1., ut impetretur facultas celebrandi festum ss. angelorum custodum dominica prima septembris, qua die ab universo clero saeculari et regulari per Bohemiam, Moraviam et Silesiam celebratur.

Ad 1. Magister ordinis facultatem quaerat.

2. Ut lectoribus, qui in conventu Brunensi ius canonicum et sacram scripturam docent, et illis, qui in coenobio Inogmensi [*lege* Iglaviensi] lectiones dogmatico-morales habent, anni lectionum ad gradus ordinis consequendos suffragentur, perinde ac si per eosdem annos theologiam dogmaticam legissent, dummodo anno scholastico finem imponant publica disputatione, quae in decus cedat; ac praeterea ut studium Brunense gaudeat deinceps quoque praerogativa studii formalis.

Ad 2. Auditis provinciali, diffinitore et electore, magister ordinis decernat, quod ratio tulerit.

3. Ut biennium, quo lectores magistri studentium munus exercent,

ipsis pro gradu magisterii suffragetur, praesertim cum magister studentium simul ius canonicum legat.

Ad 3. ut ad 2.

4. Ut studentes, qui sub regente in fine anni scholastici, vel sub baccalaureo in fine officii, publica disputatione habita, praeclarum suae in litteris peritiae specimen praebent, absque ulteriori examine institui lectores theologiae possint.

Ad 4. Aliqua ratio in provisione studiorum a provincialibus habeatur eorum, qui theses defenderint.

5. Ut in posterum eligi et confirmari a patre provinciali, si electi fuerint in priores conventuum studiorum, possint etiam, qui theologiam per triennium non legerint.

Ad 5. Petant dispensationem a magistro ordinis.

6. Ut priori provinciali fas sit priores conventuales, qui primo triennio munus suum cum laude exercuerint, idoneos reddere, ut ad idem munus per aliud dumtaxat triennium deligi possint, si conventus id petierint.

Ad 6. Standum legibus; si quando necesse fuerit, recurrant.

7. Ut praedicatores generales activa voce in capitulo provinciali et aliis gradus privilegiis gaudeant, tametsi in conventibus, pro quibus promoti sunt, actu non resideant.

Ad 7. Agat de hoc magister ordinis, et audito patre provinciali statuat.

8. Ut quartum magisterium titulo praedicationis in hac provincia conferatur, propterea quod anno 1754 conventibus Bohemiae et Moraviae ad participationem in gradibus ordinis adiuncti fuerint conventus Oppaviensis et Teschinensis.

Ad 8. Magister ordinis ulterius expendet; dixit autem, se propendere in gratiam.

9. Ut promovetur causa beatificationis b. Zdislavae, cuius acta anno 1732 vel 1733 Romam transmissa.

Ad 9. Nihil de his actis compertum.

Provincia Trinacriae.

Postulatur, ut confirmentur et innoventur ordinationes pro hac provincia in capitulo generali Bononiae anni 1706 latae, in quibus n. 1. legitur: « Studia prohibemus collocari in conventibus parvis ». Et n. 2. « Amovemus intolerabilem abusum assignandi duobus lectoribus unum tantum studentem, sed quilibet lector sive theologiae sive philosophiae pro sua lectione habeat quatuor vel ad minus tres studentes; nec assignari volumus in aliquo conventu minus quam quatuor vel tres novitios professos ».

Arbitrio magistri ordinis.

Provincia Germaniae inferioris.

Fratres praedicatores per Belgium constituti supplicant pro efficaci remedio, quo patres recollecti adstringantur ad servanda in posterum Romanorum pontificum decreta de immaculata conceptione.

Arbitrio magistri ordinis, at sermo non fiat de conceptione.

Provincia Apuliae.

Petit 1., ut declaretur, fas non esse superioribus localibus praefinitam pro vestiario summam augere vel minuere neque per se neque adhibitis patribus a consiliis sub poena absolutionis ab officio et inhabilitatis ad quamcumque superioritatem.

Ad 1. Provincia utatur iure suo.

2. Ut statuatur, ne ullus in posterum conversus ad annum probationis pro emittenda professione admittatur, qui sexennio ad minus ut tertiarius rigorose probatus non fuerit.

Ad 2. Reiecta fuit petitio.

3. Ut in magistros novitiorum professorum illi tantum destinentur, qui legitimam aetatem habentes, lectores actuales fuerunt et optimis moribus sunt praediti; vel his deficientibus alii patres maturitate graves; qui omnes quandiu id muneris exercent, modo cum laude exerceant et die noctuque in novitiatu versentur, quod provincialis capituli diffinitorio per iurata authentica documenta probabunt, ab hebdomadariae onere tantum sint immunes; a quo pariter perpetuo immunes erunt, postquam decennium in hoc munere exegerint, etiamsi novitii, eorum curae crediti, pauciores quam sex fuerint.

Ad 3. quoad 1. provincia facultatibus suis utatur; quoad 2. serventur leges ordinis.

4. Ut concursus omnes pro philosophiae et theologiae lectionibus habeantur in coenobio s. Petri Martyris de Meduneo, quo ipsis interesse prior provincialis queat, et iudicari possit de omnium et singulorum idoneitate ab iisdem iudicibus, qui a diffinitorio cuiuslibet capituli provincialis eligentur.

Ad 4. Arbitrio magistri ordinis.

5. Ut in quolibet concursu tum philosophiae tum theologiae teneantur concurrentes authentica iurata documenta iudicibus exhibere omnium patrum illius conventus, ubi moram traxerunt, de vita et moribus; ac praeterea concurrentes pro lectione theologiae authenticis pariter iuratisque documentis patrum coenobii, in quo philosophiam docuerint, ostendere debeant, se actum nullum scholasticum ex illis, qui instituti nostri legibus praescribuntur in philosophico cursu, vel omisisse vel contraxisse vel dispensasse, aliter ad concursum non admittantur, eiusdem generis documenta de lectione theologiae una cum illis, quae

de lectione philosophiae retulerint, rm̃o ordinis magistro omnino exhibeant, ut ipsis subeundi examen ad gradus potestas fiat.

Ad 5. Nihil immutari, sed servari leges ordinis.

6. Ut iuxta ord. 5. capituli generalis Romani anni 1686 omnes lectores sive philosophiae sive theologiae in festo sanctae Crucis vel, si necessitas urgeat et prior provincialis permittat, post festum omnium Sanctorum immediate, atque adeo ante festum s. Martini, et annum scholasticum die 13. septembris terminare, ita ut illis, qui medio tempore docere inceperint, lectura pro integro septennio ante examen ad gradus peragendo minime suffragetur.

Ad 6. Lectores tempore debito instituantur et stetur legibus ordinis quoad initium et finem cursus.

7. Ut prior provincialis pro tempore, quoties visitat coenobia, in quibus vigent studia generalia et collegium, diligenter inquirat, an actus omnes scholastici peragantur absque ulla arbitraria dispensatione; et post visitationem omnia ad rm̃um ordinis magistrum summa fide referat. Qua in re cuiuslibet provincialis conscientia oneratur.

Ad 7. Iam satis provisum per leges ordinis.

8. Patres lectores numero duodecim, qui magistri studentium munere in hac provincia perfuncti sunt, et duo, qui nunc eodem munere funguntur, petunt, ut illis, qui hoc munus exercuerint, exemptio ab hebdomadariae onere concedatur.

Ad 8. Concessa fuit exemptio, sed dumtaxat supplicantibus expressis, et hac apposita conditione, ut semel in anno ob reverentiam legum hebdomadarii onus subeant.

9. Provincia eodem committit provinciali et diffinitori, ut post electionem magistri ordinis cum eo agant: 1. de constituendo coenobio, ubi ordinis alumni ad verbi divini praedicandi munus instituantur iuxta ordinationes capitulorum generalium anni 1748 et anni 1756; quia licet conventus s. Petri Martyris de Meduneo designatus ad hoc studium fuerit, designatio executioni nondum mandata est; 2. de illis, quae conferre possunt ad maiorem profectum iuvenum, qui in studiis materialibus philosophiae ac theologiae dant operam; 3. de facultate erigendi in coenobium studii pro novitiis professis conventum s. Thomae de Aquino civitatis Gravinae, et ad eum alterius coenobii studium transferendi.

Ad 9. Magister ordinis respondit, se libentissime eisdem auditurum.

Provincia s. Crucis Indiarum.

Commissarii universitatis s. Hieronymi Avanae in coenobio nostro sitae petunt, ut actualis secretarius eiusdem universitatis, et qui ipsi in hoc munere succedent, ab onere hebdomadariae et caeteris, quae componi cum eius munere nequeant, sint immunes.

Arbitrio magistri ordinis.

Provincia Hiberniae.

Petit 1., ut collegium ss. Rosarii Ulyssipone situm erigatur in conventum formalem et novitiatum ad instar conventus ss. Xisti et Clementis Romae et s. Crucis Lovanii eiusdem provinciae, sublatis omnibus privilegiis, quae sub puri collegii titulo sibi huc usque vindicavit, salvis tantum manentibus illis, quae studio generali competunt.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis.

2. Ut confirmetur et extendatur ad studia generalia ss. Xisti et Clementis et collegii Ulyssiponensis ordinatio, in actis postremi capituli provincialis Hiberniae edita, qua praecipitur, ut magister studentium studii generalis Lovaniensis non modo, quae muneris sui sunt, impleat, sed etiam singulis diebus non feriatis hora opportuna controversias studentibus tradat; et magistris studentium in quovis ex tribus memoratis studiis munus hoc exercentibus nunc et illis, qui in posterum exercebunt, concedatur, ut biennium magisterii studentium, hoc enim munus in iisdem studiis est biennale, computetur inter annos, qui ad gradus scholasticos adipiscendos requiruntur.

Ad 2. Arbitrio magistri ordinis.

3. Ut rm̄um diffinitorium gratias agat externis provinciis, quae summa caritate et benignitate hactenus admiserunt provinciae Hiberniae alumnos ad easdem religiosae educationis vel asyli causa missos, iisque commendet, ut pari caritate et benignitate excipere pergant.

Ad 3. Gratias agit et commendabit.

4. Ut committatur p. Felici de Alcantara, actuali magistro provinciali Bethicae, ut inquirat, an et sub quibus clausulis enumerata fuerit conventui Portus s. Mariae eiusdem provinciae summa bis mille quingentorum nummorum Hispanicorum, et cuius annuo censu aleretur unus religiosus Hibernus pro excipiendis gentilium suorum ibi commorantium vel transeuntium confessionibus, et opera danda conversioni haereticorum sive Anglorum sive Hibernorum portum illum commercii causa frequentantium; quam summam significatum est Hiberniae provinciae legatam in suo testamento a quodam benefactore Hiberno in Hispania commorante.

Ad 4. Inquirat provincialis Bethicae et procurator Hibernorum Matriti degens.

5. Ut si aliqua eius summae restitutio facienda sit, propterea quod locus iste vacaverit ab anno 1757 ad annum 1773, paucis exceptis mensibus, eiusmodi restitutio cedat in commodum hospitii, quod Hiberniae provincia habet Flaviobrigiae, vulgo Bilbao, et in commodum eiusdem hospitii cedat restitutio quaelibet in posterum facienda, si praefatum locum nunc occupatum ultra sex menses vacare contigerit.

Ad 5. Referant, quod invenerint magistro ordinis, qui re examinata, absque partium studio decernat, quod aequitas postulabit.

6. Ut ad hoc hospitium unice pertineant spolia fratrum Hibernorum, qui in eo moriuntur, non secus ac spolium procuratoris provinciae Hiberniae Matriti existentis post eius mortem, exceptis supellectili et utensilibus cellae, quam vivus occupabat in conventu Passionis, pro eius successore servandis.

Ad 6. Arbitrio magistri ordinis.

7. Ut liberum sit provinciae Hiberniae vocalibus eligere in provincialem virum, quem noverint prudentia, doctrina sana ac pietate praeditum, etsi theologiam non docuerit.

Ad 7. Consulant in casu magistrum ordinis, qui providebit, si non fuerint, qui legerint.

Provincia s. Iacobi de Mexico.

Petit 1., ut committatur rmo p. magistro generali dispositio sex praedicaturarum generalium, quae titulo linguae obtineri solent, num titulo linguae an missionis indiscriminatim conferri possint.

Ad 1. Committitur magistro ordinis.

2. Num conveniens sit, supremam addere auctoritatem consilio provinciae habito in conventu s. p. n. Dominici de Mexico circa vitam servandam a nostris missionariis Californiarum conformiter ad vitam, quam servare solent missionarii provinciae ss. Rosarii Philippinarum ?

Ad 2. Arbitrio magistri ordinis.

Provincia Nexsciovanensis in Armenia.

Petit 1., confirmari ordinationes factas pro hac provincia a capitulis generalibus anno 1748 et anno 1756.

Ad 1. Confirmentur, nisi aliquid a magistro ordinis fuerit innovatum.

2. Ut nullus recipiatur ad habitum ordinis, nisi a solo priore provinciali pro tempore, obtenta prius licentia a rmo patre generali.

Ad 2. Iuxta petita servetur mos.

Provincia s. Antonini de Novo Regno.

Petit 1., ut conventus formalis in civitate de Emerita, catholici regis benignitate concessus et liberalitate dotatus, instituatur et declaretur conventus formalis pro educatione novitiorum, adiecto privilegio studii generalis ad instar studiorum generalium dictae provinciae, et concedatur, ut gaudeat suo praedicatore generali cum omnibus gratiis, quibus alii praedicatores generales in dicta provincia potiuntur.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis.

2. Ut declaretur, quod omnes missionarii, qui in missionibus de Barinas et Apure inserviunt et degunt, pertineant ad conventualitatem dicti conventus et intelligantur assignati, ita ut subsint priori talis con-

ventus, qui, si videbitur, sit vicarius provincialis natus dictarum missionum, ut possit providere in omnibus necessariis occurrentiis.

Ad 2. Arbitrio magistri ordinis, non restricta auctoritate provincialis, ut ipse magister ordinis dixit.

3. Ut moneantur provinciales, ut saltem una vice in quadriennio sui officii missiones ad infidelium conversionem institutas per se visitent et, si impediti legitime fuerint, visitationem per idoneum visitatorem perficiant, curentque quam diligentissime, ut missionarii non instituantur, qui virtute et doctrina ad illud munus obeundum necessaria instructi non sint; itemque admoneantur fratres, ne territi asperitate itinerum et periculorum gravitate se excusent renuantque iter ad eas infidelium missiones arripere.

Ad 3. Admoneantur, et confirmentur caetera ita tamen, ut provincialis immediate futurus visitationem per se perficiat.

4. Ut confirmentur omnes ordinationes factae pro hac provincia ab emo de Boxadors, et praesertim pro studiis, declarando, quod nullus instituatur lector vel exponatur ad audiendas confessiones, qui antea per annum lectionem Cani non audierit et summam theologicam s. Thomae non didicerit, ac ne quis cathedrae Cani moderator instituatur, qui antea magisterium studentium non obierit.

Ad 4. Confirmentur, et declarationes fiant, ut factae sunt ab emo pro aliis provinciis.

5. Ut in memoriam revocetur lex de servandis interstitiis quoad vicarios locales, et quod dicti vicarii de triennio in triennium nominentur a provinciali de consilio patrum provinciae.

Ad 5. De vicariis domorum confirmetur, et in memoriam revocetur.

6. Ut in memoriam revocetur ord. 9. pro bono regimine facta in capitulo Romae celebrato anno 1694, in qua decretum est, ne vicarius provincialis vel nationum prorogetur in officio ultra tempus provincialis, qui eum instituit, et ne iterum ad idem officium assumi possit, nisi servatis interstitiis eo modo, quo requiruntur interstitia ad officium provincialis.

Ad 6. Iuxta petita.

7. Ut pro conventibus, qui sunt in provinciis seu gubernationibus de Cartagena et s. Martha, instituatur vicarius nationalis, qui debeat instituì in capitulis provincialibus a provinciali simul cum diffinitorio et patribus provinciae; et ad tollendas quascumque quaestiones declaretur, quod ad dictum vicariatum nullum ius particulare conceditur filiis conventus de Cartagena, ita ut libera sit provincia ad instituendum quemcumque fratrem, cuiuscumque conventus sit dictae provinciae.

Ad 7. Arbitrio magistri ordinis, qui rem expendet.

8. Ut declaretur, an diffinitor, qui non sit de corpore capituli electus, habeat ius suffragii in electione provincialis.

Ad 8. Arbitrio magistri ordinis.

9. Ut declaretur, quod studentes, dum addicti fuerint scholis, voce in electionibus careant, etiamsi fortasse alias ad audiendas confessiones sint expositi.

Ad 9. In memoriam revocabitur ordinatio, hac de re facta in capitulo proxime elapso.

10. Cum ex decl. 1. capituli generalis 1756 elapso mense post triennium sint privati voce activa et passiva in electione priorum et etiam facultate audiendi confessiones, qui examen non subierint, ut declaretur, an intra spatium huius mensis habeant ius activae et passivae vocis necnon facultatem audiendi confessiones.

Ad 10. Habent, et sic declaratum est non semel a magistro ordinis.

11. Ut declaretur, secundum et tertium examen nonnisi post elapsos triginta tres menses a praecedenti examine subeundum esse, ita ut sit nullum et irritum ipso facto examen ante praedictum tempus obitum tum quoad vocem in electionibus, tum quoad facultatem audiendi confessiones.

Ad 11. Declarabitur, ut alias declaratum est.

12. Ut declaretur, an qui legitime examinati et approbati sunt ab ordine ad confessiones audiendas, gaudeant voce in electionibus, si nondum habeant facultatem ab ordinariis locorum confessiones saecularium audiendi.

Ad 12. Declaratione non indiget.

13. Ut declaretur, an si lectores theologiae ante completum triennium talis lectionis compleant interea triennium a praecedenti examine, obnoxii sint examini subeundo.

Ad 13. In confirmatione actorum declarabit magister ordinis, ut em̄us declaravit pro aliis provinciis.

14. Ut declaretur, an magistri studentium lectoresque theologiae moralis scholasticae gaudeant privilegio lectoribus theologiae concesso pro immunitate ab examine subeundo, et an annus lectionis Cani debeat computari ad gaudendum hoc privilegio.

Ad 14. Lectio Melchioris Cani gaudet, aliae non gaudent.

15. Ut innoventur leges de non recipiendis nec promovendis ad gradus et officia illegitime natis, imo addatur, quod illegitime nati non possint institui in magistros novitiorum nec in lectores.

Ad 15. Renoventur, et addatur, quod bene visum fuerit magistro ordinis pro bono provinciarum.

Provincia ss. Rosarii Philippinarum.

Petit 1., ut commendentur, sicut commendatae fuerunt in capitulo generali Bononiensi anni 1748 laudabiles consuetudines provinciae, et con-

firmentur ordinationes eiusdem primordiales necnon editae ab emo generali Pipia, rmo generali Ripoll et emo generali de Boxadors.

Ad 1. Confirmentur, dummodo non afferant detrimentum auctoritati magistri ordinis.

2. Ut capitulum generale gratuletur de zelo eiusdem provinciae in amplificanda religione christiana inter infideles, et praecipue laudetur zelus missionariorum actu degentium in Sinarum imperio et regno Tonquini, ubi duo ultimi martyres occisi sunt et alii passi sunt vel carceres vel exilia vel tormenta propter fidem Christi, sicut actum fuit pro simili casu in praelaudato capitulo conf. 4.

Ad 2. Commendetur, sed adiungatur et vehementer inculcetur, quod curam habeat assistendi missionariis.

3. Ut exhortetur ad huiusmodi missiones fratres ditioni regis catholici subiectos, et proponatur aliqua poena, si quispiam audeat removere quempiam a sua vocatione.

Ad 3. Iam provisum est.

4. Ut iniungatur patri provinciali, ne possit arbitratu suo nec etiam de consensu patrum a consiliis mittere quemquam positive renuentem ad praedicandum evangelium infidelibus, ad evitanda praeiudicia, quae oriri solent, cum obligantur ex merito tantum obedientiae.

Ad 4. Commendetur provincialibus, ut nonnisi probos et doctos mittant; nihil de renuentibus dicatur.

Provincia Aprutina.

Petit 1., ut ad dissensiones removendas in priores conventuum studiorum huius provinciae eligi possint etiam, qui nec philosophiam nec theologiam docuerint.

Ad 1. Recurrant provinciales in casibus particularibus, et providebitur.

2. Ut magistris novitiorum tam simplicium quam professorum post decennium cum laude in hoc munere exactum, nulla habita ratione numeri novitiorum, sed dumtaxat litterarum testimonialium de munere diligenter expleto, quae litterae provinciali capitulo exhibeantur, activa voce in provincialibus comitiis gaudere liceat.

Ad 2. Instituantur magistri novitiorum, qui sunt lectores examinati ad gradus, quorum ratio habebitur.

3. Ut in natione Aprutina designetur pro novitiis simplicibus conventus s. Mariae Gratiarum de Francavilla, novitiis professis inde penitus remotis; pro novitiis autem professis cum philosophis tum theologis conventus s. Dominici de Theate, s. Dominici de Penna, s. Dominici de Aquila et s. Dominici de Sulmona; hac tamen lege, quod natio Aprutina pro alumnis suis in praedictis conventibus alendis solvat conventui qui-

dem Theatino, si plures novitii quam sex assignentur, ducatos quinquaginta pro quolibet novitio, collegio Aquilano, cuius redditus alendis novitiis sunt impares, pro quatuor novitiis ducatos biscentum, conventui Pennensi pro quolibet novitio, cum quaternarius eorum numerus exceditur, ducatos quinquaginta, totidemque conventui Sulmonensi pro singulis novitiis ultra tres, quos sustentare propriis redditibus potest.

Ad 3. Audito patre provinciali et duobus sociis, magister ordinis definiat, quod ordini et provinciae expedire videbitur.

Provincia Russiae.

Petit 1., ut ordinationes pro hac provincia in ultimo capitulo generali Romano anni 1756 editae iterum confirmentur.

Ad 1. Confirmentur, si illas non abrogavit magister ordinis.

2. Ut impetretur facultas celebrandi festum s. Hyacinthi cum octava solemni in tota provincia.

Ad 2. Ordo favebit provinciae, si ab apostolica sede hoc petatur.

3. Ut studium generale in conventu Montis ss. Rosarii a rmo Ripoll erectum, a rmo Bremond speciali rescripto recognitum, ab emo de Boxadors ratum habitum, tandem confirmetur una cum ordinatione rmi Bremond, qua statuitur, ut filii conventus Leopoliensis in studio generali Leopoliensi, filii conventus Rosariani in studio tantum generali Rosariano promoveantur, filii autem provinciae aequaliter in utroque.

Ad 3. Confirmetur erectio; quoad alia stetur iuri constituto a magistro ordinis.

4. Ut in studiis sola summa s. Thomae tradatur et explicetur.

Ad 4. Tradatur sola pro studio theologiae sine praeiudicio, si quid magister ordinis addere voluerit.

5. Ut studium sacrorum canonum instituatur.

Ad 5. Arbitrio magistri ordinis.

6. Ne iuvenes, absoluto anno probationis suae, prius pro studio philosophiae designentur, quam rhetoricae arti uno anno dent operam.

Ad 6. Arbitrio magistri ordinis.

7. Ut pro contrata Albae Russiae superioris et inferioris designentur conventus Pinscensis et Minscensis, in quibus fratres, etiam pertinentes ad remotiores Polessiae partes, ad gradus aut ad confessiones examinentur, dummodo quinque examinatores sint, testimonii autem de examine illorum relati in librum actorum studii, in quo examinabuntur, ad studium quodcumque generale exemplar mittatur.

Ad 7. Arbitrio magistri ordinis.

8. Ut missionarii huius provinciae, qui fractis viribus iam amplius praedicare non potuerint, maneant in uno ex his conventibus Tarnopoliensi nempe vel Buczacensi, aut mittantur ad alium, qui sic fractum

commode sustentet; in his vero gaudeant exemptionibus, quibus actuales professores gaudere solent. Commendetur pariter successivis huius provinciae praesidibus, ut circa sustentationem missionariorum, subministrationem subiectorum solliciti sint.

Ad 8. Commendatos habebimus. De caeteris magister ordinis.

9. Ut domus Tarnopoliensis, Szaravcensis, Vianicensis, Tulczynensis, Morachvensis ad conventus priorales eleventur.

Ad 9. Arbitrio magistri ordinis.

10. Ut reducantur onera missarum.

Ad 10. Agetur cum ss. pontifice pro universis provinciis.

Provincia Lithuaniae.

Petit 1., ut praeter studium rhetoricae, historiam veteris et novi testamenti, historia politica ac principiis matheseos iuvenes imbuantur.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis.

2. Ut in theologia ac in metaphysicis, praesertim circa praemotionem physicam, salva divi Thomae sententia, libertas sentiendi in physicis concedatur, utque post logicam immediate metaphysica doceatur ac in physica mathesis coniunctim tradatur.

Ad 2. Reiecta petitio quoad libertatem sentiendi in physicis.

3. Ut studentes a scriptione lectionum liberi institutiones tam philosophicas quam theologicas typis impressas discant, has vero provincia typis imprimi vel aliunde comparare curabit, et conventus, ubi vigent studia, coemere tenebuntur.

Ad 3. Arbitrio magistri ordinis, qui dixit, se non responsurum petitioni, nisi prius institutiones viderit.

4. Ut omissis speculationibus theologia dogmatica et polemica cum historia ecclesiastica tradatur, utque studentibus theologis anni quatuor studentatus sufficiant, iis praesertim, qui ad iuvenes in gymnasiis educandos assignabuntur.

Ad 4. Arbitrio magistri ordinis, qui considerabit, ne quid nimis.

5. Ut linguarum exoticarum, praesertim graecae et gallicae, studiis apti iuvenes imbuantur.

Ad 5. Arbitrio magistri ordinis, prout provinciae convenire viderit.

6. Ut per delectos patres in re litteraria peritiores singula circa studia tum fratrum tum saecularium ordinentur et statuantur, prout utilitatis ratio et praesens rerum status exigit, utque huiusmodi dispositio vim legis in provincia obtineat ac inviolabiliter observetur.

Ad 6. Magister ordinis provideat.

7. Ut unus saltem praeterea locus pro magisterio et pro praesentatura concedatur, sitque deinceps in provincia titulo lectionis tredecim magistri ac tredecim praesentati.

Ad 7. Arbitrio magistri ordinis.

8. Ut lectoribus post lectam philosophiam cum fructu ac traditam theologiam duobus annis, quatuor anni praedicationis suffragentur ad praesentaturae gradum, subsequentes vero quatuor anni ad gradum magisterii, dummodo iidem suas conciones in publicis exedris, nempe Vilnensi s. Spiritus, Nesvisiensi, Grodnensi, Caunensi fructuose habuerint, atque digni hisce gradibus a capitulo provinciali iudicati fuerint, atque ideo concedantur tria loca pro magistris et tria pro praesentatis titulo praedicationis.

Ad 8. Arbitrio magistri ordinis.

9. Ut si forte conventus congregationis s. Ludovici Bertrandi proximioribus provinciis assignandi videantur, huic provinciae tribuatur conventus Varsaviensis ad capellam Moschoviticam.

Ad 9. Arbitrio magistri ordinis, auditis partibus.

10. Ut confirmentur ordinationes in anterioribus capitulis factae tum de studentibus, ut tempore studentatus sui non habeant vocem activam in electione prioris, tum de aliis patribus, qui non sunt expositi ad audiendas confessiones fidelium.

Ad 10. In memoriam revocabuntur in confirmatione actorum.

11. Ut examina ad audiendas confessiones fidelium possint patres ex conventibus remotioribus subire in studiis formalibus, quae sibi erunt propinquiora, et in illis approbati habebunt vocem in electione priorum.

Ad 11. Arbitrio magistri ordinis, dummodo qui semel reprobati fuerint, in eodem conventu subeant examen.

12. Ut magistri s. theologiae ordinarie resideant in conventibus generalibus et formalibus, ubi studia vigent, tum propter examina, quibus interesse debent, tum propter alios actus scholasticos, ut ipsi invigilent.

Ad 12. Arbitrio magistri ordinis.

13. Ut nemo promoveatur ad quemcumque gradum, nisi a patribus provinciae per vota secreta approbatus fuerit de idoneitate et sufficientia meritorum ad talem gradum.

Ad 13. In memoriam revocabitur lex de postulatione facienda a patribus provinciae.

Provincia Canariarum.

Petit 1., ut quarta pars bonorum mobilium fratrum, qui ex hac vita decesserint, communi provinciae deposito applicetur; bibliotheca enim collegii Lacunensis, cui addicta quarta ista pars fuerat, multis iisque egregiis libris iam aucta est.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis.

2. Ut iniungatur provinciae depositariis, ne administrationis suae labores refugiant, ac quascumque provinciae pecunias in arca communi

sub tribus clavibus custodiant, rationes omnes sumptuarias in libros dati et accepti cum fide referant, utensilia omnia pro capitulis provincialibus diligenter servent atque annuam reddituum provinciae perceptionem promoveant.

Ad 2. Arbitrio magistri ordinis.

3. Ut ex contributionibus, quae a caeteris provinciae coenobiis collegio s. p. n. Dominici civitatis Lacunensis solvuntur, quae quidem pro collegarum sustentatione primum impositae, deinde libris pro bibliotheca emendis addictae fuerunt, scutis quindecim annuis pro bibliotheca, in posterum reservatis viginti novem, quae supersunt, iterum pro collegarum sustentatione applicentur.

Ad 3. Arbitrio magistri ordinis.

4. Ut aliqua privilegia concedantur illis, qui per quindecim aut viginti annos cantoris munus exercuerint vel organa pulsaverint.

Ad 4. Arbitrio magistri ordinis.

5. Ut capitulum provinciale proxime futurum, quod in conventu s. Benedicti villae Oxotavensis celebrandum esset, in regali conventu s. Mariae de Candelaria ad maius vocalium commodum celebrari possit.

Ad 5. Arbitrio magistri ordinis.

Provincia Angelopolitana.

Petit 1., ut concedatur alia praesentatura et aliud magisterium titulo praedicationis, ita ut duae praesentaturae sint pro fratribus, merita ad eas habentibus, natis in Hispania, et duae aliae pro natis in India, et duo magisteria, unum pro nato in Hispania et aliud pro nato in India.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis.

2. Ut coenobium s. Mariae de Guia in civitate Veracrucensi, in quo constitutum est studium grammaticae, et cursus philosophiae habeatur pro domo studiorum.

Ad 2. Arbitrio magistri ordinis, si aliae cathedrae instituantur.

3. Ut petatur a summo pontifice diploma, quo firmentur omnes gratiae et privilegia ordinis circa confraternitates ss. Rosarii.

Ad 3. Arbitrio magistri ordinis.

Provincia s. Ludovici.

Petunt diffinitor et elector huius provinciae 1., ut in ea constituantur praedicatores generales ad normam aliarum provinciarum Galliae, qui per sex aut septem annos verbum Dei annuntiaverunt in ecclesiis cathedralibus aut in ecclesiis Parisiorum.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis, audita provincia, cuius nomine diffinitor et elector non videntur agere.

2. Ut religiosi eiusdem provinciae possint sumere gradum baccalaureatus et doctoratus ad normam etiam aliarum provinciarum.

Ad 2. Ut ad primum.

Missionarii congregationis ss. Rosarii in insula Sandominicana.

Petunt 1., ut missionarii reduces gaudeant privilegio camini et sint exempti a rigorosa chori sequela.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis.

2. Ut vicarii generales et praefecti apostolici in sua provincia s. Ludovici fruantur privilegiis concessis patribus exprovincialibus, sitque speciatim rogatum pro patre Maubert.

Ad 2. Arbitrio magistri ordinis hac lege, ut vicariatus non seiungatur a superiore provinciae vel congregationis.

3. Ut missionarii deinceps nominentur vel designentur per capitulum provinciale.

Ad 3. Arbitrio magistri ordinis, sed opus esset provincialem audire.

4. Ut agens vel procurator missionis de pecunia sibi credita teneatur respondere ad legale iudicium capituli vel saltem diffinitoris, non autem ad libitum unius provincialis.

Ad 4. Arbitrio magistri ordinis, sed nollet agenti dari, quod tollitur superiori provinciae.

Provincia s. Rosae in Gallo Belgio.

Postulat conventus Reviniensis, ut inseratur in actibus capituli generalis ordinatio capituli provincialis Duaci celebrati die 28. aprilis 1776, quae est huius tenoris: « specialiter pro conventu Reviniensi monemus rev. adm. priorem conventus Reviniensis, ut ordinationem rev. adm. p. Maximiliani Bayart, pro tunc provincialis, qua prohibuit in praedicto conventu haberi posse plus quam tres caminos particulari religiosorum usui destinatos, quaque mandavit, unum ex tribus extantibus, moriente aliquo eorum possessore, destinari debere primario professorum, pro tunc existenti, revera legenti, et non alteri, ordinationem, inquam, suprema auctoritate rm̃i ac em̃i patris generalis 8. aprilis 1772, confirmatam adamussim observari curet ».

Arbitrio magistri ordinis.

2. Ut post mortem rev. p. Caroli Gaudoux caminus a rev. adm. p. Deszuelles provinciali ipsi concessus destruatur, quia supranumerarius et pro mala constructione periculosus.

Provincia Sardiniae.

Postulat 1., ut numerus magistrorum et praesentatorum augeatur.

Ad 1. Arbitrio magistri ordinis.

2. Ut qui lecturam pro gradu et forma, quae per annos quatuordecim exercetur, reipsa compleverint, a munere hebdomadarii declarentur excepti extendendo ad illos privilegium, quod in capitulo generali Romano 1694 concessum fuit provinciae Romanae num. 9. pro eadem provincia.

Ad 2. Arbitrio magistri ordinis.

3. Ut conventus, pro quibus novitii assumuntur, alimenta suppeditare teneantur conventui Calaritano pro generali novitiatu designato.

Ad 3. Arbitrio magistri ordinis, sed habita ratione determinationis capituli Romani 1706.

4. Ut vicariatus oppidi de Serramanna erigatur in prioratum, datis eidem priore et praedicatore generali cum voce.

Ad 4. Informet capitulum provinciale, et magister ordinis, re cognita, decernat.

Congregatio Sanitatis.

Petit, ut concedatur magisterii laurea patribus fratribus Iosepho Buglione et Michaeli Eugenio.

Arbitrio magistri ordinis.

Congregatio s. Marci.

Petit, ut promoveatur causa b. Petri Capucci ordinis nostri.

Arbitrio magistri ordinis promovebitur, modo apta documenta proferant.

Commissiones.

1. Enixe rogantes committimus rm̃o p. magistro generali, ut Romanorum pontificum diplomata, ad ordinem nostrum pertinentia, in bullario nostro omissa vel post eiusdem bullarii editionem data, quae em̃us cardinalis de Boxadors, exgeneralis ordinis, pro singulari sua in omnibus, quae ad familiae nostrae commodum et ornamentum conferunt, sollicitudine, de suo describenda curavit, publicari faciat.

2. Cum ab omnibus, qui divinarum rerum studia colunt, theologiae angelici doctoris s. Thomae Aquinatis summae editio, quoad fieri potest, emendatissima expetatur, committimus rm̃o magistro ordinis, ut novam eiusdem summae ad manuscriptos codices Romanos et Neapolitanos exactam editionem ab idoneis viris, quos ipse ad id muneris deliget, perficiendam curet.

3. Demisse pariter rogamus eumdem rm̃um magistrum ordinis, eique committimus, ut doctos diligentesque viros designet, qui inceptum annalium nostrorum opus continuent atque absolvant, eosque, si labori minime parcentes impositi sibi muneris partes expleverint, debitis arbitratu suo praemiis afficiat.

4. Committimus quoque eidem rm̃o magistro generali, ut ordinis universi nomine a ss. d. n. Pio pp. VI. omnes et singulas ordinationes ordinis, auctoritate apostolica munitas, ad legum nostrarum terminos reducendi facultatem, eadem plane ratione, qua a fel. rec. Urbano pp. VIII. anni 1629 die 4. iunii impetrata fuit, humiliter petat.

5. Ad propagandum s. Ludovici Bertrandi ordinis nostri cultum ve-

hementer optamus, ut officium de eius festo ad universam ecclesiam extendatur. Quod item rm̃o magistro ordinis, ut ab apostolica sede postulet, committimus.

6. Petimus etiam a rm̃o magistro ordinis, ut pro officii s. Raymundi de Pennafort, quod ab iis, qui Romano breviario utuntur, sub ritu semiduplici celebratur, ad ritum duplicem elevatione agat.

7. Committimus rm̃o magistro ordinis, ut, qua est sedulitate, apud sacram Rituum congregationem causas omnes pro cultu beatificationis et canonizationis servorum Dei ordinis nostri, quae iam introductae sunt et quae deinceps introducentur, promoveat.

8. Reverenter rogando committimus praelaudato rm̃o patri magistro generali, ut ad actorum capituli huius calcem, consueta secretarii capituli protestatione ad normam decretorum sedis apostolicae praemissa, vulgari iubeat elogia fratrum et sororum ordinis, qui ab extremo generali capitulo illustri virtutis opinione decesserunt.

9. Quia multa provinciarum, coenobiorum et monasteriorum nomine petita sunt, quae per temporis angustias plane discuti non potuerunt, eorum examen rm̃o magistro ordinis committimus. Quidquid autem ipse pro eximia sua prudentia et zelo decernet, id proinde factum intelligatur, ac si in publica sessione decretum fuisset.

10. Experientia constat, coenobiorum et monasteriorum ordinis nostri certis redditibus ob varios casus imminutis, coenobia et monasteria impositis illorum causa oneribus ferendis imparia omnino esse; quare committimus rm̃o mgistro ordinis, ut a ss. d. n. Pio pp. VI. praedictorum onerum reductionem ad ratam reddituum existentium tam pro coenobiis quam pro monasteriis petat.

11. Ut novum singularis nostrae erga s. Augustinum, cuius regulam profitemur, et cuius inconcussa tutissimaque dogmata angelici doctoris s. Thomae Aquinatis, eius fidelissimi interpretis, ductu sequimur, reverentiae testimonium demus, committimus rm̃o ordinis magistro, ut officium s. Monicae, eiusdem s. Augustini matris, sub ritu duplici deinceps celebrandi facultatem a sacra Rituum congregatione impetrare studeat.

12. Quo facilius et accuratius sacrorum rituum et caeremoniarum illarum in primis, quae ordinis nostri sunt propriae, notitia a nostris hominibus comparari possit, committimus rm̃o magistro ordinis quemadmodum alias ac postremo in capitulo generali Bononiensi anni 1748 commissum fuit, ut novam caeremonialis et ritualis ordinis editionem, adhibitis viris rei liturgicae peritis, procuret.

Concessiones.

1. Concedit rm̃us magister generalis ordinis omnibus adm. rr. patribus provincialibus et diffinitoribus praesentis capituli, ut possit quilibet eorum

unum ex fratribus suae provinciae ad gravioris culpae poenas ante capituli huius celebrationem damnatum, ad omnes ordinis gratias restituere, dummodo post correctionem resipiscentiae ac emendationis signa exhibuerit. Caeterum aequis necessariisque de causis eisdem praecipit, ne hac facultate, eo inconsulto, utantur.

2. Omnibus et singulis fratribus ac sororibus ordinis idem rmus concedit, ut semel aliquem ex ordine nostro approbatum confessarium sibi deligere possint, a quo in actuali sacramenti poenitentiae administratione ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum publicationem quomodolibet contractis absolvi valeant, a quibus ipsemet rmus magister ordinis absolvere posset, si apud eum sua sacramentaliter peccata deponerent.

3. Ut emo d. fr. Ioanni Thomae, tituli s. Xysti S. R. E. presbytero cardinali de Boxadors, qui supremum ordinis nostri magisterium per annos unum fere ac viginti summa aequitate ac prudentia gessit, ipsique ordini singulari semper ornamento praesidioque fuit et est, quam potest, licet pro immortalibus eius in familiam nostram, meritis longe imparem, gratiam referat, rmus magister ordinis una cum rmo diffinitorio concedit, ut in singulis capitulis provinciarum suffragia in actis inter vivos pro eodem constituantur.

Pro provinciiis Hispaniae universim.

Quaecumque pro his provinciis emus et rmus S. R. E. cardinalis Ioannes Thomas de Boxadors, ordinis nostri exgeneralis, sive in sancta visitatione sive post sanctam visitationem saluberrime constituit, ea omnia confirmamus, utque a singulis diligentissime serventur, praecipimus.

Pro provinciis Indiarum generatim.

Ordinationes omnes a rmis magistris ordinis, praecipue a bon. mem. de Marinis et Monroy, et novissime ab emo cardinali de Boxadors ad regularem disciplinam et rectam studiorum rationem in his provinciis granciendam tuendamque latas approbamus iisque auctoritatis nostrae robur adiicimus (1).

---

(1) Hic addere libet sequentes notulas, e codice III, 5 in archivio ordinis existente transcriptas, quarum prima his verbis scripta est: Haec sunt Acta inedita capituli generalis celebrati anno 1777, quae proprio charactere eiusdem capituli secretarii adm. rev. p. magistri fr. Thomae Mariae Soldati, postea Sacrae Congregationis Indicis secretarii, in archivio ordinis reperiuntur.

Alterius vero haec sunt verba: Gli atti del presente Capitolo Generale sono stati raccolti e trascritti dal P. Lettore Fra Pietrantonio de Petris, Vicario dell' Ospizio Generalizio, ed uniti alla serie di tutti gli altri Capitoli Generali, dal medesimo con somma fatica e diligenza ricercati, per conservarli nell'Archivio della Minerva, di cui è Egli Alunno ed Archivista.

ACTA CAPITULI GENERALIS PROVINCIALIUM ET DIFFINITORUM PROVINCIARUM HISPANIARUM ET INDIARUM CAESARAUGUSTAE CELEBRATI IN CONVENTU PRAEDICATORUM AD FESTUM SS. PENTECOSTES A DIE IX. IUNII MDCCCXXXII.

Sub rm̃o p. fr. Francisco Usagre, sacrae theologiae magistro, vicario generali, eodem die in praedicto capitulo electo, diffinientibus reverendis adm. patribus provincialibus et diffinitoribus, nempe :

fr. Ferdinando Mena magistro provinciali Hispaniae,
fr. Iosepho Casaurran exvicario generali, magistro provinciali Aragoniae,
fr. Ildephonso Arevalo magistro provinciali Beticae,
fr. Francisco Atucha magistro, priore Victoriensi et dif. Hispaniae,
fr. Mariano Abad magistro diffinitore Aragoniae,
fr. Ferdinando Vizcaino magistro diffinitore Beticae,
fr. Francisco Mañas procuratore et diffinitore Philippinarum,
fr. Ioanne Nepomuceno Buenrostro magistro diffinitore de Oaxaca,
fr. Christophoro Lopez magistro diffinitore Canariarum.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, ss. pontificem Pium VII. ad preces sibi porrectas per clementissimum regem nostrum Carolum IV. apostolicam constitutionem « Inter graviores » dedisse, in qua novum stabilitur ius pro electione et munere tam generalis magistri quam vicarii generalis. Tenor huius bullae talis est :

Pius episcopus servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter graviores curas ac sollicitudines, quas omni fide ac studio in suprema hac apostolici nostri muneris procuratione impendendas esse a nobis ecclesiae cognoscimus, illae nimirum habendae sunt, quibus ordinum regularium tam de eadem ecclesia benemeritorum conservationi prospiciamus, eorum decus ac bonum promoveamus, ab iisque omnia arceamus, quae nocumento iis esse possunt, in hac praesertim temporum calamitosissimorum iniuria, in quibus maximo cum dolore nostro tam multas regularium hominum familias maximis tempestatibus iactatas, tot ac tam graves aerumnas immerito subiisse cognovimus.

At vero si miseranda coenobitarum conditio multis in regionibus gravissimi doloris maximaeque tristitiae nobis causa extitit , magnam ex

alia parte consolationis gaudiique causam nobis praebuit charissimi in Christo filii nostri Caroli IV. catholici regis eximia religio ac pietas, qua is eosdem religiosos ordines in Hispania prosequitur eorumque sanctissima instituta veneratur, ut qui optime perspectos habet uberrimos fructus, qui ex iisdem in sua regna semper maxima cum catholicae religionis ac populorum suorum utilitate sunt profecti, ut propterea in praesenti ordinum religiosorum vicissitudine non modo nullos ex iisdem in amplissimis Hispaniae regnis aut e medio sublatos aut aliquo detrimento affectos videamus, verum etiam peculiari patrocinio defensos beneficas pientissimi regis curas erga se in dies experiri cognoscamus. Ex quo fit, ut eo promptiori animo benignas aures eiusdem catholici regis postulationibus praebere earumque rationem habere ducamus, cum ille significet nobis, se in iis, quae circa dictos ordines a nobis postulat, id unum spectare, ut magis magisque in suis ditionibus ipsorum ordinum conservationi atque utilitati prospiciat, iis malis amotis, quae fortasse per vicissitudines temporum induci in eosdem potuerunt, quibus, si quae adsunt, apostolici muneris nostri est ad eorumdem conservationem stabilius asserendam atque utilitatem splendoremque augendum, prout res postulat, in Domino salubriter providere.

Siquidem laudatus idem catholicus rex exponi nobis fecit, inter caetera gravissima mala, quae ex proxima tum praeteritorum temporum perturbatione tum opinandi licentia infeliciter etiam in suas ditiones sunt derivata, illud etiam factum esse, ut in ordines regulares ibi existentes, quamvis in iis plurimi non minus virtute quam doctrina spectabiles viri inveniantur, qui spiritum et leges sanctissimorum suorum fundatorum servant, tamen magno cum regii animi sui dolore ii abusus irrepserint, ut ad eos evellendos atque eradicandos efficaciora remedia adhibenda esse videantur, ne iidem amplius iterum pullulare possint.

Quae cum nobis exposita fuerunt, nos excitati non minus officio apostolici ministerii nostri quam desiderio obsecundandi religiosissimi regis studiis, ut in re tam gravi omni maturitate ac circumspectione et iuxta normam ac consuetudinem huius sanctae sedis procederemus, exempla sequuti gloriosissimorum praedecessorum nostrorum ac praecipue in simili causa cum in eodem Hispaniarum regno cardinalis de Ximenez, visitator generalis omnium ordinum religiosorum in Hispanicis ditionibus existentium ab hac sancta sede constitutus est, apostolica auctoritate nostra visitatorem generalem omnium religiosorum in Hispaniarum regnis existentium eligendum censuimus, qui abusus omnes, qui in religiosas familias irrepsisse dicebantur, certo compertos habere studeret, ac ea facultate, quam nos per apostolicas litteras nostras in forma brevis datas quarto idus septembris anni proximi superioris eidem impertiti sumus,

si quid emendatione ac correctione dignum invenisset, id emendandum ac corrigendum curaret; deferret vero ad nos nostramque auctoritatem imploraret, si quid gravius idem deprehenderet, quod opportuna providentia indigeret, ut a nobis ad id sanandum idonea remedia suppeditarentur.

Quam nos provinciam detulimus dilecto filio nostro Ludovico S. R. E. presbytero cardinali de Bourbon, archiepiscopo Toletano et archiepiscopalis ecclesiae Hispalensis administratori, qui sane vir propter singulares laudes regii generis, eximiae pietatis, zeli ac sapientiae amplissimaeque dignitatis, quas simul coniunctas habet, quibusque inter caeteros eminet, maxime idoneus visus fuit nobis, qui posset tantum munus sancte atque integre administrare.

Hic vero tanto operi manu admota exposuit nobis, se tum ex iis, quae sibi de ordinibus regularibus in Hispaniarum regnis existentibus statim deferenda diligenter curavit, tum ex aliis, quae sibi eidem inquirenti de praesenti eorumdem statu innotuerunt, maxime opportunum iudicare ad regimen eorum ordinum regularium, qui hactenus ab uno tantum praeside generali gubernati fuerunt, totidem vicarios generales constituere, qui stabiliter in Hispanicis ditionibus residentes, independenter a supremo magistro ordinis partem eam respectivorum ordinum regant, quae in iisdem regionibus existit. Igitur non minus ab eo quam a pio rege catholico preces nobis, ut apostolica auctoritate nostra huic postulationi annuere dignaremur, oblatae fuerunt, illudque additum, hoc, attentis temporum rationibus, non solum stabili regimini ipsorum ordinum regularium opportunum fore, sed etiam ad visitationem ipsam utiliter perficiendam maxime collaturum.

His petitionibus in maturum examen a nobis vocatis ac delecta in consilium iuxta Romanorum pontificum praedecessorum nostrorum consuetudinem congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, considerantes ex una parte, quantae curae esse debeat apostolicae huic sedi conservare unitatem ipsorum ordinum iuxta suorum fundatorum spiritum atque instituta, ex alia vero parte satisfacere cupientes, quantum in Domino possumus, catholici regis desideriis ac visitatoris studiis ad bonum ac utilitatem ipsorum regularium ordinum, ut in difficillimis eorumdem temporibus stabili eorum existentiae consulamus simulque uberrimos illos fructus ecclesiae asseramus, qui ex sanctissimis regularium institutis ac virorum religiosorum exemplis ac laboribus percipiuntur, de memoratae congregationis consilio ac sententia censuimus ad futurum regimen praedictorum ordinum regularium, in Hispaniarum regnis ac ditionibus ut supra existentium, ex eo exemplum petere, quod summus pontifex Leo X. fel. rec., praedecessor noster, per apostolicas

litteras, quarum initium « Ite et vos in vineam meam », de ordine fratrum s. Francisci constituit, eamque pro praedictis ordinibus, in Hispaniarum regnis ac ditionibus ut supra existentibus, rationem statuere, per quam simul et unitas eorumdem ordinum iuxta respectivorum sanctorum fundatorum spiritum ac leges conservetur et studia regis catholici et visitatoris a nobis constituti expleantur.

Atque ad hoc tribuendum ea etiam nos inducit consideratio, quod omnes pene ordines regulares conservati ac propagati in Hispania sunt, plusquam alibi apud caeteras nationes, ac coenobitae longe plures in Hispania numerantur, quam quos alia ulla natio possit recensere. Itaque ex certa scientia ac matura deliberatione, eiusdem congregationis consilium sectantes, nostris deque apostolicae potestatis plenitudine constituimus, quae infra sunt.

Supremum magisterium ordinum in Hispaniis existentium, qui usque adhuc a generali seu vicario generali natione Hispanis atque in Hispania commorantibus gubernati non fuerunt, alternatim deinceps erit gerendum; nimirum erit una vice penes Hispanicae nationis religiosum virum, altera vero vice apud virum exterae nationis.

Cuiuscumque magisterium idem erit ad sexennium, nisi ad longius tempus statuendum, gravibus intercedentibus causis, ab apostolica sede iudicetur.

Electio summi magistri iuxta leges consuetas respectivorum ordinum a capitulo generali fiet. Cum summus ordinis magister ex Hispanis eligendus erit, comitia generalia in Hispania habebuntur; Romae vero sive alibi, prout leges cuiusque instituti statuunt, cum idem ex aliis nationibus erit eligendus.

Evocari, accedere atque admitti ad generalia comitia debebunt vocales tam ex Hispania quam ex aliis nationibus.

Cum magister generalis non erit natione Hispanus, tunc Hispani habebunt vicarium generalem Hispanum; et vice versa cum supremum magisterium penes Hispanum erit, ordo extra Hispaniam existens habebit vicarium generalem aliarum nationum. Vicarii generalis munus erit ad idem tempus muneris superioris generalis.

Electio vicarii generalis fiet in eodem capitulo generali, simul ac summi magistri electio habita fuerit, sed a Hispanis vocalibus eligetur, cum is vicarius generalis Hispanus futurus erit; vocales vero aliarum nationum vicarium eligent, cum is ad ordinem pertinebit, qui extra Hispaniam est.

Tam summus ordinis magister quam vicarius generalis, cum Hispani erunt, in regis Hispaniarum ditionibus residebunt.

Si super vicarii generalis electione aliquae difficultates ac controversiae exoriantur, harum cognitio ac definitio ad vocales respectivos, qui

eumdem elegerunt, privative pertinebit. At si per eos dirimi aut expediri non poterunt, antequam capitulum dissolvatur, causa ab apostolica sede definietur sive ab eo, cui eadem apostolica sedes specialem potestatem rei definiendae faciet.

Si vicarius generalis sive per obitum sive per promotionem sive alia quacumque de causa esse desierit, antequam ordinis magister tempus magisterii sui expleverit, cuius, ut supra dictum est, exaequare durationem muneris debet, tunc, si is Hispanus fuerit, Hispani alterum item Hispanum sibi in Hispania in vicarium eligent, et ita vice versa ex aliis nationibus caeteri ad normam respectivorum institutorum ; qui tamen perdurabit, usque dum eam temporis partem expleat, quae eius decessori reliqua erit ad munus suum absolvendum.

In supradicto casu cessationis vicarii generalis intra sexennium sive per obitum sive per promotionem sive quacumque alia de causa, quando Hispani, ut supra dictum est, alterum Hispanum sibi in Hispania vicarium eligent, electionem, quae a solis vocalibus Hispanis fieri debet, ab iis solis fieri permittimus, qui tunc temporis in Hispaniae peninsula commorabuntur, ut longae illae morae dilationesque vitentur, quae, si accedere illi quoque vocales deberent, qui extra Hispaniae peninsulam sunt et longius absunt, necessario acciderent.

Quod si summum ipsum magistrum generalem ordinis a suo cessare munere sive obitus sive promotionis sive alia quacumque de causa contigerit, ita ut novus in eius locum magister generalis ad complendum sexennium, quod ab antecessore non fuerat absolutum, eligendus sit, declaramus in hoc casu locum non esse alternae electioni , de qua supra dictum est. Decernimusque, ut novus magister generalis usque ad exitum sexennii ab antecessore inchoati duraturus, ex ea parte ordinis deligatur, ex qua erat ipsius antecessor, ne ulla pars sit ordinis, quae per sexennium integrum non habeat magistrum generalem e viris electum ad ipsam pertinentibus.

Electio autem in hoc casu novi magistri generalis ad complendum antecessoris sexennium substituendi fieri debebit a solis vocalibus nationum illius partis ordinis, ad quam ipse antecessor pertinebat, ne nimiae interponantur morae, quae vitari nullo modo possent, si omnes omnino vocales accedere deberent ; praesertim cum evenire non admodum difficile possit, ut magister generalis, cui successor deligendus sit, prope ipsum sexennii finem ex aliqua ex supradictis causis a munere suo cesset, eiusque successor propterea intra brevissimum tempus sit constituendus.

Quod si novus magister generalis eligendus in supradicto casu non completi sexennii ad ipsum sexennium complendum erit natione Hispanus, quia eiusdem nationis fuerit illius antecessor, a quo sexennium non

fuit absolutum, statuimus, ut in hoc casu ad electionem illius accedere tantummodo debeant vocales illi Hispani, qui in ipsa Hispaniae peninsula commorabuntur, ab accedendi onere dispensantes de nostrae potestatis plenitudine eos alios vocales Hispanos, qui extra ipsam peninsulam existant, ob illam ipsam causam, quam diximus, scilicet ne electioni nimiae interponantur morae, quae si accedere illi quoque vocales deberent, qui extra Hispaniae peninsulam sunt et longius absunt, necessario acciderent; praesertim cum, ni ita fieret, evenire posset, ut forsitan antea elaberetur reliquum sexennii spatium, quam novus magister generalis ad id complendum substituendus eligeretur.

Vicarius generalis in capitulo generali, uti supra dictum est, statim post electionem summi magistri electus se ab eo confirmari postulabit ac facultatibus muniri, quae ad munus gerendum pertinent, quorum utrumque sine dilatione ei summus magister tribuet.

Quod si vicarius generalis extra capitulum generale eligeretur per obitum sive per promotionem ac dimissionem eius, qui in dicto capitulo fuerat electus, ut supra dictum est, in eo casu ad praecavenda omnia dilationum incommoda, ei vicario canonice deputato iuxta enuntiatam formam nunc pro tunc per has apostolicas nostras litteras facultates impertimur, quibus provincias, quae eius regimini subiacent, regere valeat per tempus illud intermedium, intra quod nulla mora interposita certiorem summum ordinis magistrum de sua electione faciet ab eoque se confirmari postulabit ac necessariis facultatibus muniri, quorum utrumque sine dilatione ei summus magister tribuet.

Hae facultates vicariis generalibus a summo magistro tributae non cessabunt, sed firmae iisdem manebunt, etiam si ordo summo suo magistro caruerit per eius obitum intra sexennium sive per eius promotionem intra idem sexennium, ita ut post electionem novi summi magistri ad complendum sexennium eligendi eas ab ipso petere non indigeant, quas, ut in eo casu exercere absque ulla dubitatione valeant, nunc pro tunc de nostrae potestatis plenitudine per has apostolicas litteras confirmamus et, quatenus opus sit, iisdem vicariis impertimur.

Facultates vero vicariorum generalium eaedem ipsae erunt, quas summus magister habet: itaque vicarius generalis, cui tres aut quatuor assistentes sive diffinitores sive consultores aliique iuxta regulas instituti adsint, in provinciis quae ab eo regendae sunt, libere omnem iurisdictionem sibi delegatam exercebit, quam ante ibidem summus ordinis magister exercebat.

In negotiis vero, quae maioris momenti sunt, ad spirituale regimen ordinis ac disciplinam pertinentibus vicarius generalis, ut opportuna ac tutiori ratione procedat et ut instituti substantia in universo ordine conservetur, summum magistrum consulere debebit.

Mutationes et reformationes statutorum, quae necessariae aut utiles ad respectivorum ordinum bonum videbuntur, si universum ordinem respicient, a capitulo generali fient; si vero ad partem tantum ordinis in Hispania existentis pertinebunt, de his in Hispania ipsa cum consilio tamen summi magistri agetur; sed neutrae ad effectum perduci poterunt sine Romani pontificis approbatione. Nota satis pietas ac religio catholici regis eiusque studium pro regularium ordinum bono nos dubitare non sinunt, eum effecturum, ut variationes huiusmodi probatae a nobis aut a successoribus nostris in suis ditionibus exequantur.

Tandem quod pertinet ad bona temporalia declaramus, regulares in Hispania existentes libere in posterum administrare atque erogare ipsorum bona, redditus atque eleemosynas posse, nec amplius ad contribuendum expensis atque ad subsidia suppeditanda domibus regularium caeterarum nationum teneri; quod tamen non ita intelligi debet, ut aere alieno, si quo forte erga eas obstricti sunt, liberati iudicentur. Hae ordinationes omnes exequi debebunt statim post promulgationem huius apostolicae constitutionis nostrae.

Quoad electiones vero cum attenta praesentium temporum conditione eae haud fieri hac vice possint ea ratione, quae a nobis supra constituta est, mandamus, ut in ordinibus, qui nunc praesidem generalem habent, is suo munere fungi pergat, usque dum absolvatur tempus, quod ordinis sui legibus praestitutum est. Si, qui nunc summo magisterio fungitur, natione est Hispanus, fiet a nobis electio tum vicarii generalis tum caeterorum superiorum maiorum ordinis extra Hispaniam existentis; si vero summus ordinis praeses Hispanus non est, nos vicarium generalem caeterosque superiores maiores Hispanos constituemus.

Praesentes autem litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis seu in illorum aliquo ius aut interesse habentes seu habere praetendentes, etiam quomodolibet in futurum illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati vel etiam nullimode auditi fuerint, aut ex alia qualibet causa, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae aut alio quovis magno et substantiali defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis solemnitates et quaecumque alia forsan servanda et adimplenda minime servata et adimpleta fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis vel praetextibus notari, impugnari aut alias infringi, suspendi, limitari aut in controversiam vocari, seu adversus illas quodcumque iuris vel facti remedium impetrari easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, decretis vel declarationibus generalibus vel specialibus etiam motu, scientia et potestatis plenitudine quomodolibet factis minime

comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et tanquam ex pontificiae providentiae officio et potestatis plenitudine nostris factas et emanatas, perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et sedis apostolicae nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse et fore, volumus atque decernimus. Non obstantibus etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnium et singulorum dictorum regularium ordinum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, volumus, ut eorum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ordinationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae 1804, idibus maii, pontificatus nostri anno quinto.

Loco † sigilli plumbei papae Pii VII. pendentis.

A. cardinalis prodatarius.
R. cardinalis Braschius de Honestis.

2. Denuntiamus, ss. d. n. p. Gregorium XVI. feliciter regnantem, bene perpensis temporum circumstantiis, ad benignas preces piissimi catholici regis nostri Ferdinandi VII. concessisse suis litteris declaratoriis bullae « Inter graviores » per em̃um cardinalem T. Bernetti, datis in palatio Quirinali sub die 31 mensis octobris anni 1831 et transmissis cum regio exequatur ad rm̃um mag. ordinis fr. Ioachimum Briz, nunc benemeritum episcopum Segoviensem, ut, donec aliter a s. sede disponatur, celebrentur in Hispaniis capitula generalia ad magistrum ordinis vel eius vicarium generalem alternatim quolibet sexennio eligendum, sarta tecta remanente quoad reliqua praeinserta bulla « Inter graviores ». Quae quidem litterae tenoris sunt sequentis :

Excm̃o y Rm̃o P.

Con fecha 30 de junio del año pasado de 1830 participé á V. Rm̃a de orden del consejo, que conformándose S. M. con la consulta que elevó á sus reales manos en 1. de mayo anterior, se habia servido resolver entre otras cosas que á su real nombre se impetrase de su santidad la aprobacion de las cinco declaraciones á la bula « Inter graviores », propuestas por V. Rm̃a y comprendian los articulos 1., 2., 3., 4. y 6. de su esposicion de 25 de noviembre de 1829, á cuyo fin se habia comunicado la oportuna real orden por el ministerio de Gracia y Justicia al de Estado.

En su consecuencia y con otra real orden de 27 de noviembre de 1831 se pasó á dicho supremo tribunal un oficio del encargado de negocios en Roma, en que incluía copia de la nota que le habia dirigido el cardenal secretario de Estado, relativa á la aprobacion de su santidad á la indicadas adiciones á la bula « Inter graviores », á fin de que consultase en su razon lo mas conveniente ; y en su inteligencia, la de los antecedentes del asunto, y de lo espuesto sobre todo por los señores fiscales, con fechas 23 de diciembre y 11 de febrero últimos hizo presente el consejo á S. M. en reverentes consultas cuanto estimó oportuno en negocio de tal gravedad ; y por su Soberana resolucion dada á la última, que ha sido comunicada en real orden de 7 del corriente mes, y acordado su cumplimiento en el dia 9, se ha dignado mandar se traslade íntegramente á V. Rm̃a el despacho del cardenal secretario de Estado de su Santidad, fecho en el palacio Quirinal á 31 de octubre de 1831, para que sin pérdida de tiempo haga las convocatorias respectivas para la celebracion de capítulo general, conforme á los estatutos de su orden, á lo dispuesto en la citada bula « Inter graviores », y en las aclaraciones contenidas en la mencionada nota.

Lo que de orden de dicho supremo tribunal participo á V. Rm̃a para su inteligencia y cumplimiento de lo resuelto por S. M., á cuyo fin acompaño copia certificada del espresado despacho, esperando se servirá darme aviso de su recibo.

Dios guarde á V. Rm̃a muchos años. Madrid 10. de marzo de 1832. — Excelentísimo y reverendísimo padre. — Manuel Abad. — Excelentísimo y reverendísimo p. maestro general del orden de predicadores.

Palacio Quirinal dia treinta y uno de octubre de mil ochocientos treinta y uno.

Señor Caballero Ramirez de la Piscína, encargado de negocios de S. M. católica.

El Santo Padre ha examinado con la mayor detencion las providencias que la real corte de España desea se adopten acerca de algunos artículos de la bula « Inter graviores », concernientes á la eleccion de generales y de vicarios generales. Es á la verdad muy claro cuánto deban calcularse las circunstancias de los tiempos, y cuán justas sean por consiguiente las modificaciones que la condescendencia pontificia se resuelve á aprobar en atencion á las mismas.

En consecuencia de esta máxima Su Santidad permite que para las elecciones del general y del vicario general se celebren dos capítulos separados en los respectivos lugares donde deben convocarse segun la alternativa prescripta, con la asistencia de los vocales que deban concurrir á ellos respectivamente. Deberá, pues, celebrarse en Italia el capítulo para el general, mientras que en España se tendrá al mismo tiempo el capítulo para el vicario general, segun tocare para cada uno de ellos con arreglo á la mencionada alternativa.

Pero la carta convocatoria se espedirá siempre por el general para toda la orden, invitando no solo para el capítulo del general á los vocales á quienes él deberá mandar, sino tambien para el del vicario general, á fin de que asistan los vocales dependientes de éste. Será, pues, de obligacion del vicario general en egercicio el dar curso á las espresadas convocatorias para los conventos sujetos á él, como lo hará el general para los suyos.

Además, se deberá enviar al general para su aprobacion el título de eleccion del vicario general, el cual sin embargo egercerá sus funciones luego que se verifique la eleccion regular, siendo la intencion de Su Santidad autorizarle, á fin de que aquella parte de la orden no carezca de su legítimo superior general en tanto que llegare la referida aprobacion, que no podrá ser negada por el general sin que someta al juicio de la Santa Sede los motivos de la negativa; y por lo tanto dicho general no impedirá el egercicio de su jurisdiccion al elegido, hasta tanto que concurra á prohibírselo una orden pontificia.

Que si ó por renuncia, ó por muerte, ó por otra razon llegáre á vacar durante el sexenio alguno de los cargos de superiores generales, suplirá sus veces el que segun las disposiciones de la orden sea subrogado para egercer interinamente el cargo.

Finalmente la prohibicion de las confirmaciones del que esté para cesar en su cargo de superior para el siguiente sexenio, se halla comunmente conforme á las constituciones particulares de las familias religiosas; por cuya razon hasta nueva orden Su Santidad la aprueba tambien.

El cardenal secretario de Estado se apresura á comunicar á V. Ilma estas determinaciones pontificias, con el gusto de ver favorecidos los deseos de su augusto religiosísimo Soberano, y con este motivo le renueva los sentimientos de su distinguida estimacion.

T. cardenal Bernetti.

Es copia. — Hay una rúbrica.

D. José Sabau y Blanco, del consejo de S. M., su secretario y de la interpretacion de Lenguas, arcediano de Aliaga, dignidad de la santa Iglesia Metropolitana de Zaragoza, académico de número, y bibliotecario de la real academia de la Historia — Certifico: Que la presente traduccion ha sido bien y fielmente hecha al castellano en esta secretaría de mi cargo, del documento en italiano que de acuerdo del real y supremo consejo de Castilla me fue remitido al efecto.

Madrid veinte y ocho de Noviembre de mil ochocientos treinta y uno.

José Sabau y Blanco.

Es copia de la traduccion original que existe en el espediente de su razon, de que certifico yo don Manuel Abad, escribano de Cámara del Rey N. S. mas antiguo, y de gobierno del consejo.

Madrid diez de Marzo de mil ochocientos treinta y dos.

Manuel Abad.

3. Denuntiamus consequenter ad praedicta, die 9. iunii labentis anni 1832, vacante praefectura ordinis in Hispaniarum regnis ac ditionibus ob expletionem sexennii rmi summi magistri ordinis fr. Ioachim Briz, ad episcopatum Segoviensem assumpti, servatis omnibus ad canonicam electionem pertinentibus, omnium animorum consensione et exultatione cunctisque suffragiis electum fuisse in rmum vicarium generalem Hispanum fr. Franciscum Usagre, conventus Ursaonensis alumnum, in sacra theologia magistrum et exprovincialem Beticae, qui per plures annos in diversis

praefecturis hac temporum tempestate emensos magnam dexteritatem et prudentiae copiam fecerat, ut effusa omnium gratulatione eius assumptio exciperetur.

4. Denuntiamus, rmum p. vicarium generalem considentium patrum approbatione pronuntiasse, quod, si ipse a suo cessare munere ante expletum sexennium sive per obitum, quod absit, sive per promotionem seu quacumque alia de causa contigerit, sequens capitulum generale pro eligendo vicario generali ad complendum sexennium celebretur in regio coenobio s. Pauli Cordubensi provinciae Beticae, cui ex nunc illud designamus, ne ordo noster tempore isto medio in Hispaniarum regnis suo legitimo capite careat.

5. Denuntiamus, praelaudatum rmum, quo recta et iusta subordinatio subditorum ad caeteros immediatos superiores servetur, declarasse, assignationes quascumque ab ipso emanandas non obstituras, quin provinciales, si pro conscientia sua cognoverint bono provinciarum suarum aliter expedire, possint per novas assignationes de suis disponere subditis, elevando ad cognitionem rmi causam huiusmodi assignationum.

6. Denuntiamus, varios Dei servos ordinis nostri fuisse ad altaria evectos ab ultimo (1) capitulo generali anni 1756 Romae celebrato usque ad praesens, quorum nomina inserere licet, ne forte hanc laudabilem consuetudinem veluti praescriptione quadam in dissuetudinem abiisse existimetur. Horum nomina sunt: Antonius Neyrot martyr, Aemilia Bicchieri et Benvenuta virgines, Sebastianus Maggi, Petrus Ieremias et Ioannes de Salerno confessores, Bartholomaeus de Bregantia episcopus et confessor, Sadoc cum eius 48 sociis martyres, Catharina Raconixio, Margarita de Ungaria et Maria Bartholomaea virgines, Petrus Tiferno, Iacobus Voragine, Antonius ab Ecclesia, Franciscus de Posadas, Simon Ballaqui, Andreas de Piscaria, Bernardus Scammacca et Constantius Fabrianus confessores, Villana de Bottis vidua, Ioanna de Aza, mater ss. p. n. Dominici, Iordanus, secundus magister generalis ordinis, Ioannes (2) de Ulma et Nicolaus de Iuvenacio confessores, Imelda et Magdalena de Panateriis virgines, Clara Gambacurta vidua et Henricus Suson confessor. Verum enim ne ingratitudinis labe videamur polluti, alta mente evolvere semper debemus, quantum adlaboraverit in honorem b. Francisci de Posadas b. mem. rmus p. vicarius generalis fr. Raymundus Guerrero, quot sumptus expenderit quantamque solertiam adhibuerit in tanti viri beatificatione promovenda. Nec minore laude dignus apparet rmus p. magister generalis ordinis fr. Ioachimus Briz, nuperrime ad episcopale munus evectus, cuius infatigabili

(1) *Lege* paenultimo.
(2) *Lege* Iacobus.

sollicitudini debetur aequipollens beatificatio clarissimae feminae Ioannae de Aza, dignissimae matris ss. p. n. Dominici. Hic est tenor decreti:

Decretum. Palentina et Oxomensis seu ordinis praedicatorum. Adprobationis immemorabilis cultus praestiti servae Dei Ioannae de Aza, beatae nuncupatae.

Ex processu terna quoque vice ad perpetuam ordinaria auctoritate bis in dioecesi Palentina anno nimirum 1645 ac superiori 1827 et semel in Oxomensi dioecesi eodem anno 1827 constructo cura et diligentia r. p. mag. Vincentii Sopena, generalis in Hispania ordinis praedicatorum procuratoris, quum satis abunde constet ex publicis aediculis et altare aedificatis saeculo XIV., ex translatione corporis solemniter facta circa medietatem vel ad summum circa finem eiusdem saeculi, et sepulchro elevato ante annum 1500, ex imaginibus pictis et sculptis cum notis et signis sanctitatis saeculo XIII., ex publicis supplicationibus ad aediculam a remotissimis temporibus ordinatis, ex invocatione in litaniis publice peracta ab immemorabili usque ad praesens, ex lampade et luminibus accensis ante sepulchrum, ex titulo sanctae tam voce quam scriptis tributo ab saeculo XIII., ex ordinariorum tolerantia cultus publici et ecclesiastici, ex sacris concionibus et oblationibus in eiusdem honorem habitis, ac demum ex continuatione ab anno 1300 ad haec usque nostra tempora fuisse Dei servae Ioannae de Aza, patriarchae Dominici recensiti ordinis institutoris matri, ab immemorabili ante Urbaniana decreta tempore praestitum cultum publicum ecclesiasticum, cuperetque r. p. fr. Ioseph Maria Velzi, sacri palatii apostolici magister, praedicatorum ordinis vicarius generalis, nomine r. p. fr. Ioachim Briz, magistri generalis eiusdem ordinis, huiusmodi cultus confirmationem per hanc sanctam apostolicam sedem declarari; comparatis omnibus ut supra ad hoc iudicium necessario requisitis, in ordinario sacrorum Rituum coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto sequens proponendum curavit dubium, nimirum: An constet de cultu immemorabili praestito b. Ioannae de Aza seu de casu excepto a decretis s. mem. Urbani pp. VIII.? Et em̃i patres sacris ritibus tuendis praepositi, audito prius voce et scriptis r. p. d. Virgilio Pescetelli, sanctae fidei promotore, ac diligenti responsione procuratoris examinata, momentis hinc inde allatis sedulo diligenterque libratis, quum apprime noscerent huiusmodi causam conferta ac redundanti probationum mensura pollere, ad relationem em̃i et rm̃i d. card. Iulii Mariae de Somalia, episcopi Ostiensis et Veliterni, ponentis eidemque congregationi praefecti, rescribendum censuerunt: « Affirmative », die 27. septembris 1828.

Relatione de praemissis facta ss. d. n. Leoni XII. P. M. per me infrascriptum eiusdem congregationis secretarium, sanctitas sua sacrae congregationis responsum adprobando declaravit, causam praedictam versari

inter casus exceptos a laudatis Urbani VIII. decretis, ideoque Ioannam de Aza beatam nuncupandam. Kalendis octobris recensiti anni 1828.

Iulius M. card. ep. Ostien. et Veliten. de Somalia
s. ecclesiae vice-cancell., et S. R. C. praefectus et ponens.

Loco † sigilli.

I. G. Fatati S. R. C. secretarius.

7. Denuntiamus, ex decreto piissimi nostri regis Ferdinandi VII. erectum fuisse regale collegium in villa de Ocaña pro instructione iuventutis dominicanae familiae ad missiones in Philippinarum insulis peragendas; quod insuper lubenti animo acceptamus.

Hactenus quae denuntianda fuerant ex ordinatione diffinitorii capituli generalis.

Commissiones.

1. Rogamus enixe rm̃um p. n. m. vicarium generalem, quod ex nomine cunctarum provinciarum, in Hispaniarum ditionibus degentium, humillime instet apud sanctam sedem apostolicam pro beatificatione aequipollenti ven. servi Dei fr. Michaelis Gonzalez, qui cultum nunquam intermissum, scientibus et consentientibus episcopis, apud Gallaicos et finitimas urbes obtinet; et insuper pro beatificatione ven. Manés vel Mamerti de Guzman et Aza, germani fratris ss. p. n. Dominici; quorum processus incunctanter fieri volumus.

Admonitiones.

1. Felix esset noster ordo, fratres dilectissimi, si iuxta pristinos suae adolescentiae annos, quando splendebat lucerna super caput eius et universum orbem in sui admirationem pertrahebat, huius omnes alumni virtuti colendae ac promovendis studiis incumberent nec suis legibus mores dissentirent. Sed heu! Mutatus est color optimus: filia regis antea circumornata monilibus, nunc cum indumentis tristitiae sine antiquo nitore apparet. Verum plurima, quae non sine gravi doloris sensu recolimus et temporum iniuria et nimia superiorum indulgentia inducta sunt, quae longe ab his felicibus exordiis recedunt. Quare ne cancer serpat et in pernitiem vel ruinam totius religionis veniat, imprimis nostros fratres admonitos volumus, ut prae oculis habeant ea omnia, quae in nostris legibus observare tenentur. Interroget unusquisque se ipsum: « Ad quid venisti et quomodo adimples, quae in professione promisisti? » Quis non formidabit, si legibus comparat mores suos!

2. Admonemus omnes ordinis nostri fratres, cuiuscumque sint dignitatis, officii et gradus, ut ea, qua par est reverentia, officium divinum

persolvant; sic decet et sic tam in constitutionibus quam in multis capitulis generalibus statutum est, praesertim in Bononiensi 1706 ord. 1., ubi sic legitur: « Quam maxime superiores attendant, ut fratres nostri officium divinum tam diurnum quam nocturnum ea, qua decet, devotione persolvant; tremendum altaris mysterium debita modestia, gravitate et compositione pertractent; cuncta denique ad Dei cultum pertinentia eo zelo ac spiritus fervore peragant, quibus non perfunctorie et veluti pro more, sed in spiritu et veritate ea se facere testentur, eoque pacto Dei gratiam sibi concilient et populis praebeant exemplar pietatis et religionis. Quos vero compererint haec tanti momenti exercitia negligenter ac forte, quod absit, irreverenter ac cum spectantium offensione peragere, eos sui officii permoneant et, si opus fuerit, abstinere iubeant a missae celebratione, donec melius compositi, maiori cum reverentia et aedificatione celebrare velint ». Huic ordinationi annectimus aliqua, quae ad profectum animarum videntur expedire. Magnopere admonemus patres confessores negligentes, omissos aut pigros ad saecularium confessiones audiendas, ut prae oculis habeant, quae in nostris legibus statuta sunt; praecipue vero in capitulo Valentino 1647 et in Romano 1694, cuius adm. 6. sequentis tenoris est: « Admonemus rr. pp. provinciales, ut in visitatione conventuum, quos ex fratribus nostris repererint, qui peracto studio cursus theologici, cum litteris et moribus idonei sint ad confessiones saecularium audiendas, se examini subiicere recusaverint, eos etiam per privationem vocis activae et passivae ad examen subeundum compellant ».

3. Ut fratres nostri, cuiuscumque status et gradus sint, in incessu, statu, habitu et in omnibus motibus id solummodo agant, quod nostram deceat sanctitatem, nullatenus vero quod cuiusquam offendat aspectum, admonemus, ne quisquam ex fratribus alia utatur veste quam coloris albi, ut uniformitas et modestia nostra sit nota omnibus hominibus; quapropter in memoriam revocamus ord. 7. capituli Romani 1694, ubi inter alia dicitur: « Mandamus superioribus provinciarum et congregationum et conventuum in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto formali, ut, si quos invenerint in vestitu, calceamentis, tonsura excedere, quique tunicas nimis apertas deferant...., eos poenas omnes latas in ipsos incurrisse declarent, onerantes eorum conscientiam, si desides aut conniventes fuerint ».

4. Admonemus, quod ad eliminandos perniciosos abusus, qui in hac temporum turbulentia grassantur in maximum studiorum detrimentum, rr. pp. provinciales, priores et regentes omni diligentia curent maximoque vigore peragant, ut tam lectores quam studentes sua munia perficiant absque aliqua dispensatione vel praetextu; memoresque sint superiores

et lectores eorum omnium, quae sunt stabilita circa studium in capitulis generalibus, praesertim in Romano 1694, ubi ord. 4. stricte prohibetur lectoribus egressus e suis conventibus diebus scholae, etiam praetextu invitandi ad theses apud nostros habendas. Quapropter iniungimus rr. pp. prioribus et regentibus, ut posthabito quocumque praetextu concionis exterae aut confessionum monialium vel cuiuscumque alterius causae, ad effectum perducant praefatam ordinationem, onerantes eorum conscientiam in diem Domini, si in hac adimpletione desides fuerint.

Suffragia pro vivis.

Pro ss. d. n. Gregorio XVI. et felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro dilectissimo rege nostro Ferdinando VII., augustissima eius coniuge, serenissimis prolibus regiaque familia, q. s. u. m.

Pro em̃o ac rm̃o d. cardinali Zurla, ordinis nostri protectore, q. s. u. m.

Pro illm̃o et rm̃o d. fr. Ioachimo Briz, exgenerali ordinis nostri, ad episcopatum Segoviensem assumpto, q. s. u. m.

Pro bono totius religionis eiusque capite rm̃o p. n. vicario generali ac sociis assistentibus q. s. u. m.

Pro pace totius orbis christiani q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, fratribus clericis litaniae sanctorum et conversis decem orationes dominicales cum totidem salutationibus angelicis iniunguntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima ss. d. n. Pii p. VIII. q. s. u. m.

Pro animabus catholici regis Caroli IV. et eius augustissimae coniugis q. s. u. m.

Pro animabus reginarum nostrarum fel. rec. Mariae Elisabeth de Bragantia et Mariae Iosephae Amaliae de Saxonia q. s. u. m.

Pro anima em̃i ac rm̃i cardinalis de Somaglia, ordinis nostri protectoris, q. s. u. m.

Pro anima rm̃i patris nostri magistri vicarii generalis fr. Raymundi Guerrero q. s. u. m.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum, conversis tertia pars ss. rosarii imponitur.

Universis et singulis provinciarum praesidentibus praecipimus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae et sub formali praecepto, ut haec acta, quum primum ad eorum manus pervenerint, iubeant publicari, eorumque urgeant observantiam; volentes, quod exemplaribus sigillo rm̃i p. n. vicarii generalis munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Datis in hoc fratrum praedicatorum coenobio Caesaraugustano die 18. iunii anni 1832.

Fr. Franciscus Usagre, vicarius generalis ordinis.
Fr. Ferdinandus Mena, provincialis Hispaniae.
Fr. Iosephus Casaurran, provincialis Aragoniae et exvicarius gen. ordinis.
Fr. Ildephonsus Arevalo, provincialis Beticae.

Loco † sigilli.

Fr. Ioannes de Deo Pastor
magister et secretarius capituli.

APPENDIX.

Ss. d. n. p. Gregorius XVI. ad iteratas preces pientissimi regis nostri Ferdinandi VII. expedivit seq. breve « In suprema » dat. Romae die 3. aprilis vertentis anni, continens praeinsertas ut supra declarationes. Sed quia tempore celebrationis capituli nondum habebat *regium exequatur,* consulto omissum fuit in eius actis. Nunc vero hoc requisitum comitatur ei, ut ex testimonio infra posito constat.

Gregorius p. XVI. Ad perpetuam rei memoriam.

In suprema pastoralis ministerii amplitudine ac dignitate, meritis licet impares, ineffabili divinae providentiae consilio constituti, libenter profecto summorum principum postulatis aures nostras facile praebere solemus eorumque votis annuendum esse ducimus, cum ipsi praesertim de re catholica optime meriti, ea a nobis exposcunt, quae ad religionis bonum pertinere cognoscimus. Itaque charissimus in Christo filius noster Ferdinandus, Hispaniarum rex catholicus, egregia sane virtute eximiaque pietate praefulgens et de catholica religione summopere meritus, pro singulari, qua religiosos in Hispania ordines voluntate prosequitur eorumque instituta veneratur, nobis exponendum curavit, tum ex locorum longinquitate tum ex temporum conditione tum etiam ex praesenti cum primis coenobitarum statu plures gravesque occurrere causas, quibus vel praepediatur omnino vel saltem minus opportunum ac salutare dignoscatur, exequutioni committi nonnulla ex iis, quae de supremis religiosarum familiarum moderatoribus eligendis per rec. mem. Pium VII., praedecessorem nostrum, in apostolicis litteris, quarum initium « Inter graviores », sub plumbo expeditis ac idibus maii anno 1804 datis praestituta fuere. Quamobrem laudatus idem catholicus rex a nobis petiit, ut huiusmodi rei, pro maiori ipsorum religiosorum ordinum bono atque utilitate auctoritate nostra apostolica consultum esse velimus.

Nos igitur, rebus omnibus, quae ad hoc pertinent negotium, maturo examine perpensis ac temporum potissimum ratione habita, probe no-

scentes, quantum huius apostolicae sedis intersit, regularibus ordinibus, quo meliori fas est modo, prospicere, quippe qui christianae non solum, sed civili vel ipsi reipublicae maximo ornamento, usui et auxilio semper fuerunt ac sunt, atque catholici regis desideriis, quantum in Domino possumus, annuere exoptantes, motu proprio, ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine statuimus atque mandamus, ut in supremis regularium ordinum moderatoribus eligendis ea omnia serventur, quae hisce nostris apostolicis litteris edicimus atque decernimus.

Cum itaque supremus cuiusque regularis ordinis moderator et vicarius generalis erunt eligendi, duo disiuncta ac peculiaria habeantur comitia seu capitula iis in regionibus, ubi ad sancitam alternae residentiae legem immorandum iisdem est ex muneris ratione. Ad haec autem distincta comitia illi suffragatores seu vocales conferre se debent, qui vel supremo moderatori vel vicario generali erunt subiecti.

Hinc cum apud Italos cogentur comitia pro supremo moderatore eligendo, eodem tempore in Hispania erunt comitia pro vicario generali adsciscendo, et vicissim comitia in Italia habebuntur pro vicarii generalis electione, quando in Hispaniis summus ordinis magister erit renuntiandus.

Constituto autem ab ipso summo ordinis moderatore et a vicario generali pro propriis cuiusque subditis comitiorum loco, litterae de utrisque comitiis in id loci ac temporis indicendis ac de suffragatorum convocatione dandae semper erunt a summo dumtaxat magistro tum ad sibi subiectas familias tum ad caeteros etiam ordinis alumnos, qui vicario generali parent, easque ad coenobia sibi obnoxia vicarius generalis mittendas circumferendasque diligenter curabit, quemadmodum et supremus moderator advigilabit, ut eas coenobia abs se procurata certo excipiant.

Item postquam vicarius generalis rite fuerit renuntiatus, acta eiusdem electionis ad supremum moderatorem mitti volumus, ut ab eo approbentur. Verum ne ea regularis ordinis pars proprio sit destituta rectore, donec supremus moderator sua auctoritate electum vicarium confirmet, decernimus atque mandamus, ut statim ac vicarii generalis electio, legitime atque ad praefinitas regulas peracta, cognita fuerit, ipse suum interim magistratum ineat ac proprio munere fungi incipiat, eique auctoritate nostra apostolica facultatem huiusmodi concedimus et impertimur, cuius praesidio provincias, quae eius regimini subsunt, regere ac moderari libere et licite possit et valeat. Neque vero supremus regularis ordinis moderator ab electo vicario generali confirmando abstinere se poterit, quin primum consilii sui causas supremo huius apostolicae sedis iudicio exposuerit, multoque minus eius in potestate erit, impedire, quominus electus vicarius suscepti muneris procurationem teneat, donec idem vicarius a summo pontifice amoveatur.

Quod si vertente sexennio vel supremus regularis ordinis praefectus vel vicarius generalis quacumque de causa defuerit, in eorum locum ille erit sufficiendus, qui ex religiosae familiae legibus ad ipsorum vicariam ac temporariam operam gerendam designatur.

Denique eos, qui exacto sexennio vel supremi moderatoris vel vicarii generalis munere perfuncti fuerint, iterum sexennio proximo insequenti eadem dignitate honestari omnino vetamus atque interdicimus, quod ex cuiusque religiosae familiae lege, ut plurimum, cautum est.

Quae quidem omnia perfici atque servari mandamus, donec aliter ab hac apostolica sede pro re et tempore decernendum esse censeatur.

Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et illis, ad quos spectat atque in tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sedis apostolicae nuntios ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus commemorata fel. rec. Pii VII., praedecessoris nostri, constitutione aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum praecipimus atque mandamus, ut reliqua omnia, quae in commemorata rec. mem. Pii VII., praedecessoris nostri, constitutione continentur, et quibus per hasce nostras litteras non derogavimus, pleno in suo robore maneant et integre inviolateque serventur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 3. aprilis 1832, pontificatus nostri anno secundo.

Pro domino card. Albano, A. Picchioni substitutus.

Loco † annuli piscatoris.

D. Pedro Sabau y Larroya, doctor en leyes..., oficial maior de la real secretaría de la interpretacion de lenguas, y en calidad de tal habilitado por real orden para su despacho, certifico: Que la antecedente copia latina es conforme con el breve original que, de acuerdo del real y supremo consejo de Castilla, fue remitido á esta dicha secretaría para su traduccion. Madrid 5 de julio de 1832. Pedro Sabau y Larroya. Con rúbrica. De oficio. Registrado fol. 44. núm. 180, año de 1832.

ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SS. PENTECOSTES DIE II IUNII MDCCCXXXVIII.

Sub reverendissimo patre fr. Angelo Dominico Ancarani, sacrae theologiae professore, magistro generali eiusdem ordinis, in praedicto capitulo electo, diffinientibus:

rm̃o p. mag. Ancarani magistro generali ordinis,
rm̃o p. mag. Olivieri exgenerali ordinis,
rm̃o p. mag. Cipolleti exgenerali ordinis,
adm. rev. p. mag. Resaver provinciali utriusque Lombardiae,
adm. rev. p. mag. Sibilla provinciali Romano,
adm. rev. p. bacc. Gigli provinciali Regni,
adm. rev. p. mag. Procter provinciali Angliae,
adm. rev. p. mag. Airenti provinciali Daciae,
adm. rev. p. stud. mag. Torino provinciali Trinacriae,
adm. rev. p. mag. Capocchiani provinciali Apuliae,
adm. rev. p. mag. Valenti provinciali Calabriae,
adm. rev. p. mag. Donnel provinciali Hiberniae,
adm. rev. p. lect. Ghilardi provinciali s. Petri Martyris,
adm. rev. p. mag. Tocco provinciali Sardiniae,
adm. rev. p. mag. exprovinciali Cornazzani dif. utriusque Lombardiae,
adm. rev. p. mag. exprovinciali Turreni dif. Romano,
adm. rev. p. mag. exprovinciali Caroselli dif. Regni,
adm. rev. p. mag. Oxley dif. Angliae,
adm. rev. p. mag. Requesens dif. Trinacriae,
adm. rev. p. mag. Zotti dif. Apuliae,
adm. rev. p. mag. exprovinciali Ajello dif. Calabriae,
adm. rev. p. mag. Ioanne O'Connor dif. Hiberniae,
adm. rev. p. mag. Schiara dif. s. Petri Martyris et capituli secretario,
adm. rev. p. mag. Locci dif. Sardiniae,
adm. rev. p. lect. Martin dif. Americae,
adm. rev. p. mag. Speranza vicario et dif. Melitensi.

Quae sequuntur statuta sunt :

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, ss. d. n. Gregorium XVI. a rm̃o p. nuper magistro generali ordinis fr. Thoma Hyacintho Cipolletti exoratum, ut notum fa-

ceret, qua in civitate celebranda essent comitia haec generalia, quae iuxta const. Pii pp. VII. s. mem. « Inter graviores » in Hispaniarum regno hac vice fuissent habenda, eius precibus annuisse suamque mentem aperuisse decreto s. congr. negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, quo constitutum est, ut in urbe Roma haberetur.

2. Denuntiamus, eundem ss. d. n. emum d. card. Iacobum Iustiniani praesidem dedisse electioni magistri ordinis. Habuit autem emus ipse allocutionem ad patres, qua cordis sui laetitiam prodidit ob id muneris sibi delatum, tum ob singularem suum erga ordinem nostrum affectum, tum propter memoriam illustrium virorum generis sui, qui fuere eidem ordini cooptati.

3. Denuntiamus, die secunda iunii in pervigilio Pentecostes expleto sexennio, de quo supra, ac proinde vacante supremo ordinis magisterio, servatis omnibus ad canonicam magistri ordinis electionem pertinentibus, praesente ac praesidente eodem emo d. card. Iustiniani, electum fuisse in rmum generalem ordinis magistrum fr. Angelum Dominicum Ancarani e Faventia, contra haereticam pravitatem inquisitorem Bononiensem, virum quanta pietate, quanta doctrina, quo religionis zelo ac praedicandi studio insignem neminem latet.

4. Denuntiamus, approbasse patres, ut sequens generale capitulum Romae celebretur.

5. Denuntiamus, supremum Christi vicarium Gregorium XVI. ex s. Rituum congregationis consulto, per literas in forma brevis, quas inferius dabimus, beatorum cultum decrevisse Ioanni Massias et Martino de Porres, ordinis nostri.

6. Denuntiamus, rmum p. magistrum ordinis, quo recta et iusta subordinatio subditorum ad ceteros immediatos superiores servetur, declarasse, assignationes quascumque ab eo emanandas, non obstituras, quin provinciales, si pro conscientia sua cognoverint bono provinciarum suarum aliter expedire, possint per novas assignationes de subditis suis disponere, idque ad assignationes etiam a suis praedecessoribus datas vel confirmatas, voluit omnino extendi.

Declarationes.

1. Declaramus, confirmationem tertiam capituli Bononiensis an. 1748, in qua innovantur et confirmantur ordinationes iampridem factae de trino examine subeundo ab iis, qui studentatus munere expleto sive actu non legunt, sive nunquam legerunt, tum etiam ab iis qui, lecta tantum philosophia, lectiones theologicas per triennium non habuerunt, ita deinceps esse intelligendam, ut, si elapso mense post triennium, quod inter dicta examina in studiis generalibus aut aliis a magistro ordinis pro tempore designandis facienda, debet intercedere, aliud examen, nisi obtenta a ma-

gistro ordinis prorogatione aut dispensatione, non subierint, non solum voce activa et passiva in electione priorum, sed etiam facultate confessiones audiendi privati ipso facto censeantur. Committimus autem rmo magistro ordinis, ut pro provinciis, in quibus dissita nimis sunt coenobia, ubi examen eiusmodi ponendum est, mensis spatium quod definitur, pro suo arbitrio et prudentia proroget.

2. Declaramus ordinationem 4. capituli Bononiensis pro studiis, qua in memoriam revocatur ordinatio capituli Romani an. 1656 celebrati, ut studentes, quamdiu scholis addicti fuerint, vocem activam in electionibus non habeant, neque ad illas in quocumque conventu aut collegio admitti possint, non solum de studentibus, qui formales vocari, sed etiam de iis qui materiales appellari consueverunt, necnon de omni electione canonica in posterum intelligi debere.

3. Declaramus vim habente pontificia constitutione « Inter graviores », patrem magistrum procuratorem generalem, absoluto rmi magistri ordinis officio, et ipsum a munere suo cessare nec posse reeligi, antequam spirent interstitia.

Confirmationes.

Cum plures ordinationes generalis capituli Romae an. 1756 celebrati confirmaverimus, cumque illius capituli acta ob praeteritam rerum omnium perturbationem non omnibus in promptu sint, eas hic recensendas duximus.

1. Saluberrimum, frequentissimum facilemque precandi modum, qui ss. Rosarii nomine vocari consuevit, a ss. patre nostro Dominico institutum quammaxime fratres ordinis decet, ut omni opera contentioneque in dies propagare conentur. Quocirca in memoriam reducentes confirmationem 1. postremi capituli generalis Bononiensis, praecipimus et mandamus coenobiorum omnium praesidibus, ut viros pios idoneosque deligant, qui singulis hebdomadis rosarium in tres partes divisum populo diligenter explicent ab eoque recitari curent.

2. Societatum ss. Nominis Dei propagationem iam alumnis ordinis nostri in confirmatione 2. eiusdem capituli Bononiensis plurimum commendatam, rursus maiorique, si fieri potest, studio commendamus; ut quae societas ad vitium blasphemiae convellendum invecta fuit, ea ad id etiam opera nostra hisce temporibus valeat, ut animi hominum ad idem ss. nomen, qua par est, religione colendum reverendumque excitentur.

3. Nomen ipsum praedicatorum, quo ordo insignitus est, singulos quidem eiusdem ordinis alumnos admonet, eam potissimum nostri muneris partem esse, ut verbum Dei annuntiantes praedicantesque ea, quae ad hominum salutem sempiternam pertinent, procuremus. Itaque huc reducentes, quod alias ordinatum est, praecipimus, ut in diffinitorio cuius-

cumque capituli provincialis viri scientia, desiderio salutis animarum, moribus convenientique eloquentia praestantes deligantur atque in actis eiusdem capituli nominentur, qui ea solum quaerentes, quae Dei sunt, totos se ad missiones in civitatibus oppidisque obeundas conferant. Quibus etiam utpote pro viribus instituti officio satisfacientibus, ne aliquid praemii desit, ultro concedimus, ut laborum, quos in missionibus posuerint, in capitulo provinciali exponendorum, ea ratio haberi possit, ut pro iis ad praedicaturam generalem promovendis magistro ordinis, cuius erit merita singulorum expendere, a provincia supplicetur.

4. Iam vero, quoniam de praedicando verbo Dei sermo est, confirmantes quae pridem ordinata sunt, rursus ordinamus, ut, qui amplissimo titulo praedicatoris generalis frui volunt, officio vero fungi, ubi et quando opus est, vel a lege est praescriptum, recusant, titulo et voce activa in comitiis provincialibus privati sint, quos etiam a praedicatura generali amotos esse sancimus: atque haec omnia tum quoque obtinere volumus, quando a priore provinciali vel a provinciali capitulo ad praedicationem, necessitate postulante, deputati id muneris renuunt obire.

5. Eadem ratione superiores ordinationes confirmantes decernimus et ordinamus, ut praedicatores generales sub poena amissionis praerogativae et vocis ac praedicaturae generalis teneantur residere in iis conventibus, pro quibus sunt praedicatores generales, nisi aliter postulaverit manifesta utilitas aut necessitas, ab habente auctoritatem iuxta ordinis ipsius leges cognoscenda.

6. Cum instituto nostro valde consonum sit, ut hominum confessiones excipiamus, quo eorum animos a vitiis revocemus atque ad Dei obsequium, cultum ac amorem reducamus, confirmantes, quae saepius statuta sunt, plurimum commendamus graviterque praecipimus, ut qui ex fratribus nostris idonei fuerint, tam salutari munere sedulo libenterque fungantur. Magistri vero in theologia aliique, qui prudentia et scientia praediti omnino id ministerii obire recusant, si a prioribus suis moniti desides adhuc in hoc fuerint, poenis etiam privativis, quemadmodum alias etiam praescriptum est, ad arbitrium magistri ordinis coerceantur.

7. Confirmationem 2. pro bono regimine postremi Bononiensis capituli renovantes eam hic totidem verbis transcribimus: Cum radicitus nondum convulsus sit exitiosus atque damnabilis ad extraneas personas fratrum recursus pro gratiis ordinis a superioribus non tam obtinendis quam extorquendis, in memoriam revocamus, quae in pluribus capitulis generalibus adversus huiusmodi recurrentes sancita sunt, latas in illos poenas, censuras atque maledictiones innovantes, et his actis tamquam expresse inserta volentes, quae in capitulo generali Bononiensi an. 1725 conf. 1. graviter in hac re copioseque statuta ac demonstrata sunt.

8. Quae in praecedentibus generalibus capitulis pro cultu Dei fovendo, pro cura infirmorum, pro mortuorum suffragiis, pro rerum temporalium administratione sancita sunt, ea omnia confirmata esse volumus et, ut ab omnibus adamussim serventur, districte praecipimus et mandamus.

Pro bono regimine.

In memoriam revocamus, quae pro bono regimine in generali capitulo Romano 1756 sancita fuere quaeque confirmanda existimamus.

1. Praesides conventuum a fratribus ad se venientibus literas testimoniales legitimamque licentiam exquirant ac diligenter legant; quod si praestare neglexerint, poenis arbitrio magistri ordinis fore puniendos declaramus.

2. Cum bonum ordinis, decus, imo salus exigat, ut circa recipiendos ad ordinem magna cura habeatur, de novo afferimus confirmationem 3. pro bono regimine eiusdem Bononiensis capituli, poenasque in eo latas denuo sancimus atque iuxta ea, quae in constitutionibus nostris habentur dist. 1. cap. 13. in declarat. textu 2. lit. F. praecipimus, ut nemo deinceps ad habitum ordinis recipiatur nisi praemissis debitis ac secretis inquisitionibus per conventuum praesidentes vel graviores patres a personis, quantum fieri potest, omni exceptione maioribus sibi procurandis, quum id opus fuerit, de honestate natalium, sanitate, indole, aetate, ingenio, scientia moribusque, atque in primis consulto provinciae praeside, atque haec sub poena iam a capitulo Romano an. 1756 statuta cum nullitatis receptionis, tum suspensionis ab officio, dignitate et iuribus tam a praeside quam a patribus a consiliis ipso facto incurrenda. Cum autem ad decus et incrementum ordinis maxime requiratur, ut post receptionem rite et ad nostrarum constitutionum normam educentur, hinc sub poenis, arbitrio magistri ordinis decernendis, omnino iniungimus et praecipimus omnibus, ad quos id pertinet, ut ii tantummodo ad tanti momenti officium obligantur, qui et cetera alia habeant, quae a nostris constitutionibus requiruntur, et ad inserendum in iuvenum animos virtutis religiosique instituti studium coram Deo apti existimentur; eos autem qui, cum idonei censeantur, ad id ministerii designati fuerint, si illo fungi recusent, confirmantes poenam in postremo capitulo Bononiensi indictam, inhabiles prorsus ad alia quaecumque officia et gradus esse volumus et declaramus. Novitii praeter consueta spiritualia exercitia eaque, de quibus tunc temporis instrui debent, catechismo Romano dent operam; capitula vero de culpis a respectivis magistris habeantur.

3. Post professionem vero non relaxanda, sed maxime servanda regularis disciplina, ideoque et a constitutionibus nostris usque ad sacerdotium, et ex Pii V. pontificis maximi decreto etiam iam sacerdotes, annos

tamen quatuor in professorio explere debent; poterit tamen superior aliquando quoad quasdam austeritates, ieiunii praesertim et abstinentiae a carne, cum his dispensare propter studium, ne propter media impediatur finis, acquisitio scilicet scientiarum, quae necessariae sunt ad id, ad quod ordinatus est ordo noster, salutem scilicet animarum.

4. In recipiendis ad conversorum statum exquiratur morum probitas, ars aliqua, doctrinae christianae cognitio, sacramentorum frequentia. Qui reiicitur ab uno conventu, inconsulto magistro ordinis, non recipiatur in altero. Quolibet sexto mense fiat de eorum agendi ratione scrutinium. Non admittantur ad novitiatum nisi post sextum primae probationis annum. Non poterunt autem recipi nisi totius conventus, scilicet tam patrum a consiliis quam capituli suffragia concurrant. Qui ratione officii, exempli gratia sacristae, pecunias accipiunt, apud se non teneant, sed sacrarii praefecto tradant, nec eorum officia ultra biennium durent. Habeatur capsula, in qua missarum eleemosynae reponantur, cuius clavem habeat apud se sacrarii praefectus.

5. Quae salubriter a pluribus aliis capitulis generalibus sancita sunt pro rerum temporalium coenobiorum procuratione confirmantes et innovantes praecipimus, ut ministri omnes conventuum, priusquam sua ministeria dimittant, accuratam praeteritae administrationis rationem reddant atque inventarium rerum omnium ad officia, quae exercuerunt, pertinentium, ut moris est, exhibeant: cuius inventarii duo volumus fieri exemplaria, quorum alterum in arca depositi communis servetur, alterum iis, qui in eodem officio succedunt, tradatur, ut absoluto ab iisdem officio compertum facile fieri possit, quam rite et utiliter unusquisque munus suum expleverit.

6. Si quis frater aes alienum contrahat, eum, cuiuscumque sit dignitatis et gradus, poenis iam a pluribus capitulis generalibus latis prorsus subesse volumus. Contra detractionis vitium, si alicubi irrepserit, in memoriam revocamus poenas omnes a constitutionibus nostris et a pluribus capitulis generalibus latas, quas omnes hic, ac si ad verbum descriptae essent, innovamus.

7. Ut minoribus periculis votum paupertatis subiiciatur, lex depositi servetur adamussim ad normam constitutionum nostrarum; in scripto autem expropriationis, quod superiori singulis annis est exhibendum, intus notabitur summa, quae ibi servatur, et cuique permittatur, ut apud se habeat modicum illud pecuniae, cuius ad quotidianos fere usus indigere potest.

8. Confirmantes, quod in capitulo generali Bononiensi conf. 6. pro bono regimine innovatum fuit, iniungimus singulis prioribus provincialibus, ut catalogum seu indicem omnium fratrum et sororum suae provinciae perficiant eumque ad magistrum ordinis quantocius transmitti curent.

9. Cum facultas praesentandi fratres episcopis tum pro ordinibus ecclesiasticis suscipiendis, tum pro excipiendis secularium confessionibus apud provincialem de iure resideat, omnino prohibemus, ne priores conventuales id sibi iuris absque illius concessione usurpent.

10. Nisi a provinciali in scriptis facultate obtenta sive in quadragesima sive in missionibus aut exercitiis praedicandi munus nemo acceptet.

Pro regulari observantia.

Quae in constitutionibus nostris ac generalibus capitulis sancita sunt, in vigorem, quatenus opus sit, revocamus.

1. Invigilent superiores, ut a religiosis uniformitas in rasura, in habitu autem et calceamentis modestia et gravitas servetur; ne vestes interiores alterius sint coloris quam albi, idque sub poenis toties a capitulis generalibus indictis. Qui vero post tot prohibitiones, alias iam factas, lineis ad carnem uti non dubitant, meminerint eius, quod habet nostra const. dist. 1. cap. 10. « quod qui nulla subsistente causa lineis utuntur ad carnem, et in huiusmodi transgressione perseverare intendunt, ad damnabilem contemptum disponuntur »; hinc poenas in variis capitulis generalibus, praesertim Romano 1644 ord. 19. contra huiusmodi transgressores taxatas confirmamus.

2. Quia vero silentium a constitutionibus nostris nedum valde commendatur, sed quammaxime praecipitur, volumus, ut et in locis a constitutionibus designatis et per signum, quod est dandum, campanulae ubique usque ad praefixum terminum exacte servetur.

3. Oratio mentalis saltem ad tertiam horae partem habeatur, nec in missa conventuali horae canonicae recitentur. In parvis etiam conventibus, ubi tres sunt sacerdotes, officium in choro recitetur ibique meditatio fiat.

4. Saepe praelati ac praesertim in festis solemnibus verbo Dei fratres pascere non praetermittant. Invigilent etiam, ut ad sacramentalem confessionem fratres peropportune accedant.

5. Ludos praesertim alearum ac venationes fratribus nostris vetitas esse volumus, sicut etiam prohibemus extra conventum absque habitu religioso progredi et sine socio.

6. Recreatio patrum apud superiorem vel in alio loco ad id deputato nec sine licentia separatim alibi fiat. Ubi vero sunt plures studentes, uti in studiis generalibus, poterunt recreationis gratia se recipere in loco alio ad id designato. Novitii vero tam simplices quam professi apud suum magistrum.

7. Ad monialium monasteria sine licentia nemo audeat accedere; qui autem tam gravis transgressionis reus extiterit, praeter alias poenas iam praescriptas, etiam suspensione a divinis post trinam admonitionem subiiciatur.

8. Vita communis seu rerum omnium communitas statui religioso adeo consentanea illis in provinciis ac coenobiis, in quibus viget, fovere atque protegere rm̃i magistri ordinis curae erit, alibi vero, quoad fieri potest, introducere studeat.

Pro studiis.

1. Cum philosophiae studium ita sit a iuvenibus nostris instituendum, ut viam sternat ad divi Thomae doctrinam rite percipiendam faciliusque addiscendam, statuimus, ut ad triennium philosophicis institutionibus patris Roselli, ordinis nostri, studere atque edoceri debent; in physica tamen aliquo neoterico uti possint auctore.

2. Quoad theologiae studium mandamus, ut, qui ad lectoratus gradum suo tempore suscipiendum idonei iudicabuntur, primo anno Melchioris Cani de locis theologicis institutionibus et quidem ad literam incumbant; reliquis autem quinque annis d. Thomae theologicae summae ad literam pariter studere debeant. Qui vero lectoratus curriculum non sunt subituri, per tres tantum annos dogmaticae ac morali theologiae et per duos vel tres alios annos morali practicae ac sacrae eloquentiae incumbere possint.

3. Illud etiam in memoriam revocamus, quod in concilio Tridentino a Paulo V. pont. max. et in aliis capitulis generalibus statutum est, nempe in studiis generalibus linguarum graecae et hebraicae professores habeantur, qui, si ex ordine haberi non possint, ab extraneis patres provinciales accersant, designata ad id aliqua summa ex communi provinciae erario. Non omnes tamen studentes ad eas linguas addiscendas adstringuntur. Speciali tamen commendatione se dignos exhibebunt, qui iisdem simul cum theologicis scientiis operam dabunt. Harum vero linguarum professores, si ex ordine nostro sint, eorum lectio pro gradibus suscipiendis computabitur.

4. Annuale studentium examen post vacationis tempus erit habendum. Examinatorum autem conscientiam oneramus, si in iudicio ferendo tum de constanti morum integritate tum de progressu in literis seu scientiis affectum vel quemlibet alium respectum, non veritatem seu conscientiae dictamen sequantur. In hoc examine meminerint patres lectores vel moderatores articulos vel puncta non esse examinandis communicandos.

5. Suffragia de studentium examine, si agatur de studentibus, ut aiunt, formalibus, ad magistrum generalem ordinis, si de materialibus, ad provincialem mittantur.

6. Lectores, qui indicatis supra auctoribus uti recusaverint, legendi facultate docendique munere absolvimus.

Ordinationes.

1. Cum sancta sancte tractanda sint, et maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, pronuntietur, missae sacrum Dei opus praecipuum, qua decet animi praeparatione, devotione ac reverentia singuli exercere satagant sacerdotes et post eius celebrationem debita gratiarum actio pro tanto accepto beneficio maiori, qui haberi possit, animi fervore reddatur. Ne autem vel nimia prolixitate taedio afficiantur adstantes, vel nimia scandalizentur festinatione, illud temporis spatium in sacro faciendo impendatur, quod tertiam saltem horae partem expleat, dimidiam vero minime excedat. Verum ubi fideles frequenter concurrunt, eorumdem commodo consulatur, ordinatim, nec una simul, diebus praecipue festis missas celebrari volumus, mandantes tabellam haberi, qua congrua de missis celebrandis horarum distributio fiat.

2. Qui legendi officium exercent in seminariis aliisve exteris athenaeis speciali privilegio non gaudentibus, ut magisterii gradum in ordine consequantur, tertio plus annorum apud nostrates legentibus doceant oportebit.

3. Praeter constitutionem « Inter graviores » inserantur in actibus huius capituli ad calcem decreta tum summorum pontificum tum sacrae congregationis ad ordinem nostrum pertinentia ab a. 1756 ad hunc diem.

4. Qui assignationem aliave mandata sui provincialis acceptare et exequi recusaverint, merita poena ab eodem plectantur.

5. Qui debita obtenta licentia apud propinquos suos vacationis vel alterius cuiuscumque rei causa commorantur, si non longe a conventu ordinis absunt, quam primum ad superiorem illius se sistant, ut sciat ibi adesse religiosum nostrum et, quatenus opus sit, de eius vivendi agendique ratione inquirere possit, vel si locus procul distat, id per literas praestare non omittant. Qui vero id facere neglexerint, si sint eiusdem provinciae, poenis arbitrio prioris provincialis subiacebunt; si vero alterius prior provincialis, quem superior conventus de hoc certiorem faciet, nisi urgentes circumstantiae aliud interim exigant, ad rmum ordinis magistrum referat, qui pro sua prudentia de illo statuet.

Commissiones.

1. Committimus rmo magistro ordinis, ut universi ordinis commodo, utilitati et ornamento ab idoneis viris per ipsum seligendis confici atque evulgari diligentissime curet:

Annales ordinis,
Acta sanctorum ordinis,
Caeremoniale ordinis,
Acta capitulorum generalium.

2. Cum nondum prodierit expetita iam dudum numeris omnibus absoluta constitutionum nostrarum editio, inhaerentes posterioribus capi-

tulis generalibus necnon literis apostolicis ven. servi Dei Innocentii pp. XI. sub die 6. oct. 1679, committimus rmo magistro, ut eligat quatuor vel sex ordinis nostri viros doctiores et provectiores iuris nostri in primis peritos, quibus onus incumbat recensendi constitutiones earumque glossas et ordinationes atque ea expendendi, quae correctionem exigunt vel declarationem et aliam provisionem in omnibus his, quae concernunt statum et commodum religionis ac observantiam et disciplinam regularem. Et ubicumque in glossis constitutionum citantur literae pontificiae aut decreta congregationum vel alia similis auctoritatis ad authenticos codices et posteriores derogationes, si quae sint, recurrant, et cum his corrigant et ad literam recitent ea documenta ita ut, quam primum fieri possit, legum nostrarum corpus integrum riteque digestum habeamus, quod tamen vim obligandi non habeat, priusquam a futuro capitulo generali visum sit atque approbatum. Labores a dictis patribus pro tam utili opere conficiendo positi a rmo magistro ordinis pro meritis aliqua remuneratione donentur.

3. Obsecramus insuper rmum magistrum ordinis, ut suppliciter agat apud ss. Gregorium XVI. pont. max., quo rosarium « vivens » dictum, si supprimere nolit, subiectum reddat ordini nostro, ne quidquam vel veri rosarii B. M. V., prout a s. p. n. Dominico institutum fuit, devotioni detrahatur, vel privilegium, quo ordo noster a suis praedecessoribus insignitus fuit, detrimentum patiatur.

Dignetur etiam sanctitatem suam obsecrare, ut indulgentiae ss. rosarii, quas Benedictus XIV. in Anglia suppresserat, velit, ut ad illam regionem iterum extendantur. Item praecipiat, ne fratres nostri in America septentrionali et Hibernia missionarii a confessionibus excipiendis aliisve functionibus sacris exercendis sine iusta ac rationabili causa ab episcopis repellantur; cumque episcopus bona et iura, in quorum possessione erant fratres nostri in America, ad se attraxerit, non amplius illi solvere cogantur tria centum scuta, uti ante hoc attentatum convenerant.

4. Cum conventus s. Clementis Hibernorum habitari absque salutis praeiudicio vitaeque periculo amplius nequeat propter aeris insalubritatem ac parietes ruinam minantes, rmum p. magistrum generalem precamur, ut sanctitatem pontificis maximi exoret, ut vel Aedem « Pacis » dictam, vel aliam eis assignare dignetur.

5. Committimus rmo magistro generali ordinis, ut bono provideat provinciae Americae septentrionalis illuc mittendo tam subsidia temporalia quam religiosos doctrina et pietate spectatos.

Concessiones.

1. Concedit rmus pater magister generalis ordinis omnibus admodum reverendis patribus provincialibus ac diffinitoribus praesentis capituli, ut possit quilibet eorum unum ex fratribus suae provinciae ad gravioris

culpae poenas ante celebrationem huius capituli damnatum, ad omnes gratias ordinis restituere, dummodo post correctionem resipiscentiae atque emendationis signa exhibuerit.

2. Omnibus vero et singulis fratribus ac sororibus ordinis idem rm̃us p. magister concedit, ut semel aliquem ex ordine nostro approbatum confessarium sibi deligere possint, qui eos in actuali sacramenti poenitentiae administratione ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum publicationem quomodolibet contractis absolvere valeat, a quibus ipsemet rm̃us magister ordinis absolvere posset, si sua apud eum peccata sacramenti poenitentiae causa confiterentur.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. In hac provincia in diaeta proxime habenda assignentur filiationes, quibus ob elapsi temporis circumstantias plures fratres adhuc carent.

2. Inquisitores contra haereticam pravitatem secundum gradum, quem habent in ordine, tot missas liberas habeant, quot alii eiusdem gradus.

Pro provincia Regni.

1. Cum haec provincia nunc ex Neapolitanis et Aprutinis componatur ac duplex sit numerus conventuum apud illos quam apud istos, petiverunt tam provincialis Neapolitanus quam diffinitor Aprutinus, ut in electione prioris provincialis alternativa servetur, ita tamen, ut duabus vicibus provincialis esset ex Neapolitanis, tertia vice ex Aprutinis, et sic etiam capitulum provinciale iuxta hanc alternativam fieret modo Neapoli, modo apud Aprutios. Unanimi calculo per secreta suffragia definivimus, ita esse faciendum.

2. Declaramus porro, in toto duarum Siciliarum regno seu in quatuor illis ordinis nostri provinciis, cum professio religiosa nonnisi ad annum vigesimum primum emittatur, duodecim professionis annos, qui iuxta constitutiones nostras requiruntur, ut aliquis in priorem eligi possit, a completo probationis anno sumi posse.

Pro provincia Angliae.

Designentur conventus, in quo studia habeantur. Quatuor studentes illius provinciae Romae in conventu s. Mariae supra Minervam acceptentur.

Pro provincia Poloniae.

1. Concedimus, ut capitulum provinciale habeatur dominica post festum s. Hyacinthi confessoris ordinis nostri itemque in conventu Varsaviae; quoad contributiones vero censemus expedire, ut rem inter se componant.

2. Post primum examen ad sexennium poterit prior provincialis quoad vocem activam dispensare cum iis, qui secundum examen post triennium non subierunt, vel actu non legunt, vel nunquam legerunt, vel lecta tan-

tum philosophia lectiones theologicas per triennium non habuerunt, qui soli in casu indigent dispensatione. Poterunt etiam isti eligi in priores expletis duodecim annis a professione post primum examen et dispensari ad sexennium, ut supra. Post primam vicem concedimus priori provinciali, ut dispenset priores ab interstitiis; postea erit recurrendum, si opus fuerit, ad s. congregationem. Verum de huiusmodi dispensationibus debet postea rmum magistrum ordinis conscium reddere.

3. Ad sexennium pariter prior provincialis potestatem habeat instituendi professores in studiis generalibus, dispensandi studentes formales a tertio anno sui studentatus, promovendi ad gradus magisterii, praesentaturae ac praedicaturae generalis, sed mittat ad rmum magistrum ordinis singulis annis simul cum statu provinciae promotorum notam.

4. Tribuimus etiam eidem facultatem recipiendi ad ordinem nostrum novitios ab alio ordine dimissos absque delicto; idemque concedimus de novitiis ordinis nostri de uno ad alium conventum venientibus. Non admittendi sunt ad professionem novitii, nisi cum grammaticam latinam calluerint.

5. Quoad locum praedicatorum generalium servetur, quod a constitutionibus statuitur. Socius provincialis gaudeat titulo prioris Plocensis.

Fratres, qui aliquod officium per aliquot annos cum decore sustinuerunt, habeant titulum vocalis in provincia et sedeant post praedicatores generales. Confirmamus, quod in ultimo capitulo ipsius provinciae statutum est, ut, si aliquis religiosus assignetur pro correctione alicui conventui, expensae itineris ex peculio ipsi ad usum concesso solvantur. Quoad sorores conversas monasterii Petricoviae decernimus non esse eis concedendum scapulare albi coloris. Fr. Michael Brondichi sit in perpetuum diaconus. Cura erit rmi magistri ordinis impedire, ne supplicationes fratrum huius provinciae secularizationem petentium, inconsulto priori provinciali, suum effectum sortiantur. Ad quaedam dubia circa rubricas peculiari epistola ad illam provinciam respondendum esse duximus.

Pro provincia Trincariae.

1. Ad removenda gravia incommoda, quae exoriri possent, si patres collegiales sacrae eloquentiae iure ad canonicam priorum conventualium electionem concurrendi gauderent, decernimus, ut examen ad confessiones, per quod ius istud acquirerent, post duos istius collegii annos differatur; interim qui ad conciones habendas apti non dignoscuntur, sacrae scripturae et historiae ecclesiasticae incumbant, omnes vero theologiae morali.

2. Pro irrito ac nullo habeatur baccalaureatus p. lectoris Francisci Landolino, quia contra quod a rmo p. magistro generali ordinis fuerat dispositum, in illum se intrusit, nec possit ad ulteriores gradus promoveri. Patri vero magistro Vincentio Traina, qui impeditus fuit onus illud

subire et exercere, ita computentur duo anni baccalaureatus, ut tamen regentis officium per annos tres exerceat.

3. Pro bono pacis illius provinciae patres capitulares rogarunt rm̃um magistrum ordinis, ut alibi p. mag. Crisafuli assignet.

4. Cum plures petitiones ab adm. rev. p. Caietano Torino, Trinacriae priore provinciali, nomine etiam patrum consilii suae provinciae generali diffinitorio exhibitae fuerint, ad singulas ita respondendum esse censuimus:

Ad 1. Confirmamus, quod in provinciali capitulo Tauromenii an. 1833 celebrato sancitum est et a rm̃o magistro ordinis illius temporis approbatum quoad designationem conventus eiusdem civitatis pro regulari strictiori observantia, quodque respicit iuvenes, qui illuc erunt mittendi.

Ad 2. Quod in actis capituli provincialis Panormi celebrati die 11. mensis maii 1836 continetur §§ 2., 3. et 4. pro regulari disciplina, pro bono regimine proque studiis vim efficaciamque habere volumus et executioni mandari.

Ad 3. Ratum habemus, quod in eodem Panormitano capitulo institutum fuit, ut iuvenes omnes, expleto formali studio, per binos annos sacrae eloquentiae operam navent iisque legibus subiiciantur, de quibus supra.

Ad 4. Quod in eodem capitulo § 8. statutum est circa expensas itinerum, quae obedientiae causa suscipiuntur, pariter confirmamus.

Ad 5. Ad evitandas nimias itinerum expensas concedimus, quod, vacante provincialatu ob mortem vel amotionem provincialis ante expletum consuetum tempus, tunc prior illius conventus, in quo celebrandum erit futurum capitulum, protrahat vicariatus officium usque ad triennii terminum; in hoc vero casu non habeatur ratio affiliationis, sed prioratus tantum.

Ad 6. Censemus, expensas pro lite, quae nunc agitur in ecclesiastico tribunali circa ius istud, quod sibi Vallis arrogat novae electionis provincialis, si inventae fuerint contributiones excedere, quae alias a provincia solvuntur, a provinciae conventibus esse pro rata solvendas examine et iudicio patrum priorum s. Dominici et s. Zitae Panormi atque alicuius iurisperiti.

Acceptamus in magistrum s. theologiae p. Benedictum Guzzardi.

Denuntiamus, cassa nullaque esse, quae decreta fuere in comitiis provincialibus Neti 1830 et alibi circa in scriptis concursum ad lectoratus officium obtinendum. Volumus enim verbalis examinis legem sequi in studiis generalibus iuxta ordinis constitutiones.

Pro provincia Apuliae.

Declaramus, rm̃um magistrum ordinis provinciali Apuliae facultatem dedisse, ut p. Gabrielem Vergari et illos, qui voce carent in capitulo provinciali nec sunt propter officium inamovibiles, a conventu Gallipolitano

removeat in aliisque assignet; expensas vero, quas ipse pro extraordinaria Gallipolim aditione subire debuit, ab eodem conventu esse ei compensandas et contributiones pro venientibus ad capitulum generale ab omnibus et singulis provinciae conventibus quam primum esse solvendas.

Pro provincia Calabriae.

Rev. p. Aloysio Gaudio concedimus, ut vocem habeat in capitulo provinciali et baccalaurei titulo decoretur. Patris vero collegialis Emmanuelis Fiumara petitionem ad rmum ordinis magistrum remittendam duximus.

Pro provincia Hiberniae.

1. Manentibus iisdem rerum adiunctis, in quibus nunc haec provincia reperitur, prior provincialis non per nationes eligatur, sed ex tota provincia assumatur.

2. Quoad praesidem capituli provincialis servetur solitum et nihil innovetur.

3. De factionibus, si aliquando occurrerent, provisum est a constitutionibus.

Pro provincia s. Petri Martyris.

Cum in hac provincia perfectae vitae communis vigeat disciplina proindeque conventuum filiationes non admittat, pertinebit ad priorem provincialem cum suo capitulo recipere iuvenes ad habitum religionis, habita ratione redituum eiusdem provinciae.

Pro provincia Sardiniae.

1. Conventus s. Dominici Calaritani omnes novitios simplices aliorum etiam conventuum eiusdem provinciae nomine acceptatos alere iuxta consuetudinem pergat, donec aliud a rmo magistro ordinis, recognito statu conventus, fuerit, si oportuerit, determinatum.

2. Concedimus rev. p. lect. Hyacintho Secci, ob rationes diffinitorio expositas, per sexennium vicariatus officium exercere in coenobio Serramagnae vocemque habere in capitulo provinciali personalem et perpetuam, non vicariatus officio annexam.

3. Rev. p. Gregorii Campus, qui ob caecitatem non potuit praedicationis cursum explere, petitionem baccalaureatus ad rmum magistrum ordinis remittimus.

4. Quatuor sint in hac provincia praedicatores generales voce in capitulo provinciali gaudentes, qui expleto praedicationis officio baccalaurei titulo decorentur.

5. Petitionem p. baccalaurei De Melas rmo ordinis magistro remittendam esse censemus.

Quoad ea quae respiciunt singulares personas diversarum provinciarum, prudentiae rmi magistri generalis relinquimus determinare, quae in impressione actuum huius capituli sint typis edenda, quae omittenda.

Suffragia pro vivis.

Pro ss. d. n. Gregorio pp. XVI. et pro felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro omnibus regibus ac principibus catholicis q. s. u. m.

Pro universo sacro collegio em̃orum ac rm̃orum dominorum S. R. E. cardinalium q. s. u. m.

Pro bono totius ordinis nostri eiusque capite rm̃o magistro generali ac sociis assistentibus et collaborantibus q. s. u. m.

Pro pace totius orbis christiani q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis litaniae omnium sanctorum, conversis vero tertia ss. rosarii pars imponitur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima em̃i ac rm̃i d. card. Velzi, ex ordine nostro assumpti, iamque vicarii generalis ordinis, q. s. u. m.

Pro animabus em̃orum ac rm̃orum dd. cardinalium Somaglia et Zurla, protectorum ordinis nostri, q. s. u. m.

Pro animabus rm̃orum patrum Quiñones, Gaddi, Bris et Jabalot q. s. u. m.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, post ultimum generale capitulum defunctorum, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum, conversis vero tertia ss. rosarii pars imponitur.

Damus rm̃o p. mag. Angelo Dominico Ancarani, totius nostri sacri ordinis praedicatorum generali magistro, omnem prorsus auctoritatem nostram circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare valeat, quae declaranda videbuntur, iustis de causis dispensare ac denique omnia facere, quae nos ipsi et capitulum facere posset.

Denique universis et singulis provinciarum, congregationum seu vicariatus praesidentibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto mandamus, ut haec acta, cum primum ad eorum manus pervenerint, iubeant publicari eorumque observantiam urgeant. Volentes, ut exemplaribus rm̃i magistri ordinis manu subscriptis et sigillo munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Ex conventu s. Mariae supra Minervam de Urbe in ultima sessione generalium comitiorum die . . . mensis iunii anni 1838.

Fr. Mauritius Benedictus Olivieri exmagister generalis,
Fr. Thomas Hyacinthus Cipolleti exmagister generalis,
Fr. Ioannes Baptista Resaver provincialis utriusque Lombardiae,
Fr. Pius Eusebius Sibilla provincialis Romanus,

Fr. Hieronymus Gigli provincialis Regni,
Fr. Augustinus Procter provincialis Angliae,
Fr. Caietanus Torino provincialis Siciliae,
P. mag. fr. Vincentius Capocchiani provincialis Apuliae,
P. mag. fr. Thomas Maria Valenti provincialis Calabriae,
P. mag. fr. G. Iosephus Mac Donnel provincialis Hiberniae,
P. mag. fr. Dominicus Vincentius Tocco provincialis Sardiniae,
Fr. Iosephus Augustinus Cornazzani exprovinc., dif. utriusque Lombardiae,
P. mag. exprovincialis fr. Raymundus Caroselli dif. prov. Regni,
P. fr. Ludovicus Oxley dif. Angliae,
P. mag. fr. Ioannes Dominicus de Requesens dif. prov. Siciliae,
P. bac. fr. Raphael Zotti dif. Apuliae,
P. mag. exprovincialis fr. Vincentius Ajello dif. Calabriae,
P. mag. fr. Ioannes O'Connor dif. Hiberniae,
P. mag. fr. Thomas Schiara dif. s. Petri Martyris,
Fr. Ludovicus Locci mag. dif. Sardiniae,
Fr. Thomas Martin dif. Americae Septentrionalis,
Fr. Vincentius Dominicus Speranza mag. et vicarius generalis Melitae et diffinitor.

Fr. Thomas Schiara s. theol. magister
et capituli generalis secretarius. (1)

---

(1) Praeter laudatos iam recensitos patres provinciales et diffinitores capitulo interfuerunt:

adm. rev. p. mag. Lupi elector provinciae Romanae,
» » » bac. Sammartino elector provinciae Regni,
» » » mag. Mannino elector provinciae Siciliae,
» » » mag. Calò elector provinciae Apuliae,
» » » mag. Grisolia elector provinciae Calabriae,
» » » mag. Gavin elector provinciae Hiberniae,
» » » mag. Desi elector provinciae Sardiniae.

ACTA CAPITULI GENERALIS PROVINCIALIUM ROMAE IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI DIE XXIX. MAII MDCCCXLI.

Sub rm̃o p. fr. Angelo Dominico Ancarani, s. theol. professore eiusdemque ordinis magistro generali, diffinientibus rm̃is ac adm. reverendis patribus:

fr. Mauritio Benedicto Olivieri exgenerali, magistro et s. Inquisitionis commissario generali,
fr. Thoma Hyacintho Cipolletti exgenerali magistro,
fr. Ioanne Iosepho Capponi mag. provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Ioanne Baptista Galeani mag. provinciali Romano,
fr. Iacobo Maria Colombo mag. provinciali Regni,
fr. Gregorio Giammartini mag. socio rm̃i p. mag. gen. provinciali Daciae
fr. Salvatore Buffone mag. provinciali Vallis Neti Trinacriae,
fr. Rosario Antonino Pennisi mag. provinciali Vallis Nemorum Trinacriae,
fr. Francisco Ajello mag. provinciali Vallis Mazzariae Trinacriae,
fr. Ioanne Dominico Raken provinciali Germaniae inferioris,
fr. Paschale Calò mag. provinciali s. Thomae de Apulia,
fr. Petro Neirone provinciali s. Petri Martyris,
fr. Antonino Pompeiano mag. provinciali Sardiniae,
fr. Ioanne Baptista Balzan bacc. provinciali Melitae.

Acta capituli generalis provincialium Romae in conventu s. Mariae supra Minervam ordinis praedicatorum celebrati in festo ss. Pentecostes die 29. maii 1841 sub rm̃o p. fr. Angelo Dominico Ancarani, s. theol. professore eiusdemque ordinis magistro generali.

In nomine ss. et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, necnon b. Mariae semper virginis et beati Dominici patris nostri atque omnium sanctorum.

Declarationes.

1. Confirmamus declarationem factam in capitulo generali Romae 1756, cuius hic est tenor: Declaramus conf. 3. capituli Bononiensis anni 1748, in qua innovantur et confirmantur ordinationes iampridem factae de trino examine subeundo ab his, qui studentatus munere expleto

sive actu non legunt sive numquam legerunt, tum etiam ab iis, qui lecta tantum philosophia, lectiones theologicas per triennium non habuerunt, ita deinceps esse intelligendam, ut, si elapso mense post triennium, quod inter dicta examina in studiis generalibus aut aliis a magistro ordinis pro tempore designandis facienda, debet intercedere, aliud examen, nisi obtenta a magistro ordinis prorogatione aut dispensatione, non subierint, non solum voce activa et passiva in electione priorum, sed etiam facultate confessiones audiendi privati ipso facto censeantur. Declarantes, ad hoc ut aliquis exemptus sit ab onere trium examinum pro confessionibus audiendis, non esse absolute necessarium, ut philosophiam legat et per triennium theologiam, sed sufficere, quod per sex annos ex dispositione superiorum quamcumque facultatem docuerit, etiam sacram eloquentiam.

2. Quia ad vocem habendam activam in electionibus canonicis requiritur tempus sex annorum a professione et duodecim annorum pro voce passiva, cumque in constitutionibus nostris dist. 2. cap. 2. text. VI. lit. O. declaratum fuerit, huiusmodi professionem intelligi debere de professione expressa vel tacita, propterea declaramus, quod in illis provinciis, ubi solemnis professio differtur ad determinatum aetatis tempus, sex anni pro voce activa et duodecim anni pro voce passiva computari debent a termino anni probationis expleti iuxta sanctionem concilii Tridentini, suppositis aliis conditionibus a constitutionibus requisitis.

3. Ut certa statuatur regula pro convocatione capituli in morte vel amotione provincialis, declaramus, quod, si contigerit priorem provincialem mori vel amoveri in primo anno provincialatus ante septuagesimam, vicarius provinciae, qui de iure succedit, teneatur in proxima septuagesima convocare patres vocales ad celebrandum capitulum provinciale post Pascha; si vero moriatur vel amoveatur provincialis post septuagesimam, convocatio huiusmodi fieri debet in sequenti septuagesima. Quod quidem observetur in provinciis, ubi provincialatus est triennalis vel quadriennalis, ita ut, si in ultimo anno provincialatus prior provincialis mori contigerit vel amoveri, tunc vicarius provinciae expleat tempus defuncti vel amoti provincialis.

4. Aequum est ac rationabile, ut, qui religioni inserviunt, debitum praemium recipiant. Ideo declaramus, ut illi, qui ad legendum fuerunt approbati et parochi instituti sunt in ordine nostro, postquam per quindecim annos tali officio functi fuerint, possint a provinciali capitulo in praedicatores generales postulari. Item qui examen lectoris subierunt et per duodecim annos munus missionarii inter catholicos exercuerunt, ius habeant, ut postulari possint in praedicatores generales. Quo vero ad illos, qui missiones habuerunt apud infideles vel haereticos vel schismaticos, huiusmodi labores habeantur pro requisitis ad praedicatorem generalem ad mentem nostrarum constitutionum dist. 2. cap. 12. text. V.

5. Iis quae studia spectant providere cupientes, ne iuvenes legitimis moderatoribus tempore opportuno careant, declaramus, rmum magistrum ordinis posse moderatores studiorum generalium instituere, absque eo quod expectet cuiusque provinciae petitionem, cum hoc exquirant temporum et provinciarum rationes.

6. Declaramus tandem, unumquemque provincialem posse pro suo arbitrio congregare studentes totius provinciae in aliquibus conventibus secundum opportunitatem provinciae ad mentem decreti facti in hoc capitulo pro provincia Vallis Nemorum num. 1.

Ordinationes.

1. Cum sacra congregatio Episcoporum et Regularium sub die 30. augusti 1839 super dubio: Utrum patres exgenerales ordinis nostri habere debeant praecedentiam super p. procuratorem generalem ordinis et super p. secretarium s. congregationis Indicis, commiserit capitulo proximo generali pro decisione, perpensis rationibus ex utraque parte allatis, auctoritate apostolica supradicta decernimus, praecedentiam deberi patribus exgeneralibus super p. procuratorem ordinis et super p. secretarium s. congregationis Indicis, ac ideo praefatos patres exgenerales post actualem generalem magistrum immediate loco in omnibus et ubique gaudere debere.

2. Item decernimus circa institutionem ac durationem antedicti p. procuratoris generalis ordinis, servanda esse statuta summi pontificis Bonifacii IX. const. « Personam tuam » 27. aprilis 1402 aliorumque pontificum, necnon constitutionum nostrarum dist. 2. cap. 3. text. 8. litt. H. et capitulorum generalium Romae 1656 decl. 1. et Romae 1670 conf. 1. Simulque statuimus, non posse futuris temporibus p. procuratorem generalem ordinis aliquid exigere pro informationibus et votis, de quibus requisitus fuerit a sacris congregationibus in negotiis ad conventus vel personas ordinis pertinentibus, exceptis expensis, quae occurrerint pro expeditione decretorum ac pro iure tabellionis, vulgo Posta, quae exsolvi debent ab illis, qui negotia committunt.

3. Perpensis omnibus iis, quae decreta sunt a variis capitulis generalibus pro aptiore dispositione nostrarum constitutionum ac declarationum, statuimus, ut pro modo denuo typis mandetur opus p. Fontanae, cui titulus « Constitutiones, declarationes et ordinationes capitulorum generalium sacri ordinis praedicatorum » adnectendo eas, quae posterius editae sunt ordinationes sive a sancta sede sive a capitulis generalibus.

4. Ne religio nostra debito fraudetur ministerio lectorum, statuimus et ordinamus, ut illi, qui in seminariis vel aliis publicis athenaeis extra ordinem legunt, praeter cursum consuetum, quem lectores explent in propria provincia, debent adhuc legere per aliam tertiam partem eiusdem

curriculi. Et quo ad moderatores, qui in iisdem seminariis et athenaeis legunt pro forma et gradu magisterii, praeter tertiam partem praefatam debent etiam per biennium officium moderatoris exercere in uno ex studiis generalibus ordinis, ad hoc ut gradum magisterii consequi possent.

Pro provincia Vallis Neti.

1. Quia ex decreto Gregorii pp. XVI. feliciter regnantis per s. congregationem Episcoporum et Regularium sub die 13. decembris 1838 tota provincia Trinacriae in tres provincias fuit divisa, quarum una dicitur Vallis Mazariae, altera Vallis Nemorum et tertia Vallis Neti, ad tollendam quamcumque quaestionem circa locum futuris temporibus, provinciales praefatarum provinciarum secum convenerunt, et de communi consensu primus locus inter easdem provincias assignatus fuit provinciae Vallis Neti, secundus locus provinciae Vallis Nemorum et tertius locus provinciae Vallis Mazzariae.

2. Ex quo non raro occurret, quod provincia Vallis Neti et provincia Vallis Nemorum necesse habeant aliquem fratrem mittere Panormum ad negotia provinciarum pertractanda, ideo ordinamus, ut provincia Vallis Neti ius habeat mittendi suum procuratorem fratrem ordinis nostri ad conventum s. Dominici Panormi, et provincia Vallis Nemorum ius habeat mittendi similem procuratorem ad conventum s. Zitae Panormi. Qui quidem Panormitani conventus nihil repetere possunt ab enuntiatis provinciis Vallis Neti et Vallis Nemorum pro alimentis procuratorum. Hi vero missam celebrare tenentur absque eleemosyna pro oneribus respectivi conventus s. Dominici et s. Zitae, et vestiarium recipere debent a propriis provinciis, ita tamen, quod sint subiecti superioribus vel s. Dominici vel s. Zitae, exceptis iis, quae spectant ad propriam procuram.

3. Facta petitione, ut in conventus erigantur vicariatus ss. Annuntiatae Petrapertiae, vicariatus s. Thomae Bideni et vicariatus s. Pauli Palatioli eiusdem provinciae Vallis Neti, capitulum generale decrevit, remittendam esse petitionem proxime futuro capitulo provinciali.

Pro provincia Vallis Nemorum.

1. Prospicientes bono studiorum provinciae Vallis Nemorum, statuimus et ordinamus, ut conventus s. Dominici Messanae et conventus ss. Annuntiatae Tauromenii destinati sint pro studiis, in quibus congregari debent omnes studentes totius provinciae iuxta arbitrium et prudentiam p. provincialis pro tempore. Et si contigerit, redditus eorumdem conventuum Messanae et Tauromenii sufficientes haud esse ad alendos omnes studentes, p. provincialis erit, taxam efformare super omnibus conventibus totius provinciae, habita ratione proventuum uniuscuiusque conventus, ad hoc ut suppleri possit his, in quibus deficiunt praedicti conventus Messanensis et Tauromitanus. Iisdem studiis autem praefici debent peri-

tiores lectores, habita ratione idoneitatis, nullimode antiquitatis, qui eligi debent a p. provinciali cum consilio patrum discretorum; alii vero lectores, qui supersunt, deputari possunt ad legendum secularibus.

2. Cum vicariatus Collesani eiusdem provinciae Vallis Nemorum alere possit sufficientem numerum fratrum vocalium ad eligendum priorem, eum in conventum erigimus.

Pro provincia Vallis Mazzariae.

Evitare cupientes expensas, quae obvenire solent in celebratione capituli provincialis provinciae Vallis Mazzariae, ordinamus, ut conventus s. Dominici Xaccae perpetuo deputatus sit pro celebratione capituli provincialis. Qui quidem conventus instruatur mobilibus et aliis omnibus, quibus opus est ad huiusce celebrationem; quae omnia sub cura sint p. prioris pro tempore, pro capitulo asserventur nec ad alium usum adhiberi debeant. Quo autem vir aliquis praeficiatur in eodem conventu, qui cum dignitate sustinere valeat munus vicarii provincialis occasione mortis vel amotionis p. provincialis, ordinamus, ut nullus frater eligi possit in priorem eiusdem conventus s. Dominici Xaccae, qui per sex annos completos non legerit.

Pro provincia s. Thomae de Apulia.

Ne provincia s. Thomae de Apulia magnis expensis subiaciat pro crebra celebratione capituli provincialis, tempus biennale provincialatus pro futuris temporibus ad triennale extendimus.

Pro provincia Hiberniae.

Ut ea, quae ad provinciam nostram Hiberniae spectant, maiori qua potest sedulitate peragantur, statuimus, ut bona immobilia, quae eadem provincia possidet Ulysiponae et Romae nullimode alienari possint absque licentia expressa r̃mi magistri ordinis et consensu provinciae eiusdem, servatis caeteris servandis.

Pro provincia Sardiniae.

Perpensis iis, quae ad provinciam Sardiniae pertinent, erigimus in conventum vicariatum Serramannae.

Pro provincia Melitae.

Erecta in provinciam congregatione s. Pii V. Melitae per rescriptum s. congregationis Episcoporum et Regularium de die 10. iulii 1833, decernimus, provincialem in posterum duraturum per triennium.

Suffragia pro vivis.

Pro ss. d. n. Gregorio pp. XVI. et felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro em̃o et rm̃o d. cardinali, protectore nostri ordinis, q. s. u. m.

Pro universo s. collegio em̃orum et rm̃orum dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque capite rm̃o totius ordinis magistro generali ac sociis assistentibus et collaborantibus q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, fratribus clericis litaniae omnium sanctorum, conversis una decas orationum dominicalium cum totidem salutationibus angelicis iniunguntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore ultimi capituli generalis in Domino obierunt, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis tertia pars psalterii rosariani imponuntur.

Denique universis et singulis provinciarum et congregationum seu vicariatuum praesidentibus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus, ut haec acta, quamprimum ad manus pervenerint, iubeant publicari eorumque observantiam urgeant; volentes, quod exemplaribus sigillo rmi magistri ordinis munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Angelus Dominicus Ancarani
magister ordinis.

Loco † sigilli.

Fr. Gregorius Giammartini
mag. provincialis Daciae, capituli secretarius.

Adm. reverendis patribus magistris provincialibus ordinis praedicatorum, capitulum generale constituentibus, nos fr. Angelus Dominicus Ancarani, s. theol. professor ac eiusdem totius ordinis humilis magister generalis et servus, salutem et regularem observantiam.

Perspectum satis vobis est, admodum reverendi patres, quam maxime praesidibus omnibus incumbat, ut in ordine universo regularis reviviscat observantia ac magis magisque floreat et propagetur. Vicissim itaque, in alto fastigio constitutus, leges earumque inobservantiam atque abusus mente evolvens, minacem non potui in me non expavescere sententiam, quod si speculator viderit gladium venientem et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Quia igitur vos, dilectissimi in Christo, una nobiscum assumpsistis curam, qua legum nostrarum maenia valide firmarentur, qua obducantur ruinarum hiatus, qua tandem, quod integrum est, consolidetur et quod lapsum robustius restauretur, admonere vos compellor, ut tanti periculi non immemores, statim ac ad vestras provincias perveneritis, quae praetermissa sint aut pravitate naturae in malum proclivis neglecta aut veluti praescriptione quadam antiquata videritis, etiamsi

in desuetudinem abiisse existimentur, omni, qua par est, cura et diligentia instaurare curetis.

Felix profecto religio esset, cum rm̃o Cloche vobis exponere non morabor, avitumque retineret splendorem, si iuxta pristinos adolescentiae suae annos omnes huius alumni professionis memores virtuti excolendae ac studiis longe lateque promovendis seduli incumberent et suos mores ad leges erigere satagerent. Verum quia plurima, quae non sine gravi doloris sensu recolimus, invertit praepostera consuetudo, quae dum longe ab huius felicibus exordiis recedunt, religionis colorem haud parum immutarunt, omnes labores curasque vestras certatim vos conferre vehementer optamus, ut, qua parte fieri poterit, felicia tempora redeant, et coniunctus cum legum observantia religionis splendor reflorescat.

Pergite igitur, dilectissimi, pergite in perfectam executionem eorum, quae didicistis, et credita sunt vobis. Et ut ab eo, quod principem occupat locum, caeterorumque praestat veluti fundamentum, aedificare incipiatis, perpendite primum atque opere complere satagite optima et praeclara ss. d. n. Clementis VIII. instituta, quibus in sua de reformatione regulari bulla iniunxit ac propterea mandavit.

I. Ut omnis adhibeatur attentio ad illos eligendos superiores, qui antea observaverint et deinceps observare possint regulam et constitutiones, in omnibus praesertim iis, quae ad serviendum choro et ad victum vestitumque communem spectant, ita ut sint habiles et prompti ad promovendam eamdem observantiam in subditis suo etiam exemplo, a quo praecipue firmitas illius pendit et propagatio. Non immemores tamen, quod etiamsi pro confirmatione electionis rite factae consilium, quod secundum leges adhibere debetis, non sit nisi consultivum; quando vero iustis de causis ad vos devoluta electio fuerit priorum localium, si a vobis ita eliguntur, quod non servetur forma capitis « Quia propter », hoc est quod electio sit secreta et adhibito consilio quatuor ad minus vocalium, qui non consultores sint, sed iudices, nulla erit talis electio, irrita et inanis, ut constat ex constitutionibus nostris dist. 2. cap. 2. lit. O. et ex bulla Clementis VIII. pro reformatione regularium num. 36. atque Pauli V. apud Samuelem de elect. canonica tract. 1. controversia 13. num. 12.

II. Ea itaque prae oculis ac manibus gerentes, dum priores iam caeteris exemplo praesunt, muneris etiam vobis iniuncti ratio postulat, ut quatenus sint eis omnia communia, et ne aliquorum peculium sit ipsis in salutis periculum, admonere stricteque iniungere observantiam ordinationum omnium capitulorum generalium de deposito fratrum in communi arca seu capsa. Quae de communi deposito fratrum a capitulis generalibus, ait illud Romae 1756 ord. 5., saepius et graviter praescripta, confirmata ac mandata fuerunt, rursus praescribimus, confirma-

mus ac mandamus poenisque omnibus hucusque latis eos subesse volumus, qui tam necessariis, ne paupertas ex medio tollatur, sanctionibus parere aut neglexerint aut recusaverint. Ad quam paupertatem magis fovendam ac exterius ostendendam nimis confert adnotatio omnium eorum, quae unicuique religioso ad usum sunt concessa, et in manibus superioris deponenda, amotis omnibus, quae sunt pretiosa et statui religioso haud consona. Neque nisi ob paupertatis votum capitulum generale Romae 1756 ord. 8. non tantum ludos taxillorum et alearum aliosque quoscumque, sortes vulgo nominatos, inter quos maximum sibi vindicat locum ille, qui Lotto dicitur, vetitos declaravit sub poenis in nostris constitutionibus et capitulis generalibus constitutis, sed vestigiis capitulis Vallisoleti 1605 inhaerens, praesidibus omnibus, ait, qui delinquentes poenas luere non coegerint aut scientes commemoratos ludos toleraverint, poenam absolutionis ab officio indicimus.

III. Quanti etiam sint opere pretii ac momenti sanctissimae illae leges, quae ad novitiorum instructionem praescribuntur in sacris constitutionibus, sedulo cogitantes, quanti vero sit nocumenti, quod ad professionem regulae ac constitutionum admittantur, quin prius regulam ipsam et constitutiones easdem addiscant et bene calleant, monere vos cogor, imo conscientiam onerare, ut diligentiori cura ac studio satagatis, quod novitiorum unusquisque librum habeat constitutionum ac in eo per quotidianam lectionem a magistro exerceantur ac ad litteram observentur, quae in cap. 14. § 1. lit. A. dist. 1. de magistrorum institutione et destitutione auctoritate Sixti V. statuitur ac de novitiatus clausura § 3. lit. B. ordinatur.

IV. Eo unanimi consensu maiores nostri collimarunt, scientes, hoc unum ad perfectionem iter nostram professis regulam concedi, si secundum ea, quae promiserunt, vivant: hincque ut mala caverent, quae ex eorum abusu ac maxime de lineis ad carnem delatis oriuntur; en quid transgressoribus, quid vobis iniungitur a capitulis generalibus, praecipue Bononiensi 1725 ord. 9.: Ordinamus, inquit, exactam observationem eorum quae in pluribus capitulis generalibus, praesertim Romano 1569 de mandato s. Pii V. et 1656 adm. 10, ne videlicet impune in provinciis superiorum incuria aut, quod gravius est, exemplo publicus lineorum usus ad carnes evadat, quo aliqui ex laxitate vivunt, ut indusia linea etiam patenter deferunt, declarantes, ipso facto iuribus et privilegiis nec non voce activa et passiva privatos esse, qui tunicellas laneas habitualiter non deferant, nec licere provincialibus supra his dispensare cum textus constitutionis dist. 1. cap. 10. text. 1. expresse dicat: Lineis non utantur ad carnes nec etiam infirmi. Et ut eo, quo par est, zelo corrigatis, qui ad excusandas excusationes in peccatis maiores nostros audent dicere,

illud unum statuisse, quia in illo tunc temporis lana in minori erat pretio et valore quam linum, conscientiam vestram onerare cum capitulo Romano 1756 compellimur, quod ord. 2. sic vos alloquitur: Qua etiam in re priorum sive provincialium sive conventualium in diem Domini conscientiam oneramus, nisi studiose curaverint, ut haec salutaris ac inter praecipuas nostri ordinis connumeranda constitutio reipsa observetur.

V. Nec minorem sollicitudinem vos habere volumus circa colorem vestium, etiam internarum, vosque circa abusus invigilare iniungimus, prout vobismetipsis iniungitur in capitulis generalibus, et signanter in Romano 1686 adm. 4. Admonemus praeterea, dicitur, adm. rr. patres provinciales et priores, ut omnino invigilent, quod in diversis capitulis generalibus, nempe Mediolanensi 1505, Romano 1629 determinatum est, ne scilicet fratres nostri sub habitu suo alterius coloris vestes quam albi portent sub poena privationis utriusque vocis eisdem infligenda. Cui robur addens illud etiam Romae 1694 haec habet ord. 7.: Vestitus autem albi coloris sint, etiam interiores vestes, eosque omnes, qui eas alterius coloris quam albi deferre praesumpserint, eo ipso gradibus, officiis, voce activa et passiva, donec resipiscant, privatos dicimus. Mandantes superioribus provinciarum, congregationum, conventuum in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ut, si quos invenerint in vestitu, calceamentis, tonsura excedere, quique tunicas nimis apertas deferant et caputia excedentia contra formam praescriptam in capitulis generalibus, maxime in capitulo Romano 1650, eos poenas latas in ipsos incurrisse declarent, onerantes eorum conscientiam, si desides aut conniventes fuerint.

Plura alia, rr. adm. pp. provinciales, simili modo et admonendo vobis iniungere optarem. At quia facile nobis persuademus, observantiam legum, quibus vos obligastis, ceterique se adstrinxerunt, non curae solum, sed voluptati fore, aliqua tantum, ne oneri vobis simus, breviter adnotabimus.

VI. Quam ob rem igitur ea sit instituti nostri ratio, ut sine doctrina consistere nequeat, eaque nonnisi diligenti studio comparari possit, ad vos quoque permagni interest, ut ea, quae in ordinationibus capitulorum generalium Romae 1656 adm. 14., 1694 pro studiis et Bononiae 1725 ord. 3. et 1748 ord. 2. praescripta sunt, reipsa opere perfici curetis.

Id etiam secundum Deum a vestro maxime postulatur zelo, ne missa conventualis eo celebretur tempore, quo horae canonicae recitantur; et quod in diebus, in quibus persolvitur officium defunctorum, applicetur pro ipsis una missa de requiem vel alia ordinaria cum oratione « Omnipotens » iuxta constitutiones nostras dist. 1. cap. 1. de officio ecclesiae § 1. lit. E. Meditationibus autem omnes intersint, etiam qui exempti sunt a choro. Insuper quod coram communitate legantur decreta apo-

stolica, et conversorum magister eos fidem christianam sive catechismum edoceat ac religiosa pietate, humilitate et obedientia imbuat, et ne seculares intra claustra pernoctent, qui vigesimum aetatis annum minime expleverint.

VII. Ac tandem ad vos attinet vestrique muneris et officii est, quam diligentissime attendere in eo extirpando abusu, quo plerique pro nihilo habentes glossam const. dist. 1. cap. 10. lit. C. nedum caputium deponunt, dum sacras induunt vestes ad sacrum missae sacrificium celebrandum, sed etiam sacros contemnentes canones, relictis iis, quae ordinis sunt, ne religiosi appareant, ideoque secularibus vel clericalibus induti, veluti habitum erubescentes, incedunt, cum e claustris itineris causa egrediuntur. Nec vobis fas erit omittere, quod religiosi professi scapulare portent a praelato non benedictum, cum in cap. 15. const. dist. 1. § 2. lit. L. secundum caput « Statuimus » extra de regularibus statuitur, quod professi, quando de novo sibi faciunt scapularia, debent a praelatis suis ea facere benedici, quia scapulare benedictum est habitus professorum in ordine praedicatorum.

Haec nostri muneris est, fratres dilectissimi, vobis ob oculos ponere. Optandum equidem foret, religiosos omnes filiali amore, non servili formidine ad obsequendum impelli, sed quando id a singulis sperare ac ab omni religiosae gubernationis regula consequi alienum sit, incitamenta quaedam desidiosis addenda erunt, quibus ad decurrendam mandatorum viam pressius urgeantur.

Valete, nostri nostrorumque sociorum memores in orationibus vestris.

Datum Romae in conventu nostro s. Mariae supra Minervam die 5. iunii 1841.

Conservus in Domino
fr. Angelus Ancarani
magister ord.

ACTA CAPITULI GENERALIS PROVINCIALIUM ET DIFFINITORUM ROMAE IN CONVENTU S. MARIAE SUPRA MINERVAM CELEBRATI A DIE XXV. MAII MDCCCXLIV.

Sub rmo p. fr. Vincentio Ajello, s. theol. professore eiusdemque ordinis generali magistro, in praedicto capitulo electo, diffinientibus adm. reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus.

29. maii.

Decernitur et ordinatur ineundi rationes accepti et expensi domus generalitiae; quibus factis agendum est de imminutione pensionum, quas

provinciae Siciliae solvunt dictae domui, iuxta literas emi cardinalis Lambruschini datas 15. maii.

Deputati ad rationum recognitionem, praeside rmo magistro generali ordinis, rmus p. mag. fr. Thomas Degola s. congregationis Indicis a secretis, adm. rev. p. fr. Ioseph Cornazzani mag. provincialis utriusque Lombardiae, adm. rev. p. fr. Ioseph Crisafulli mag. provincialis Vallis Mazzariae.

Animadversioni patrum capitularium proponuntur literae s. congregationis Episcoporum et Regularium pro bono regimine ordinis, quae animadversio habenda erit calendis iunii.

Revisores in causis civilibus, criminalibus et mixtis adm. rev. p. fr. Pius Lupi mag. provincialis Romanus cum caeteris provincialibus, exceptis provincialibus Lombardiae et Vallis Mazzariae, quibus substituuntur eorum diffinitores.

Die 30. maii.

Propositum fuit patribus capitularibus, utrum expediat cogere conventum s. Mariae ad Quercum Viterbii, ut solvat collegialibus et studentibus vestiarium, viaticum et ingressum ad collegium et studium formale Perusinum, qui titulo affiliationis ad ipsum conventum s. Mariae ad Quercum pertinent, iuxta morem provinciae Romanae.

Datis secretis calculis, unanimiter annuerunt; et si difficultates oriantur, rmus magister ordinis provideat.

Propositum fuit patribus, num placeret eis confirmare privilegium, quod habet ab immemorabili provincia Calabriae quatuor baccalaureorum cum loco et voce.

Datis secretis calculis, omnes annuerunt.

Propositum fuit ius ad lauream magistralem r. p. fr. Ludovici Magri.

Et datis secretis calculis, omnes annuerunt. Quapropter statutum fuit, ut laurea donetur in conventu s. Dominici Neapolis, ibique assignetur, cum illius conventus sit filius.

Propositum fuit patribus, num expediat rev. p. lectorem Vincentium Rizza literis patentibus praedicatoris generalis muniri; itemque rev. p. lect. fr. Xaverium Triscia promoveri.

Preces amborum arbitrio remittuntur rmi p. magistri ordinis.

Propositum fuit patribus, utrum placeat sedem ordinariam prioris provincialis Calabriae constituere in conventu s. Dominici de Suriano pro bono et decore illius sanctuarii.

Datis secretis calculis, inventum est, fuisse omnia alba praeter unum.

Propositum fuit ab adm. rev. p. priore provinciali Apuliae, utrum placeat patribus ex duodecim baccalaureis, quibus quondam constabat sua provincia, ad tres redigere propter diminutum conventuum numerum et

fratrum paucitatem, sine praeiudicio tamen baccalaureorum, qui nunc locum et vocem habent. — Omnes annuerunt.

Bono pacis et regularis disciplinae provinciae Hiberniae eius diffinitor proposuit, primo ut prior provincialis pro tempore illius provinciae non audeat instituere et confirmare priores conventuales sine consilio saltem trium patrum seniorum. Secundo mandetur priori provinciali pro tempore, ut ordinationes capitulorum provincialium accurate observentur, nec in illis dispensationibus utatur sine consilio ut supra. Tertio mandetur priori provinciali, ne limites suae auctoritatis praetergrediatur, et in casibus extraordinariis pro necessariis facultatibus ad generalem magistrum ordinis recurrat. — Placuit omnibus.

31. maii.

Pro provincia Calabriae statuitur, ut in conventu s. Dominici de Suriano, qui reditibus superabundat, quatuor affiliationes augeantur pro sacerdotibus et duae pro laicis. Item in conventu s. Dominici s. Georgii pro sacerdotibus tres et una pro laicis. Tandem in conventu s. Dominici Neocastri duae affiliationes pro sacerdotibus et una pro laicis.

1. iunii.

Statuitur, ut pro interim pensiones, quas solvunt provinciae domui generalitiae suspendantur, usquedum factis rationibus accepti et expensi dictae domus clare innotescat status ipsius. Quod si post subductas rationes rmo magistro ordinis constet de necessitate percipiendarum pensionum a provinciis, earum distributio aeque fiat super omnes provincias, proportione tamen servata.

Datur magistro ordinis facultas adendi decreta ad normam capitulorum generalium celebratorum.

Indicitur pluralitate votorum futurum capitulum generale in conventu s. Dominici Neapolis. Contra protestatus est adm. rev. p. mag. provincialis Mazzariae.

Pro bono regimine.

1. Invigilare oportet in receptione ad habitum tum clericorum tum laicorum.

2. Prohibetur prioribus atque lectoribus praedicatio tempore adventus et quadragesimae extra civitatem vel locum, ubi sunt assignati.

3. Peracta sacra visita priores provinciales referant magistro ordinis, quidquid respectum habet religiosis personis atque administrationi, et omnium religiosorum dent catalogum.

4. Ne fiant postulationes; si qui postulari volunt, exhibeant requisita legibus nostris imperata.

Commissiones.

Iubetur nova editio constitutionum nostrarum iuxta praescriptionem

Innocentii XI. constitutione « Cum nos » 8. oct. 1679 et bullario tom. 6. pag. 353.

Designentur quatuor idonei religiosi ad colligendas bullas pontificias.

Confirmationes.

Renovantur poenae contra religiosos, qui gratias postulant per personas extra ordinem constitutas.

Subscriptiones fiant sine praeiudicio provinciarum iurium.

Ego fr. Vincentius Ajello magister generalis,
fr. Mauritius Benedictus Olivieri exgeneralis, commissarius s. Officii,
fr. Thomas Hyacinthus Cipolletti exmagister generalis ordinis,
fr. Angelus Ancarani exmagister generalis ordinis,
fr. Ioseph Rosarius procurator generalis,
fr. Ioseph Augustinus Cornazzani provincialis utriusque Lombardiae,
fr. Pius Lupi provincialis Romanus,
fr. Dominicus Tracaglini provincialis Regni,
fr. Gregorius Giammartini provincialis Daciae,
fr. Ioseph Crisafulli provincialis Vallis Mazzariae,
fr. Rosarius Cianaio mag. et provincialis Vallis Neti,
fr. Martinus Piccinni prior provincialis divi Thomae de Apulia,
fr. Hieronymus Siglio mag. et provincialis Calabriae,
fr. Raymundus Gorabolli provincialis s. Petri Martyris,
fr. Raymundus Bardolet provincialis Sardiniae,
fr. Ioseph Arcoria provincialis Vallis Nemorum,
fr. Rosarius Attard bac. provincialis Melitae,
fr. Ioannes Ioseph Capponi exprovincialis dif. utriusque Lombardiae,
fr. Thomas Rinaldi mag. exprovincialis et dif. Romanus,
fr. Thomas Michael Salsuno mag. et dif. Regni,
fr. Franciscus Maria Ajello mag. exprov. et dif. prov. Vallis Mazzariae,
fr. Salvator Buffone mag. exprov. et dif. prof. Vallis Neti,
fr. Rosarius Antonius Pennisi mag. exprov. dif. prov. Vallis Nemorum,
fr. Vincentius Marinaci lector dif. provinciae Apuliae,
fr. Vincentius Gervino lector dif. provinciae Calabriae,
fr. Augustinus Concanen White dif. pro provincia Hiberniae,
fr. Petrus Neirone lector dif. provinciae s. Petri Martyris,
fr. Antoninus Pompejano dif. provinciae Sardiniae,
fr. Ioseph Ludovicus Calleja dif. provinciae Melitae.

FINIS.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli, Patr. Constantinop., Vicesgerens

Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica.

Quorum monumentorum haec edita sunt:

Tomus primus: Fr. GERARDI DE FRACHETO, *Vitae Fratrum Ord. Praed.* ed. Reichert 1896.

Tomus secundus fasc. I.: Fr. GALVAGNI DE LA FLAMMA, *Cronica Ordinis* ed. Reichert 1897.

Tomus tertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1220 ad annum 1303 ed. Reichert 1898.

Tomus quartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1304 ad 1378 ed. Reichert 1899.

Tomus quintus: Litterae Encyclicae magistrorum generalium Ord. Praed. sec. XIII. et XIV. (appendix ad tomos III et IV) ed. Reichert 1900.

Tomus sextus fasc. I-II.: Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta edd. Balme-Paban-Colomb 1898-1901 (fasc. III. sub prelo).

Tomus septimus fasc. I.: Chronica et Chronicorum Excerpta ed. Reichert 1904.

Tomus octavus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1380 ad 1498 ed. Reichert 1900.

Tomus nonus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1501 ad 1553 ed. Reichert 1901.

Tomus decimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1558 ad 1600 ed. Reichert 1901.

Tomus undecimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1601 ad 1628 ed. Reichert 1902.

Tomus duodecimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1629 ad 1656 ed. Reichert 1902.

Tomus decimustertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1670 ad 1721 ed. Reichert 1903.

Tomus decimusquartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1725-1844 ed. Reichert 1904.

Sequentur:

Tomus secundus fasc. II.: Fr. SEBASTIANI DE OLMEDA *Cronica Ordinis* ed. Iustus Cuervo (sub prelo).

Tomus septimus: Chronica et Chronicorum Excerpta fasc. II.: (sub prelo).

THOMAS CANTIPRATANUS, *Liber qui dicitur Bonum universale de apibus* rec. Reichert (tom. unicus).

ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta «San Sebastiano», 10

